



Svmma Juris Canonici


Comprehensa Tribus Partibus In Qva Distincte Et Svccincte Explicantur,
quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiastica ex Canonum præscripto,
pertinent

De Personis Ecclesiasticis, Earumque statu, Dignitate, munere, &
Immunitate


Strein, Johann


Coloniæ Agrippinæ, 1658

[urn:nbn:de:hbz:466:1-61816](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-61816)



Th. 4760.





M. II.

31.



S V M M A
JURIS CANONICI
COMPREHNSA
TRIBUS PARTIBUS.

Collegij Soc. 1652 Paderb.

Anno 1669

S. V. M. A.
JURIS CAUTIONI
COMPLETENSIS
LIBRIS PARIBUS

S V M M A
JURIS CANONICI
COMPREHENSA
TRIBUS PARTIBUS
IN QVA

DISTINCTE ET SVCCINCTE
Explicantur, quæ ad personas, negotia, & iudicia Ecclesiasticæ ex Canonum præscripto, pertinent.

ACCEDIT

COMMENTARIUS IN REGVLAS
Iuris Pontificii & Iuris utriusque Antinomia &c.
Colleg. Soc. 1550 AVCTORE Paderborn.

R. P. IOANNE STREINIO SOCIET. IESU
SS. Theologiæ Doctore, Sacrorum Canonum Professore
Ordinario & Academiæ Bambergensis

Amo Cancellario. 1668
Cum S. C. M. Privilegio & Approbatione Superiorum.



COLONIE AGRIPPINÆ.

M M M A

GRIS CANONICI

COMPREHENSIVA

IN THE US

IN 1772

STB

...

...

...

Handwritten signature or name

Handwritten signature or name

Handwritten mark or signature

Handwritten mark or signature



REVERENDISSIMO, ET ILLUSTRISSIMO
PRINCIPIS AC DOMINO,

D. PHILIPPO
VALENTINO

IMPERIALIS ECCLESIAE
BAMBERGENSIS EPISCOPO,
S. R. I. PRINCIPI.

Venio, & convenio te, *Illustrissime Princeps*, non procul, & de ultimis finibus terræ, sed vicino literario rure, sapientia adytis, non ita pridem Vrbi & Orbi additis. Quod ferro, parvum mole, adfectu magnum, conatu arduum est: tua maiestate augeri, fulgore tuo quærit illustrari. Alias in umbra & caligine, tam facile, quam necessario periturum. Urget & invitat aviti stemmatis ubique gentium publicata nobilitas, eminentibus meritis acquisita dignitas, non quæsitæ morum, sed innata facilitas. Eaque propter mirari desines, quid me in his rugis & effæto corpore, ad hoc Sisyphio durius saxum admoverit. *Iuris Canonici Summam* à te quisquam mortalium expectat? Novi has non præconum, sed triconum

EPISTOLA DEDICATORIA.

triconum vaces. Scilicet hujus ævi lacrymosa vœcordia est, ut ignorare *Canones*, quàm laudare, aut servare malimus. Et, ut cum *Lucilio* loquar,
Tristes, difficiles sumus, fastidimus bonorum.

Mihi mens conscia recti, utilitas, & necessitas pro causa & patrocinio satis. Cæterùm tria sunt hominum genera qui in Domini sortem electi, & altari servientes specioso Ecclesiasticorum nomine gloriantur non vice simplici. Primum illorum, qui tenebris obscuratum habentes intellectum sacrarum legum turpi & punibili ignorantia laborant, quos cum emendare nequeas, accensere queas infantibus, qui nondum ære lavantur, eadem ferulâ dignos. Alterum eorum, quibus non incognita planè, sed despecta iuris sacri notitia est. Quod malè didicerunt, pejus oderunt; & quod per hirquos vident, laturo inter pocula rident. In tertio genere invenias, qui cum ex officio malignantibus resistere, tueri Ecclesiæ dignitatem ac disciplinam terreantur, manum sub axilla ponunt, vigeat, an frigeat, nihil pensi habentes.

Languor, & oppressu pigror, torporq; quietis.

Primi infelices, non tamen elingues, ne deesse sibi laudem homine dignam fateri cogantur, nunquam à se appetitam prædicanti: ab hoc rerum inuulium studio animum abduxisse penitus, majoribus consecrassè. Credite posteris.

Nihil parvi, & pensi: frustra edoceas lutum.

His nocentiores, qui doctiores, sensu eluto, affectu corrupto, sævis factis, & tristibus dictis.

*Formosam veri speciem suspendere naso
 Virtutem ducunt, & spernere fastidita.*

Cuius vœsania eo turpior nota est, quòd hoc ævo à fide orthodoxâ alieni Doctores lus Canonicum, sibi aphorismis distinguendum, aut Commentariis illustrandum sumperunt.

Ex tertiâ classe languent periculose, & imminentium malorum securi dormiunt multi, ipsisque dormientibus crescunt Zizania, bonaque *Intercant, labuntur, evantur omnia versum.*

Perstringitur, quod mireris, Apostoli Doctoris gentium alumnus Ephesiorum antistes Timotheus propter remissionem, & teporem. *Præmam charitatem, id est, fervorem reliquisti.* Quid non timendum posteris, quorum tenuior gratia, acrior pugna, obstacula majora? Enim verò dormitaverunt, & dormierunt omnes. Ab his longissimè quoniam re-

mota

EPISTOLA DEDICATORIA.

mota est vivendi ratio tua *Illustrissime Princeps*, qui admirabili studio, infatigabili vigilantia, pervigili curâ, & labore, gregem tibi divinitus commissum, pascis, dirigis, & conservas, præsumit animus futurum, ut exemplo tuo excitati torpentes caput attollant, veternum excutiant, arma sumant & scutum, quibus hosti resistent, improbis bellum indicant, bonos defendant, vitia conterant, scandala tollant, Ecclesiam sanctam & illaeram conservent.

Reliquis verò illis, qui vel ignorantia exorbitant, vel levitate suâ veritati officunt, Pontificum Decreta spernunt, nihil est, quod cedamus, sed cedamus potius, duce, & vindice Te ipso, cujus erga bonos dulcissima humanitas, adversum malos infractum robur, constantia martialis, formidanda potentia. Quemadmodum orto sole, nebulae, & nubila dif- fugiunt, lucifugæ volucres latibula ineunt, campi, & viridaria rident: sic ad conspectum tuum lannæ, & ludibria concident, tenebriones, quo- rum

Nequitia occupat os, petulantia, prodigitasq̃,

sele abdent, veri, bonique nativa pulchritudo, & gloria efflorescet. Leoni ex ore exsculpere prædam non ita Davidi facile fuit, quàm tibi fugillandi libidinem obterere. Rara hæc virtus est, illis relicta solis, quos ardens ad athera virtus, evexit, quorum illustris profapia, potentia præcellens, intaminata dignitas.

Eum in finem Ecclesie præsulibus pedum in manus committitur, cujus ad proterendum malum, & frenandos improbos vis quanta sit, *S. Ioannis Apocalypsis* indicat c. 2. ubi virgæ ferreæ mentio, quæ perfecti regiminis symbolum est, notatque illius septem attributa, Alcazaro teste, nimirum fortitudinem, beneficentiam, æquitatem, sapientiam, patientiam, comminationem, & punitionem. Ea virga magneti (divinam sapientiam intellige) applicata duplicem virtutem haurit, indicandi polum, mundi que plagas, & aliud ferrum sibi copulandi. Attrahit ergo sacratus Antistes, dirigit, jungit, & pungit.

Quæ omnia cum in te unum, *Illustrissime Princeps*, à bonorum omnium largitore DEO simul congesta sint, bonis omnibus præsidio, improbis terroris: ut benefactis, quàm merentur, gloria, flagitiis tua pœna tribuatur: quibus duabus columnis sacra, & profana Reip. sustinetur. Quod ex eo die, quo communibus sacri Senatus Suffragiis ad summum *Ecclesia Bambergensis* principatum evectus es, usque in hanc, quâ sub pro-
rektione

EPISTOLA DEDICATORIA.

tectione tuâ vivimus, hora, à cunctis annotatum, & pleno ore commen-
datum est.

Et mihi tunc animus erat, felicissimo illo die, gratulantium turbæ
misceri, ac *Breviculo* hoc contestari, non tam, quæ mea, quàm Collega-
rum omnium in Te observantia esset; sed huc usque illorum, quibus
imperitare non possum, cunctatione dilatus sum.

Excipies igitur, quæ tuâ humanitas est, benignâ manu, hilarescente
vultu, animo sereno: excipies hanc IURIS CANONICI SUMMAM summæ
in Te observantiæ, obsequiique fidiſſimum indicem, & adversus livoris
æſtum, inſcitos tricones potenter defendes. Sub tui nominis tutelâ pro-
dibit in publicum, quod exilitatis suæ conscientiam in tenebris deliteret.
Quod enim ornamentum, quæ commendatio illustrior obvenire sacro
antistiti potest, quàm li iteratorum perfugium, asylum doctrinarum,
sapientiæ lyceum, patronus eruditionis, & scientiarum, publicè prædi-
cetur?

Pro quâ benignitate dabit Tibi Deus felicitatem, virtutem, ac diutur-
nitatem, ut eadem justitiâ & pietate, quâ primùm exorsus es, gubernare
Ecclesiam, etiam tenex teneas, successoribus tuis principatum, multo,
quàm nactus es auctiorem, felicioremque relinquas. Ita voveo.

Reverendissima, & Illustriss. Celsit. Vestra

humillimus in Christo servus

IOANNES STREINIUS
Societ. IESU.

GENSV.

Censura Ordinarij.

Summam Iuris Canonici proposuerunt multi; verum Methodo & Ordine, quali se convenientius Lectori satisfacere posse existimant, non raro diverso. Quos si A. R. P. IOANNES STREINIUS Societatis IESU in sua Iuris Canonici Summa, tribus partibus comprehensa, nec non in ejusdem Commentario in Regulas Iuris Pontificii & Antinomia Iuris utriusque, nihil contra fidem aut bonos mores continentibus, superaverit: idiplum tractandi claritati & perspicuitati adscribendum, ac propterea typis mandari posse censeo & permitto. Coloniae 7. Septemb. 1658.

Adrianus de Valenburch Metrop. Eccle.
siae Colonien. Presb. Canonicus & Cen-
sor libr. Ordin.

APPROBATIO.

Ego NITHARDUS BIBERUS Societatis IESU in Rheno Superiori Praepositus Provincialis potestate ad hoc mihi facta ab Admodum Reverendo P. N. GOSVINO NICKEL Praeposito Generali facultatem concedo, ut Summa Iuris Canonici tripartita, Commentarius in Regulas Iuris Pontificii & Antinomia Iuris utriusque à P. IOANNE STREINIO Societ. nostrae Theologo, & Iuris Canonici Professore Ordinario scripta, gravium Theologorum ejusdem Societatis nostrae iudicio examinata & approbata typis evulgetur. In cuius rei fidem has literas manu nostrâ subscriptas, & consueto sigillo munitas dedimus. Bambergae 12. Januar. M. DC. LVI.

(L.S.)

NITHARDUS BIBERUS.

)()

CÆSA-

CÆSAREUM PRIVILEGIUM ET
potestas Typographo facta à R. P. Provinciali
Provinciae Rhenanae Superioris Socie-
tatis JESU.

CVM Sacrae Cæsareæ Majestatis decreto omnibus & singulis
Typographis & Bibliopolis, ac aliis quacunque negotia-
tionem librariam exercentibus, serio firmiterque inhibeat, ne quis-
quam ullos libros à nostris Patribus hætenus editos, vel imposte-
rum edendos, intra Sacri Rom. Imperii Regnorum & Dominio-
rum suarum Cæsareæ majestatis hæreditariorum fines, simili vel alio
characteris genere aut forma, sive in toto, sive in parte recudere,
vel alio recudendos mittere, aut alibi etiam impressos adducere, ven-
dere & distrahere clam vel palam, citra judicium ac testimonium
supradictorum Patrum audeat vel præsumat: Concedo Ego NI-
THARDUS BIBERUS Societ. Jesu per Rheni Superioris Provinciam
Præpositus Provincialis (potestate ad id mihi facta ab Admodum
R. P. N. Generali GOSVINO NICKEL) D. IODOCO KALCOVIO
Civi & Bibliopolæ Coloniensi facultatem excudendi *summam Juris
Canonici Tripartitam, Commentarium ad Regulas Juris Canonici & Antino-
niam Juris Pontificii & Cæsarei, &c.* à R. P. IOANNE STREINIO Socie-
tatis nostræ Theologo & Juris Canonici Professore Ordinario con-
scriptam. In cujus rei fidem hoc ei testimonium dari curavi, Bam-
bergæ 12. Januarii M. DC. LVI.

(L.S.)

NITHARDUS BIBERUS.

PRÆFA-



P R Æ F A T I O

Ad Clericos, & animarum pastores.

Eclesia faciem majorum ævo fidei, morumq; integritate, & omnium virtutum quasi radius fulgentibus conspicuam, hodie quisquis flaccidam, nevis oblitam, sibi que difficilem intuetur, suspensus animo haret, & in excessu mentis sue cum Ieremia vate exclamat. Quomodo obscuratum est aurum, perit color optimus? Aurum syncera fidei, intacta religionis, scientia salvifica, vita incorrupte, perfecta charitatis. Unde malum hoc, unde Zizania! Impietas est, credere, ab immemore pactorum dotalium sponso suo deseri, aut tot seculorum lapsu effectam, odibilemque repudio damnatam esse. Inimici hominis suspectam fidem intermixta tritico Zizania produnt, quibus materiam ignavia nostra, luxus, & securitas abunde suggerit. Nox opportuna fraudi, fraudis ignarus sopor soporis agnata desidia, & otium. Horum omnium denique soboles ignorantia. Unde quod priscis quoque Scitum (Trism. in Asdepio) contingit in multis remanere malitiam, defectu prudentie, scientiaq; rerum cœlestium. Ex neglectu enim religionis divinæ, quæ constituta sunt omnia, contemptus, & sequela nascitur vitiorum totius mundi. Perseverante autem imperitia, atque insitiã vitia coalescunt, & vulnerant animam incurabilibus plagis, quæ infecta iisdem atque vitata, quasi venenis intumescit. Ita Trismegistus.

Risum merentur, an lacrymas, quæ rudium Clericorum, & Ministrorum exempla legimus: ut non immeritò asinos togatos vulgi effranis licentia indiget. Nec odii, & invidia unius hic effectus. Aliqua fidei hostes confixerint, plurimum certa memoria, & contestata fides habetur. Ioannes Eman. Zamora, & Tauri Episcopus, uti Navarrus refert in c. si quando de rescript. Except. 18. num. 8. Coegit Parochos annorum sexaginta linguam latinam discere, quam

P R Æ F A T I O.

vel nunquam didicerant, vel obiter attigerant. Credebant enim verò Athenæ illud. Nihil inanius, quàm multa scire. Caci, & duces cacorum, S. Caroli Borromæi Acta testantur, in amplissimâ Ecclesia Mediolanensis Diœcesi non uno in loco & pastore magnam cœlestis doctrinæ defectum inventum esse. Alias Diœceses qui lustrando peragrârunt iisdem tenebris obscuratam Verbi divini lumen, & obductas tetrâ caligine mentes offenderunt. Non pauci, quam Missam legerent, quæ cuique diei Canonicarum precum quota debeatur, quoritu modò, petentibus & indigentibus Sacramenta impertienda, ignorare. Cui tanto malo ingemiscere, vel irasci facilius, quàm remedium adferre queas. Nec ista præteriti temporis hæresi & perfidia contaminatâ propria lues fuit; comperies hodie, qui quantumlibet, adulti. Barbatique neque epistolam in choro neque lectionem aliquam absque solæcismo, nisi multo prius studio præmeditatam, vel memoria commendatam pronuncient. Comperies in numero præsulum & pastorum agmine, qui animarum necessaria curâ, sacrorum mysteriarum dignitate spectâ, neglectâ, frumenti, vini & olei pretium ad amassum norint: faciem cæli, spem fertilitatis, & indicem, quatuor anni multiformis tempora, priusquam quatuor Evangeliorum mandata, monita, vel testimonia inspiciant, magnam de minimis, modicam aut nullam de maximis curam gerentes. Quid sædius aut nocentius? sed horum omnium in promptu causa est. Quibus enim, dic sodes, in septentrione nostro hodie præbendarum spes certa, securæ consecutio est? annon magnatum famulis, Prælatorum assentatoribus, male natis nepotibus, ad strivam, quàm Ecclesiam aptioribus pueris? Pro scientiâ, ait Navarr. loco supra citato preces, & pretium, pro morum honestate nobilitas, favor, potentia, & divitiæ attenduntur. Etatem in scholis contrivisse, in libris effudisse patrimonium, scientiarum apicem contigisse, ad inopem, & in gloriam senectutem, quàm Canonicam, aut Dignitatem paratior via est. Cedit eruditio nummis, animi cultura viribus, ignorantie subtilitas. Favor brabeuta est, cognatio collatio. Et miramur adhuc inter tot Ecclesiæ præfectos, & bonorum spiritalium dispensatores adeò paucos numerari, qui fideles sunt, qui ex duabus tunicis dent unam non habenti, equâ lance munera dividant?

In vigilandum igitur summopere præsulibus, ne invalescens contagio cum tempore vires acquirat, & serò manuum applicationibus desperationem inveniât. Nova semente opus est, Seminaria, & Gymnasia erigenda, tyronum Princeps sura sit: ignorantie bellum inditendum, errorum mater, ignavia nutritrix otiositas ultra Gangem releganda, ne ullum in Ecclesiâ alunis, ac ministris locum inveniat. Sacrorum Canonum vigeat institutio, disciplinâ, secundum illud Apostoli 1. ad Timoth. 4. vers. 16. Attende tibi, & doctrinæ. Tibi, ut te ipsum, doctrinâ.

PRÆFATIO.

doctrina, ut tecum multos perficias. Hinc monito, si quis alius. S. Carolus Mediolanensium Archiepiscopus, sui temporis lucidissimum Sidus morem exactè gessit. l. 7. Vitæ c. 2. à Carolo de Basilica Petri scriptæ. Etenim sibi attendens Iuris Civilis notitiam quâ fuerat adolescens imbutus minus competere arbitratus, Theologica & Canonica tantum amplexus est, quantum Cardinali magnam Ecclesiam regenti efficere posse concessum est. Ex Theologiâ scripturas divinas maximè sequebatur: Canonum ea scientia periusunda erat, quæ Patrum mores, & acta representans Ecclesia ordinanda rationem continet. Doctrina posthac etiam attendens, ut aliis prodesset, delegit, & constituit, qui sacrorum Canonum explanationi præesset, unde sacra morum instituta, & ritus optimumq; Ecclesiæ administranda genus hauriretur: quos verò eiusmodi cognitioni deditos nactus erat, eorum studiis benignè favit, ut quod etiam Romæ postea eiusdem generis studium excitatum est, illi non postremò videatur ascribendum. Longum esset, sigillatim edicere, quo quantoque labore, studio, & contentione Clericorum in literis profectum urserit, quæ non media, & consilia exquisiverit, quantum de rebus annuis attribuerit. Non contentus uno Collegio plura erexit, fundavitq; ita maioribus ingenis consulens, ut qui à Summo descerent, non deesse sibi, quo proficerent faterentur. Cura una, prima, & maxima erat, Ecclesiæ Ministros, Clerumq; univèrsim omni virtutum genere omnium disciplinarum ornamentis reddere, quoad fieri posset, absolutissimum. Inter alia media viros impulit ingenio, & doctrina præcellentes, qui quæ ad honestam educationem adolescentium, ad comparandam eloquentiam pro divini verbi prædicatione, munere Episcoporum, & Clericorum conscriptis libris evulgarent, ne muti unquam discere volentibus Magistri deessent. Quæ in re merito primas Theologi, & sacrorum Canonum interpretes obtineret, quod illarum scientiarum utilitas maxima, summaq; necessitas esse videatur. Quæ enim (malum) ratio permittat, rerum naturalium cognitionem, phisicas, aut mathematicas disciplinas cælestium mysteriorum, & sacri Iuris intelligentiæ anteponere. Occupètur sanè, & turbentur circa plurima Philosophi, unum hoc Ecclesiæ Ministris necessarium est, ut omnes muneris sui partes accuratè norint, quid choros, quid pastoralis cura postulet: quis habitus, qui mores deceant: quæ quantaq; obligatio precandi, psallendique: quæ sint bonorum Ecclesiasticorum iura & privilegia: ne vulgo cognita deprehensaq; proprii status ignorantia reddat despicabiles.

Id verò ut facilius & quasi compendiò assequatur Clericus, non vetera illa, semilatina Lapi, Accursii, Panormitani, Alexandri, Durandi, Oldradi, & similibus glossemata, sed eorum, qui nostro ævo proquinquiores, Cõmentaria, seu Paratitla legenda suadeo. Extat Vivian, Alagona, Andreas Vallent, Ant. Cucch,

PRÆFATIO.

Henricus Canisius, Paulus Lancelotus, quorum Institutiones ad difficiliora manu ducunt. Nec Vorburgi Rudimenta spreveris. Nostra autem Summa si cui arriserit, operam impendisse fortean non pœnitebit. Insuper multum proderit, sua Diœcesis mores, & statuta tum Synodaliū Decretorum lectiōe, tum usu, & quotidianā obseruatione perspecta habere. His si morum vitæque integritas, qualis à Concil. Trident. Sess. 22. c. 3. de resol. præscribitur, accesserit, futurum speramus, ut obscurato Ecclesiastica dignitatis auro suus splendor redeat, color optimus restituatur, scandala tollantur, hæreticorum obtrecciōnes concidant. Clero, & Ecclesiæ auctoritas concilietur, qua piorum oculis gaudium pariat, improborum verò stimulum figat. Denique sic in ærumnosâ hac vitâ militet, ut illius qua in cœlo triumphat associari choro mereatur, eaq; præmia consequi, qua bonis Pastoribus, fidelibus ac prudentibus Ministris à supremo Pastore, & remuneratore DEO optimo, maximo, constituta sunt.



PROLE.

PROLEGOMENA

A D

JURIS CANONICI S V M M A M.



Vestibulum ædificiorum describens *Cæcilius Gallus* in libro de significatione verborum, quæ ad ius Civile pertinent, secundo, dicit, non in ipsis ædibus, neque partem ædium, sed locum esse ante ianuam domus vacuum, per quem à viâ aditus, accessusque ad ædes est, quum dextrâ, sinistrâque intra ianuam tecta sunt viæ iuncta, atque ipsa ianua procul viâ est, arçâ vacanti intersitâ. *Gell. l. 16. c. 5.* Adderet viatorum commodo factum, si vel consistere, vel facili & securo introitu domum subire vellent. Ardua esse scientiarum, multisque impervia templa, & qui penetrârunt, & qui aberrarunt, una consistentur. Consistendum multis diu, & fixo gradu meditanda, quorû post usus in usu, & pretio. Ut tædeat affatim, perstitisse, voluisse & revoluisse nequaquâ pœnitebit. Beneficiû autê non vulgare præstaturi sunt, qui ingressuris difficile iter complanant, animum corroborant, & obstacula submovent: cuiusmodi ut in aliis disciplinis, Iuris Canonici præsertim facultate principiorum quorundam, quibus ipsæ assertiones nituntur, est defectus, & ignoratio. Præclarè *Angelus Consil. no. Sanctissima, &c.* Principium artis scire oportet, aliàs principati processum ignorare necesse est. Quocirca operæ pretium mihi facturum videor, si quæ illius scientiæ, conditio sit, quis modus procedendi, quibus adminiculis nitatur, præliminaribus quibusdam articulis dederò, exemplo illorum, qui eximiâ tum ingenii, tum doctrinæ commendatione idem præstiterunt. Erit hoc vestibuli instar, inter viam, & ianuam, ubi tantisper novi auditores prima in ita meditentur, donec referatis foribus in ipsa sacri Iuris penetralia admittantur.

INDEX

I N D E X

PROLOGOMENORVM.

- §. 1. De origine, & causis Iuris Canonici.
- §. 2. De auctoritate Ecclesia.
- §. 3. De vi, & obligatione Canonum.
- §. 4. De dispensatione Canonum.
- §. 5. De abrogatione Canonum.
- §. 6. De interpretatione.
- §. 7. De extensione legum, & Canonum.
- §. 8. De lege pœnali.
- §. 9. De consuetudine.
- §. 10. De Rescriptis.
- §. 11. De Regulis Cancellaria Apostolica.
- §. 12. De Canonibus Apostolorum.
- §. 13. De Canonibus pœnitentialibus.
- §. 14. De fictione Iuris.
- §. 15. De presumptione.
- §. 16. De aequitate Iuris.
- §. 17. De Permissione.
- §. 18. Modus argumentandi in Iure Canonico.



PROLOGO

PROLEGOMENA

§. I.

De origine Iuris Canonici, & causis.

I. **I**US pro lege acceptum vatium ac multiplex est, merito Caularum, à quibus oritur, & pendet. *Primo* enim aliud est Naturale, aliud positivum. *Secundo*, Positivum aliud est divinum, aliud Humanum. *Tertio*, Humanum dividitur in Ius gentium, Civile, & Canonicum. Gratianus *Dist. 1. Instit. l. 1. tit. 2. l. 1. & II. 7. de iust. & iure. Mol. Disp. 2.*

II. Ius naturale est, cuius obligatio oritur ex naturâ rei, & inde transit in præceptum. Aliud per se notum est, aliud per consequentiam, vel deductionem. In brutis non reperitur contra, quàm Legistæ velint. Positivum, cuius obligatio oritur ex voluntate, & præcepto legislatoris, indeque derivatur in objectum. Divinum à Deo; humanum ab hominibus procedit.

Ius gentium legistæ vocant, quod proprium est hominibus, & illis omnibus aut ferè omnibus commune: ut Religio erga Deum, obsequium erga parentes, li-

centia vini vi repellendi: quo sensu nõ omnino diversum est à Naturali. Melius Theologi Ius gentium esse dicunt, quod non Naturæ præcepto, sed solo consensu populorum illis omnibus, aut ferè omnibus commune est, exempli causa, bonorum divisio, dominia, servitutes, & similia. *c. 7. Dist. 1. Soto l. 3. de iust. Q. 1. art. 3. Covar. in Reg. Peccatum. §. 11. Azor. III. l. 1. c. 2. Suar. l. 2. de legib. c. 19. Comitol. de Contract. par. 1. c. 15.*

Jus Canonicum sumpta denominatione à græca voce *κάνων*, quæ regulam significat à Daniele Venatorio definitur *Id, quod decretis Pontificum & statutis Conciliorum tam Generalium, quàm Provincialium* constar, normam rectè vivendi ostendens. Ex quâ definitione benè explicata colligitur, Causam materialem, seu objectum Iuris Canonici esse actiones regulis ecclesiasticis dirigibiles: Efficientem verò esse Magistratum, seu Prælatos Ecclesiæ: Finalem Ecclesiæ bonum regimen, & disciplinam: Formalem denique ipsam honestatem, seu æquitatem, quam Canones præscribunt, inque suorum moribus Christi Ecclesia requi-

A

xit. Lan-

rit. *Lancel. Canis. Vallens. in Paratitulis.*

III. Ab origine, & causa efficiente habet, quod partim scripto, partim non scripto constat. Scripto comprehensa sunt Decreta. Conciliorum & Pontificum. Non scripto Traditiones, & consuetudines, de quibus *In hie Dist. 11. Cum nihil certi statuit divina Scriptura, mos populi DEI, & instituta majorum pro lege tenenda sunt: & sicut pravariatores divinarum legum, ita contemptores Ecclesiasticarum consuetudinum coercedi sunt. Melch. Canis. l. 1. 2. de loc. Theolog. c. 9. 8. secundum verò unde liquet, quod a nonnullis magnâ contentione discutitur ad substantiam legis, ut obliget, scripturam minime requiri. Tunc enim vim suam leges accipiunt, cum promulgantur, & acceptantur, quod fieri potest, antequam literis consignentur. c. Institutionis. 25. Q. 2. Arist. l. 10. Eth. c. 9. Panorm. Decius, Felin. in Rubr. de Constitut. Ioan. Andr. in Reg. Nemo potest. de Reg. iuris in 6. Guido Papa Q. 91. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 2. nu. 3. Suar. l. 3. de legibus. c. 15. n. 6. Serar. Diss. de legib. nu. 63. Tuschus Concl. 252.*

Quod etiam ad privilegia multi extendant, sufficere existimantes, summi Pontificis subscriptionem *Placet* aut *Fiat*. In foro externo tamen contrarium obtinet & Curia praxis contradicit, ubi non tantum privilegia, sed leges etiam scripto concipi regulariter solent, secundum illud Isidorus 5. *Eymol. c. 3. Lex est constitutio scripta, & Iustin. instit. de iure natur. gent. & civili. Constat autem ius nostrum scripto, & non scripto: ut apud Gracos τὸν γράμματα & ἡ γράμματα, οἱ δὲ ἀγράμματα. scriptum autem ius est. Lex, plebis scitum senatus consultum.*

Intellige de consueto modo proponendi legem, ut illius memoria inviolata conservetur.

Nihilominus si Pontifex tibi facultatem concedat v. g. eligendi confessorium, suscipiendi ante legitimam ætatem sacros ordines & c. uti poteris securè absque aliâ testificatione modo subscripserit *Placet.* *Glossa in c. Institutionis. 25. q. 2. Bald. in l. ut. c. de legib. Az. l. 1. 5. c. 2. Q. 5. Suar. l. 3. de legib. c. 15. qui etiam l. 4. c. 14. notat, in statutis inferiorum scripturam necessariam esse.*

IV. Inter Civile jus, & Canonicum differentia multæ sunt, quatum præcipuas enumerabo. *Prima.* Materia juris Civilis temporalis, & profana est; juris Canonici verò sacra, & spiritualis. Unde sequitur, quemadmodum anima corpori, ita iuri civili præstare Canonicum. *Secunda.* Potestatem leges ferendi & coercendi improbos Princeps sæcularis à populo immediatè accipit; Pontifex autem à Christo immediatè. *Ioan. 21. v. 18. S. Thom. Q. 90. art. 3. & Q. 97. Caiet. Opusc. de potest. Papæ par. 2. c. 2. Victor in Relect. de eod. Bellarm. l. 1. de Pontif. c. 12. & seqq. l. 2. n. de orig. iur. l. 1. n. de Constit. Princ. D. D. in c. per venerabile. Qui filii sunt legitimi. Tertia.* Magistratui politico salus, & tranquillitas publica curæ est; sacris Præsulibus puritas & perfectio animæ, quæ mediis supernaturalibus acquiritur. *Quarta* differentia in fine conspicitur. Quamvis enim Christiani Imperatores non despicunt ea, quæ ad animæ statum, & perfectionem conferunt; nihilominus ex officio ea, quæ hono publico profunt, potissimum attendere, & procurare sategunt; eum sacrae functiones, & munia Ecclesiæ Rectoribus commissa sint. c. 12.

novo Dist. 21. V. Eberh. V. Venerum in *erologo*
Iuris. Decian. l. 2. c. 18.

Differunt denique principiis quibusdam, & regulis, quas à jure civili factas Ecclesia non admittit, sed vel corrigit, vel abjicit. Quo pertinent 1. illæ, quæ rebus, vel personis officunt. c. fin. de immun. Eccl. in 6. c. 1. de iurejur. eod. in 2. c. 1. de consuetud. Molina Tract. 2. Disp. 19. 2. quæ nominatim de personis, aut rebus Ecclesiæ disponunt aliquid. c. Ecclesia S. Maria. ubi legimus. *A laico si quid motu proprio statutum fuerit, quod Ecclesiarum etiam commodum, & favorem respiciat nullius firmitatis existit.* 3. illæ, quarum materia omnino spiritualis est; puta, Sacramentorum, voti, iuramenti, & simil. c. duo sunt, cum seq. dist. 26. 4. illæ, quæ bonis moribus advertantur, & peccatum nutriunt. v. g. de concubinato licito, & sura, mala fidei præscriptione. De quo genere rerum Innoc. 111. Generaliter ait, derogatum esse, quoniam absque peccato equi non licet.

Atque in his generaliter utrumque jus dissidet. Magis particularia invenies apud *Cassianum in summa*, & *Gualvanum apud Panormit. in initio.*

Item apud *Baptistam de S. Blasio*, qui 249. differentias enumerat in Rubricam Decreti.

V. Quæ omnia non obstant, quo minus utriusque fori Ecclesiastici, & sæcularis magna affinitas, & consonantia sit. Nam primum commune utrique est, leges & statuta in materiâ cuiuscunque virtutis condere. Secundò, neutrum verò omnium virtutum actus omnes & opera præcipit, quoniam consilii per multa sunt, Tertio, nec vitia omnia absolute

prohibet, quamvis nullum non fugiat, & detestetur jus pontificium. Quarto, Principum leges civiles, ubi prosunt, ab Ecclesia admittuntur, & quodammodo adoptantur. Quintò, quod in uno desideratur, in altero sumitur. Vnde *Lucius 111. c. 1. De imp. nunc.* Sicut leges non dedignantur sacros Canones imitari: ita & sacrorum statuta Canonum Principum constitutionibus adjuvantur. Ita quidem, ut in utroque foro, cum Canon deest, secundum leges civiles sententia feratur. Quod exemplis de non confecto inventario, non aditâ hæreditate à clerico, & similibus *Oldendorpius declarat in Progymnas. 11. De ordine Iuris n. 11. Card. Tuschus. Concl. 276. Laym. l. 1. par. 4. c. 8. §. unico.*

VI. Ius Canonicum quo ad libros in quatuor partes divisum est. Prima Decretum appellatur. Secunda Decretales. Tertia sextus Decretalium. Quarta Clementina, & Extravagantes. Decreti tres partes sunt, Prima continet centum Distinctiones, & unam. Secunda causas triginta lex. Tertia Tractatum de Consecratione in quinque titulos divisum, Tractatus de Pœnitentiâ septem titulis divisus in 2. 3. Causa 33. habetur, unde versus,

C. distinguit, & 1. Causas dant X. tria
cum VI.

Pœnitet V. versus: sed Conservare re-
versum

Decretum quatuor modis citatur Primo sic. Dist. 26. c. *Acutus.* Secundo sic. *1. Q. 1. c. Decima.* Tertio, Tractatus de pœnitentiâ allegatur sic. *de pœnit. Dist. 2. c. septies.* Quarto Tractatus de Consecrat. Dist. 1. c. *vasa*, Decretales in quinque libros divisæ

A 2

Quat

4
sunt à Greg. IX. Pontif. In primo agitur de officio, & munere personarum ecclesiasticarum. In secundo de iudiciis. In tertio de rebus Clericorum & Ecclesiarum. In quarto de sponsalibus & matrimonio. In quinto denique de delictis, & pœnis. Vnde Verfus.

Personas celebrat pars prima, secunda tribunal:

Tertia de Clericis: de sponsis quarta laborat:

Vltima constituit pœnas, & crimina damnat.

Decretales allegari solent ita. c. *Et si Iudæos. de Iudæis*, hoc est, in Decretali, quæ incipit *Et si Iudæos*, titulo *de Iudæis*. Vel sic. *Extra de Iudæis. Et si Iudæos* hoc est. *Extra Decretum Tit. de Iudæis* in capite, quod incipit. *Et si Iudæos*. Liber sextus Decretalium, cuius auctor est Bonifacius VIII. etiam dividitur in quinque libros, & eosdem titulos, sed pauciores. Nam libri quinque Decretalium continent titulos 185. Sextus verò non nisi 77. Citatur hoc modo. c. *si Iudæus. De sentent. Excomm. in 6.*

Clementinæ auctoritate Clementis V. editæ similiter in quinque libros, & eosdem titulos dividuntur, & citantur ita. *Clement. si furiosus. de homicidio*. hoc est, In Clementinâ, cuius initium est. *si furiosus T. de homicidio.*

Sequuntur Constitutiones Iohannis XXII. quæ vocantur Extravagantes Iohannis XXII. Titulos habent 14. Allegantur hoc modo. *Extravag. de præbend. inter Extrav. Iohannis XXII.*

Supereff Liber Extravagantium communium, id est, Constitutionum, quæ à di-

versis Pontificibus posterius editæ sunt. Constant similiter libris quinque (quartus tamen non extat) & eisdem titulis, sed paucissimis, id est, 35. Citantur hoc modo. *Extrav. Ambitiosa. de Reb. Eccl. non alien. inter comm. V. Antonin. Part. T. 17. c. un. §. 20.*

VII. Ex his velut partibus totum Pontificii Iuris corpus compositum est, impari tamen pretio, & auctoritate. Nam quia *Decretum*, à Gratiano multis Patrum sententiis, & legibus Imperatorum, imo suspectis auctoribus, ut *Bellarminus* demonstrat in l. *De Scriptor. Eccles.* refertum est, vim definitionis habere non possunt indifferenter omnia, nisi summi Pontificis accedat auctoritas. *Sotus l. 3. q. 3. art. 1. Valentia 2. 2da q. 6. puncto 6. Sanch. l. 12. De matrim. Salas de legib. pag. 169. Disp. 12. num. 5. Silv. V. lex n. 13. §.* Multa errores Gratiani non paucos notat. *Decretalium* vero, quas Greg. IX. edidit, maxima in iudiciis & scholis ratio habetur, quoniam id ab eo mandatum est, simulque vetitum, ne quis præsumat aliam Decretalium epistolarum Compilationem facere, absque sedis Apostolicæ auctoritate.

Illarum igitur, quæ à Pontificibus posterioribus emanarunt, legitima collectio, & publicatio expectatur, non minor futura præcedentibus, ut pollicentur Bullæ, quas diversi, præsertim *Laertius Cherubinus* magnis voluminibus comprehendit.

Alberic. Dis. de libris Iur. Can. Petrus Offerman. in Parati. Dis. 4. Laym. l. 1. tr. 4. c. 6. §. 3. Reginald l. 13. n. 200. & seq.

Ecclēsię Christi triplex potestas necessaria, & concessa est, Ordinis, Iurisdictionis, internę, & externę. Potestas Ordinis exercetur in consecratione corporis Christi, & administratione Sacramentorum. Iurisdictionis internę in ligando, & solvendo. Externę in præscribendis legibus, decidendis litibus, corrigendo, & puniendo. Huic potestati omnes cuiuscunque ordinis, & status Christiani subiecti sunt. *Matth. 16. v. 18. Ioan. 20. v. 21. Lucę 10. v. 16. Act. 15. v. 24. 1. ad Cor. 4. v. 1. 2. Cor. 13. v. 2. ad Hebr. 13. v. 17. c. sollicita De maior. & obed. Dist. 19. to. Inobedientes & contumaces pœna manet, spiritualis, vel corporalis, ad Rom. 13. v. 4. c. 4. f. & seq. dist. 16. Item Dist. 50. to.*

2. Iurisdictionis interna clavis appellatur *Matth. 16. v. 19.* quia cœlum referat: externa verò gladius, quia malos persequitur. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 3.* Illius forum animę reconciliationem intendens arctius est: huius limites ampliores sunt. Ad eam enim pertinet attendere & visitare subditos, inquirere in mores, & punire, mittere legatos, contumaces accersere, illorum audaciam compefcere, ad Concilium vocare eos, quorum interest, statuta in Concilio examinare, & confirmare, pœnã ecclesiasticã cœercere delinquentes, excommunicando, suspendendo, interdicens, ab iisdem Censuris absolvere, casus reservare, reservados tollere, dare Indulgentias, dispensare in votis, ac iuramentis, cœdemnare hæreticos, scripta illorum, antequam vulgentur, examinare, declarare, & exponere,

quinam sint veri articuli fidei, & Canonice scripturę, dubia de fide, & religione solvere, ritus & cæremonias ordinare, constituere Ecclesię ministros, beneficia ecclesiastica distribuere, de bonis ecclesiasticis disponere, canonizare sanctos, & quibus ritibus colendi sint, ordinare. Denique universam populi Christiani Remp. bonis legibus munire, ac defendere, subditos ad eternę salutis portum perducere. *Tolet. l. 1. c. 3. Reginald. l. 1. c. 3. Bellarm. l. 4. de Rom. Pontif. c. 16. Suar. l. 3. de legib. c. 5. & Tom. IV. in 3. par. dispu. 16. Layman. l. 1. Tract. 4. & 5. Alvar. Pelagius l. 1. De planctu Eccles. art. 13. Concilium Mussus in Conc. de Carb. Petri.*

3. Utraque potestas dividi potest in ordinariam, & delegatam: ratione subiecti autem, seu habentium iurisdictionem, in Papalem, episcopalem, & parochialem; quę differunt potissimum ratione originis & dependentię *Silv. V. Iurisdiction. Layman. lo. citato.* Nam summus Pontifex omnem potestatem suam, quemadmodum Apostoli olim, immediatę à Christo accipit, postquam legitimę electus est. *Ioan. 20. v. 21.* iuxta interpretationem *Chrysof. Theophil. Cyrilli, Cypriani & aliorum:* quia S. Petro succedit, non simpliciter, ut Apostolo, sed ut universali & ordinario pastori totius Ecclesię. Episcopi verò, quamvis in Apostolorum munus subrogentur, potestatem iurisdictionis, de quã loquimur, non à Deo immediatę, sed à summo Pontifice accipiunt, ut pluribus confirmat *Bellarm. l. 4. de Pontif. c. 24. Barb. de potest. episc. Par. T. 1. c. 1. Piascius in Praxi Par. 2. c. 1. Suar. l. 4. de legib. c. 4. & To. V. in 3. par. Disp. 1. sect. 2. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 7. S. 2. Bill. Tr. 11. c. 1. n. 22.* Hinc sequitur, quem-

admodum Pontifex pro totâ Ecclesia, sic pro sua diœcesi Episcopum, provincia sibi commissa legatum Apostolicum leges condere posse. *c. 2. De Const. c. 2. de mai. & obed. Tanner. II. D. 5. q. 5. nu. 99. Salas q. 95. D. 8. sect. II. Vasq. in 1. 2. de D. 153. c. 1. n. 5.*

4. Comitia Regni sunt; Concilia Ecclesiæ, eaque triplicia, Generalia, Provincialia, & Synodalia, seu diœcesana: sua singulis potestas legislativa convenit, accommodata materiæ, subditis, & territorio. Synodalia indicit Archiepiscopus: Diœcesana Episcopus: generalia non nisi à summo Pontifice indicuntur, eorumque placita ab eodem confirmantur, alias nullam vim habitura. *c. Canonis dist. 15 & ibi Barb. Tanner. Par. 2. Anatomia Confess. August. §. 10. n. 222.*

Conc. Trid. sess. 10. in Bulla Iulii III. Caietan. opusc. de compar. Pontif. & Concil. Turrescrem. l. 2. c. 71. Navar. Consil. l. 1. de Constit. Suar. & Laym. l. cit. Molanus de Rep. Tract. 5. c. 30. Alph. Castro. l. 1. adu. heres in V. Concilium. Tuschus eod. Rationem præstat vltus, & traditio nec alicubi legimus maiorem Concilii concessam potestatem esse. V. Bellarm. l. 2. de Concil. c. 13. Azor. II. l. 5. c. 12. & 13. Barb. in c. cit. Canones. Salas de legib. p. 172. In schismate igitur, ubi certus Pontifex non est, Conciliis licebit ea tantùm decernere & constituere, quæ ad præsentem Ecclesiæ statum, & futuram electionem necessaria videntur. Idem Cardinalium senatui vacante sede tribuitur, quemadmodum infra Tit. x. §. 2. & 3. latius explicabitur.

5. Quod Gratianus initio Dist. 18. scribit, Concilia Provincialia invalida esse ad definiendum, non tamen ad corrigendum, non est universè verum. Quamvis

enim ad definitionem eorum, quæ ad fidem, & mores totius Ecclesiæ pertinent, non se extendat illorum potestas, statueret tamen, & definire possunt, non quidè contra Ius, sed præter Ius, & si quid dubii occurrat, declarare, vel remove. Cognoscunt etiam de vitâ, administratione, & moribus episcoporum, corrigunt, & puniunt iuxta dispositionem antiquorum Canonum. *Dist. 17. 18. & 19. Conc. Tr. sess. 24. c. 2. Silv. v. Concilium nu. 9. Causæ criminales, & graviores contra episcopos summo Pontifici cognoscendæ & terminandæ relinquuntur. c. 5. eod. Bellarm. l. 2. de Conc. c. 7. Salas de leg. pag. 161. Azor. l. cit.*

6. Legatus Apostolicus in provinciâ suâ synodum cogit, quando necessarium esse videt. Metropolitanus verò per se ipsos, vel si impediti sunt, Coepiscopus, seu Suffraganeus antiquior, quolibet saltem triennio post octavâ Resurrectionis D. N. Iesu Christi, seu alio commodiori tempore pro more provinciæ synodum indicet; quo Episcopi omnes, & qui de iure, vel consuetudine interesse debent, convenire omninò tenentur. *Conc. Trid. sess. 24. c. 2. Pro communi subditorum bono leges, & statuta condere possunt; sed quæ in eiusmodi Conciliis statuta fuerint, publicari non debent, inconsulto Romano Pontifice. V. Congreg. Cardinal. declarat. num. 4. Em. Sa. V. Concilium. Vasq. l. 2. de q. 95. D. 152. c. 3.*

7. Ius ferendi leges, seu statuta & Constitutiones habent etiâ Generales ordinû Religiosorû in capitulo generali; & provinciales in provinciali, concurrente maiori suffragiorum parte: reliqui prælati ea præcipere possunt sibi subiectis, quæ ad observationem Regulæ perti-

pertinent. *Navar. Comm. 2. de Regularib. n. 63. Bonac. Tomo 2. pag. 8. Suar. l. 4. de leg. c. 6. n. 21. & Tom. 19. de Relig. l. 2. c. 8. Vasq. D. 153. c. 1. n. 5. Roderic. 1. Q. 67. art. 1. & 5. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 7. §. 8. Salas de leg. Q. 95. Disp. 8. sect. 12. Sed an prater aus supra Regulam? V. par. 1. sum. §. 7. tit. 15.*

VIII. Principum secularium leges, & statuta quantumvis honesta, & utilia nec libertati Eccles. inimica, nullam vim obligandi personas Ecclesiasticas habent quam diu à summo Pontifice, & Ecclesia approbata non sunt. *c. 1. 2. 3. & 4. dist. 10. Neque enim Imperium sacerdotio præest, sed subest. c. Sollicitas de maiori. & obed. c. Ecclesia de Constit. c. lege dist. 10. Quocirca leges in toto titulo de sacros. Eccl. & Titulo de Episc. & cler. tit. de Episcop. audientia. Auth. Constitutiones. De Sanctis. Episc. Reverend. Cler. & Monachis. de alien. rer. Eccl. ac similes, quatenus Imperatorum & civiles sunt, in foro conscientiarum clericos non obligant: at verò, quatenus cum iure naturali, divino, aut Canonico conveniunt, adeoque admittuntur & receptæ sunt, pari cum aliis necessitate obedientiam exigunt. v. Vasq. disp. 164. c. 4. Barb. in c. Ecclesia S. Mariae in Prætermis. & DD. quos magno numero allegat. §. NOTA. Statutum à seculari Principe contra Ecclesiasticam libertatem conditum Episcopus tollere, & illius observationem prohibere potest: etiam nullo citato. Felin. in c. S. Mariae num. 110. Tolet. lib. 1. cap. 37.*

IX. Eorum, quæ à summo Pontifice aliisve Eccles. Prælati constituantur, pro diversitate materiarum, seu modi aut finis, septem quasi species numerantur, *Dogma, Mandatum, Interdictum, Sanctio,*

Canon, Decretum, & Epistola decretalis. Dogma vocatur constitutio Ecclesiastica ad fidem pertinens, c. penult. de Consecr. dist. 5. Mandatum ad disciplinam pertinet: Interdictum ad correctionem præsentium, & imminentium malorum. Unde ab Edicto differt, quod hoc, ut Constitutio generalis jubeat aliquid, vel prohibeat instar legis universalis, nulla poena adiecta. c. Non oportet de Consecr. d. 4. Sanctio est constitutio poenalis, certam poenam transgressoribus ponens, cuiusmodi est in c. Si quis suadente. 17. Q. 4. Latius accepta omnem Constitutionem sive Pontificis, sive Regis aut Principis significat. Canon dicitur Constitutio, quæ in Concilio Generali, vel Provinciali promulgatur. Exemplum de Generali habes in c. Nonnulli de Rescript. de Provinciali in c. 12. de so. comp. Decretum propriè est, quod Papa consultus cum Cardinalibus assensum præstantibus super aliquo negotio conficit, & in scripturam redigit. Exemplum habes in c. Etsi membra de his, quæ sunt, à Prælato sine consensu Capituli, & Can. Generali 15. Q. 1. Denique Epistola Decretalis est, quam summus Pontifex alicui de certâ te sedem Apostolicam consulenti scripto transmittit, sive solus c. 1. de Rescript. sive consilio statutum. c. Bona memoria Moguntinensi. De elect. Hæc omnia tamen sæpè non observato discrimine pro se invicem usurpantur.

Addi præcedentibus potest *Motus proprius, Responsum SS. Patrum, Præceptum, & Pragmatica sanctio. Motus proprius dicitur, cum Pontifex, sive Princeps nullius interveniente consilio, aut suatu, vel petitione aliquid constituit. Responsum SS. Patrum est dictum ad interpretandum seu respondendum.*

spondendum, & in corpore Iuris clau-
sum. Præceptum à mandato vix distingui-
tur, nisi præceptum ad singulares perso-
nas tantum: mandatum vero etiam ad
communitatem pertinere velis. *Decius in*
C. de mandatis Princ. p. 200. & seq. Prag-
matica sanctio appellatur, quod ex consi-
lio Procerum Imperator sanxit, & con-
stituit. l. ult. C. de din. refer. & ibi Glo. e. Per-
venit dist. 100. Vallens. l. 1. T. 2. §. 2. Salas de
leg. pag. 5. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 1. Decianus l.
2. c. 30. num. 23.

§. 3.

De vi, & obligatione Canonum.

I. **L**egis virtus est, imperare, vetare,
permittere, & punire. *c. Omnis lex*
dist. 3. quò reducitur translatio domi-
nii. *Vivianus l. 1. Decretat. T. 2.* Verum ut
Canon aliquis, vel Ecclesiastica lex con-
scientiam obliget, legitimam promulga-
tione opusest. Ita communiter sacri, &
profani DD. Et patet ex *c. in istis dist. 4.* leges
instituuntur, cum promulgantur, firmantur,
cum moribus utentium approbantur. Idem di-
citur in *C. T. de legibus, & Auth. ut facta no-*
va Constitutiones. Valere nimirum leges,
ex quo in communi factæ sunt manifestæ
Ad eò, ut hæc conditio legis essentialis
esse censeatur, nec ulli Magistratu liceat
aliter ullam subditis obligationem im-
ponere. Vnde passim excipientibus ve-
nia datur, *Non scivi. Ignoravi. Dynus in*
Reg. 13. iur. in 6. Nav. Pralud. 9. Sayrus
l. 3. c. 1. Roder. l. 2. c. 6. art. 3. Barb. in
c. cit. in istis. Salas de legibus. q. 95.
disp. 1. Serar. disp. de leg. num. 54. &
seq. Vasq. disp. 155. Silvest. q. 6. Soto l.

1. de iust. q. 1. art. 4. Valent. disp. 7.
q. 5. pun. 5.

II. Leges Ecclesiasticæ non obligant,
nisi post duos menses à promulgatione
facta elapsos, nisi aliud expressum sit. Ita
jure civili sancitum est in *cit. Auth.* cui non
contradicit jus pontificium sed *Pius IV. in*
Bullâ pro Conc. Trid. manifestè approbat
jus commune, quod iubet leges non ob-
ligare statim, sed post certum tempus vi-
delicet duorum mensium, ut eò facilius
innotescant subditis & exculationum
causæ amputentur. Neque interest, an-
te terminum illum constare aliquibus
vel etiam omnibus factam esse legis pro-
mulgationem, quæ obligatio illius abso-
lutè suspensa manet per voluntatem le-
gislatoris, donec duorum mensium spa-
tium effluxerit. *Antonin. c. 2. de Constit. Na-*
var. c. 23. n. 44. Decius, Valentia, Medina
Tanner 11. dist. 5. q. 6. d. 1. num. 3. Less. c. 22.
Dub. 13. qui addit, quamvis promulgata
lex sit, si tamen ipso usu non recipiatur,
nec superior urgeat observationem, non
obligare. Imò Conciliorum generalium
decreta, quæ per decennium observata
non sunt, amittere vim tuam docet *Na-*
var. l. 3. Consil. 83.

III. Neque facta Romæ promulga-
tio sufficit, sed in singulis provinciis, aut
diocæsisibus (cum aliter constitutum
non est) fieri debet. Ita multi DD. *apud*
Azorium 11. l. 5. c. 3. Ex recentioribus Mel.
Tract. 2. disp. 395. Barb. l. 3. Votor. Decisiv.
pag. 293. Reginald. l. 13. num. 156. Zypæus
Consultat. 1. de Constitut. & l. 1. de iuris d. Ec-
cles. c. 63. Roderic. l. 9. c. 66. art. 2. Emman. Sa.
v. lex n. 8. Nicol. Serarius disput. de legibus
n. 56. Ratio sufficiens est, Iuris Civilis di-
spositio valet, ubi in jure Canonico nihil
defini-

definitum reperitur. *Ostiens. & alij apud Roderic. l. 1. q. 66. art. 2. Auth. ut facta nova Constitutiones.* quam omnes DD. ita intelligunt & agnoscit *Navar. Consil. 1. de Constitut. q. 4.* dicens opinionem hanc in jure scripto fundatam esse. *Confirmatur.* Eadem causæ, quibus Imperatores permoti sunt ad prædictam sanctionem, in sacris Canonibus locum habent, nimirum 1. ut facilius in omnium notitiam leges deveniant. 2. ne subditi turbentur, dum alii legis observationem urgent, alii, an promulgata sit, ignorant. 3. ut eatenus consularum locis & provinciis longè distantibus, quas alioquin contingit integris annis ignorare jura, quæ in vicinioribus observantur. Nobis certè, qui non ad eò remoti sumus, Pontificum Bullæ quadam non nisi libros Auditorum, qui Casus explicant & iis tantum, qui eos legunt, hæcenus innotuerunt. Vnde non paucis dubia, & scrupuli enatisunt, quibus tollendis maximè conducit opinio hæc, non obligare leges & Decreta, nisi in singulis provinciis promulgata sint. Quod etiam de Bullâ Cænæ Domini, quæ ab Episcopis nostris nunquam promulgatur, dicendum est cum *Becano c. 6. q. 8.*

Quod minus mirum videatur considerantibus, ne quidem Conc. Trid. Decreta omnia de Refrom. à quibusdam Episcopis Germaniæ recepta esse, quemadmodum experientia testatur: ut neque in Galliæ regno usque ad annum 1615. teste *Gualterio in Chronol. suâ pag. 820.* Causas enumerat *Thuanus l. 1. 05. historiar. ad Annum Christi 1595.*

IV. Privilegia alicui vel aliquibus concessa, facultates, & Indulgentiæ non

consentur revocatae aut extinctæ, antequam revocatio illorum innovavit. Hanc esse communem opinionem juris utriusque Doctotum ex *Abb. & Felino tradit Azor. l. 1. c. 3. q. 6. At Domin. Soto, & Medina* consuetudine introductum volunt, ut necessaria sit revocatio privilegiorum (Generalium scilicet) in singulis diæcesibus, aliàs non censeri cum effectu revocata. Vnde sequitur, particularium privilegiorum revocationem legitimè notificandum illis, qui ea hæcenus obtinuerunt.

Ratio. quia in specie natura generis continetur. Cùm ergò legi in genere essentialiter conveniat promulgatio, dubitari non potest, eandem convenire etiam legibus revocatoriis. Nec alia Pontificum mens, certè non debet esse, ne nimium graventur conscientiæ, & subditi, quibus non est perspecta satis Præsulum voluntas perturbantur.

Hinc deducitur (ut pro multis unum exemplum adferam) Confessarium, cui data facultas erat, absolvendi à reservatis, absoluturum validè post facultatem, inscio ipso privatim revocatam. *Bonac. Tom. 2. pag. 92. n. 22. Henriq. l. 7. c. 20. num. 1. Salas de legib. disp. 12. sect. 1. Suar. l. 8. de leg. c. ul. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 23. num. 28. Reginald. l. 13. c. 16. num. 157. & n. 240. Fill. Tract. 21. c. 11. n. 398. Soto l. 1. de iust. q. 1. art. 4. Vasq. disp. 156. c. 4. num. 26.*

V. Quemadmodum leges politicæ non obligant, nisi acceptentur, ita nec Ecclesiasticæ. De politicis manifestum est ex *Arist. l. 2. Polit. c. 6. & l. de quibus. 7. de leg. Ipsa leges nulla alia de causa nos tenent quam quod iudicio populi recepta sunt. Resp.*

B

enim.

e nimirum cum hac limitatione potestatem suam Regibus censeatur reliquisse, ut ex pactis, & statutis Regnotum liquet. *Lymnau de Capitulation b. i. holo. l. 42. Synagm. c. 20.*

De Ecclesiasticis legibus minor certitudo est, quod à Deo ipso concessa putetur Ecclesiæ legum ferendarum potestas. Nihilominus non nisi in Ecclesiâ bonum referri ex 2. *Cor. 13. v. 10.* colligimus, ubi Apostolus dicit, prelatos Ecclesiæ accepisse à Christo potestatem non in destructionem, sed ædificationem. Ex quo coniectura sumitur, Pontificem nolle fidelibus iugum imponere, vel occasionem præbere peccandi, & contradicendi: hos vicissim obedientiam præstituros, quam dum imperia moderata sunt. Etenim nihilominus posse, ut defectu non acceptationis ex rationabili causâ oræ lex aliqua non obtineat, quemadmodum non usu quoque obliterari potest. Exemplum habes in *c. In istis dist. 4. Telephorus Pontifex mandarat, ut clerici à quinquagesimâ usque ad Dominicam Resurrectionis, id est, septem hebdomadis ieiunarent. Id verò moribus approbatum non est, adeoque transgredientes à peccato immunes sunt.*

Esse modum hunc Iuri conformem patet ex *c. si quando de Reser.* ubi *Alexander III.* declarat, licere Rescriptum suum non exequi, donec plenius informetur. Simile quid habetur in *c. Cum tepeamur. de prebendis. Glo. in c. vir. de secun nupt. c. Cum olim. De cler. coniug. c. 1. de treuga & pace.* ubi communiter DD. præsertim *Felinus. Navar. Covar. Valent. Salyr. Azor. Henricus Tract. de synodu par.*

3. art. 2. Salas. q. 96. disp. 13. sect. 1. notans prædictos Auctores nisi præsumptâ voluntate legislatoris ferentis legem eâ conditione, ut non valeat, nisi iuu recipiatur. Nam *c. fin. de consuet.* dicitur, leges contrariâ rationabili, & præscripta consuetudine tolli. Quod adeo verum est, ut si lex Pontificia, etiam Concilij generalis, vel Imperatoris à maiore parte populi, prætextu rationabilis causæ, non sit recepta, contra eam præscriptio fiat, quis in se o legislatore, quæ ipatio decem annorum abluatur. *Navar. Consil. 1. de Constit. q. 5. Azor. 1. l. 5. c. 4. q. 4. Suar. l. 4. de legib. c. 6. Less. l. cit. num. 98. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 3. num. 4. Præsecus. Par. 2. c. 5. num. 34. Zypaus l. 1. de iurisd. c. 6. Caranvel. in Reg. S. Benedict. 819.*

DXI Minorem esse certitudinem de legibus Ecclesiasticis quoad acceptationem, ad indicandum, fieri posse, ut summus Pontifex legem ferat absolute & independentem à populi consensu, & approbatione. Non enim ut supra diximus, & in *Par. 1. Summa Tit. 14. §. 2.* declarabitur, ab Ecclesiâ vel fidei populo, sed à Christo immediate jurisdictionem suam accipit. Igitur si legem justam, utilem & necessariam fecerit cum intentione obligandi omnes absque ullâ difficultatione & contradictione recipienda est, nec licebit rejicere illam aut declinare, sed sola humili supplicatione poterit eius vel mitigatio vel abolitio peti. *V. Lud. Carbonem l. 3. de legibus. disput. 10. Valent. 11. disp. 7. q. 5. puncto 5.*

VI. Acceptatio legis cum Ecclesiasticæ, tum politicæ fieri tribus modis potest, *Primo* per consensum populi tacitum,

tum *c. In istis dist. 4.* Secundo voce aut scripto. *Bonac. Tomo 11 pag. 13. n. 25.* Tertio per communem observationem. *dist. 19. c. In Canonicis.* Sufficit autem maiorem populi, aut subditorum partem consentire juxta *Reg. Iuris 120.* Refertur ad universos, quod publice fit per maiorem partem. Vbi *Decius in 5. Refertur.* Dynus in *Reg. 29 de Reg. Iur. in 6. Navar. de Const. consil. 1. Becanus. c. 6. q. 8. Azor. 1. l. 5. c. 4. Salas disp. 13. sect. 1. Diana Par. 1. Tract. 10. Resol. 8.*

Quid autem Communitatis nomine comprehendatur, in obscuro est, nec haecenus à quoquam ita explicatum dicitur *Carlo*, ut omnis omnino dubitatio cesset. Comprehendi non remotam, qualis est omnium Christi fidelium, sed proximam, puta regni, vel diocesis arbitror, ita ut si aliquid receptum sit in Italia, Hispania & Gallia (posito maiorem in illis fidelium partem esse) non continuo receptum sit in Germania: sed si in diocesi Metropolitana maior cleri & populi pars legem aliquam observent, non excusabuntur alii non observantes, qui sese maioribus accommodare debent. *Silv. v. lex. q. 6. Azor. 1. l. 5. c. 4. q. 4. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 3. n. 3. Suar. l. 4. de leg. c. 16. Salas de legib. q. 96. disp. 13. sect. 2.*

VII. Idem videtur dicendum de statutis, & Decretis summorum Pontificum, quæ solos Regulares concernunt, quando non sunt legitime promulgata, & acceptata. Quamvis enim Religiosi omnes specialiter obedire teneantur summo Pontifici, ut supremo Ordinum regularium Generali, quemadmodum plaribus explicat *Rodericus in parte 1. q. 17.*

art. 3. ab eoque compelli possint ad acceptandum & observandum mandata sua, si tamen ex rationabili causa (quod superioribus relinquatur) acceptata non fuerint, ab omnibus videlicet, quando communia omnibus sunt, aut maiori ac saniori parte, subditi excusantur, nisi aliud in ipsa Constitutione seu decreto expressum sit. Superiori autem cuilibet non tam attendendum est, quid aliorum Ordinum Prælati faciant, à quibus forte Bulla non acceptatur, quam quid Ordinis sui supremas Magistratus velit, penes quem est, etiam ab aliis neglecta aut reiecta admittere, ac suis præscribere. Quo in eventu tamen magis ex speciali voluntate superiores Religiosi, quam communi Ordinum, quibus impositum est mandatum, consensu obligatio manet. *v. Roder. l. cit.*

VIII. Ex dictis sequitur, eos, qui inculpabiliter ignorant legem aliquam latam, vel promulgatam, & acceptatam esse, in foro conscientia à peccato excusari, si non observent. Quamvis enim vulgò non iuris, sed facti ignorantia excusare putetur juxta *Reg. 13. in 6.* id de foro externo & judiciali, non autem interno accipiendum est: Et in nostro casu non solius iuris, sed facti quoque ignorantia cernitur: quia promulgari, & acceptari legem ad fieri & factum esse refertur.

Idem dices de illis, qui post sufficientem inquisitionem de obligatione legis dubitant. *c. Cum in tua. qui matrim. accus. pass. c. Cognoscentes de Const. Azor. 1. l. 2. c. 16. q. 1. & c. 19. q. 12. Merolla Tomo 1. disp. 3. c. 3. dub. 2. Silv. v. Lex. n. 7. Armilla. v.*

Ignorantia. n. 8. Navar. c. 27. num. 141. Reginald. l. 13. num. 162. Henric. l. 8. c. 43. num. 3. Sanch. l. 1. Moral. c. 10. num. 32. Suar. v. disp. 40. sect. 5. num. 15. Emm. Sa. v. Dubium num. 2. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 20. num. 4. Bardus Discept. 6. c. 2. Vallens. l. 1. Decretal. T. 2. §. 3. Tolet. l. 8. c. 1. num. 7. Filliut. Tract. 21. c. 4. num. 159. Escobar. Exam. 2. c. 5. num. 17. Barb. in Pratermissis ad c. Dubius de heret. extendens ad ea quæ Fidei sunt,

§. 4.

De dispensatione Canonum.

Differunt non modicè quatuor hæc. Irritare legem, abrogare illam, interpretari per *extenuat*, & dispensare. Irritare est legem, seu Notum impedire aut cassare, ne robur & vim obtineat obligandi. Ut si a civibus formata legem Rex non confirmet, vel approbet. Abrogare legem est, postquam vim habet, in totum tollere: derogare eam tollere secundum quid, seu aliquam partem. Interpretari per *extenuat* est ipsam declarare in tali casu locum non habere. Dispensare est quempiam subditorum eximere concessa illi licentiâ non observandi legem, sed contrarium faciendi. Sotol. l. de iust. q. 7. art. 3. Azor. l. 5. c. 15. Filliut. Tract. 21. num. 435. Reginald. l. 13. c. 19. n. 186.

Igitur dispensationis virtus seu effectus est, ut licitum efficiat, quod aliâs de jure illicitum est. Glossa c. non debet de elect. Geminianus, & Parisius apud Rodericum Tomo 1. q. 22. art. 1.

2. Potestas dispensandi duplex est, ordinaria, & delegata. Hæc absolutè con-

cessa morte delegantis, & officii amissione desinit: secus, si sub conditione detur, Ad beneplacitum Sedis Apostolicæ, vel Papæ. Duplex item est modus dispensandi, explicitus, qui verbis convenientibus, vel scripturâ fit, & tacitus, per aliquod aliud signum, ut factum: ut si Pontifex alicui excommunicato sciens beneficium Ecclesiasticum tribuat. Censetur enim ipso facto tollere impedimentum, dispensando in lege communi, quemadmodum Silvester tradit in V. Dispensatio. n. 21. & uberiùs explicatur à Laymanno l. 1. Tract. 4. c. 22. n. 7. & seq.

3. Summus Pontifex ordinariâ potestate dispensare potest in omnibus humanis legibus, adeoque in toto Iure Canonico, quamvis ab Apostolis immediate constitutum esset. Ita communiter DD. cum Covar. in 4. Decret. part. 2. c. 6. §. 9. Nam licet Apostolis quoad alias virtutes, & prærogativas cedat, potestate tamen æqualis est, utpote Vicarius Christi. Unde Ius Ecclesiasticum totum, cum omnibus impedimentis & casibus illius arbitrio, & dispositioni subiectum est. Nec eximendæ sunt leges civiles, de quibus ad finem supernaturalem æquè iudicatur, tollendo illas vel corrigendo, ut infra Tit. 14. §. 2. dicitur. Et fatentur hoc illi quoque auctores qui aliâs Concilium generale Papæ anteponunt, teste Corduba l. 4. q. 44. Moscon. De maiest. Eccl. l. 1. c. 1. Fran. Leo in thesau eccl. par. 2. c. 23. Sayrus l. 6. c. 11. Azor l. 5. c. 15. q. 4. Suarez de legib. l. 6. c. 14. Carbo l. 7. c. 13. Salas q. 97. Disp. 20. sect. 3. Melch. Can. de locis Theol. l. 3. c. 5.

4. Præterea summum Pontificem habere potestatem dispensandi in omnibus quæ Iuris divini sunt, exceptis Fi-

dei ar-

dei articulis, cenſet *Panorm.* in c. *Propoſuit.* De conceſſ. præl. e. id. num. 20. citans *Innoc.* in c. *Cum ad monaſt.* de ſtatu Mon. Idem tradit *Felinus* in c. *Qua in Eccleſiar.* De Conſt. nu. 19. & 20. quod confirmant illa *Marth.* 16. capite. *Quodcunque ligaueris ſup. r. terram, erit ligatū in calis; & quodcunque ſolueris ſuper terram, erit ſolutum in calis.* Exempla dantur in Voto, Iuramento, Matrimonio rato, reſidētiā episcoporum, Miniſtro confirmatio- nis, conſecratione unius tantūm ſpeciei & ſimilibus, Cōtrarium meliores Theo- logi docent, S. *Thom.* 1. 2da q. 67. artic. 4. quem ſequuntur Interpretes illius, & *Barboſa* cum numeroſo agmine Docto- rum. c. ſunt quidam. 25. q. 1. qui in allegatis exemplis non agnoſcant veram diſpenſationem, ſed vel interpretationem aliqua doctrinalem, vel mutationem, aut ſub- tractionem materiæ, v. g. debiti in Voto Iuramento, & ſimilibus. V. *Iudicium De priuil.* *Calvin.* n. 10. Quod ius gentium at- tinet, in eo (ſi non toto, ſaltem ex parte Papam diſpenſare poſſe, cum gravis cau- ſa id laudet cum *Molina* docet *Salas* q. 97. D. 20. ſect. 3. n. 12. Quod ius naturale atti- net, in eo ne *Deus* quidem diſpenſare po- teſt, quicquid in contrarium recens ſcripſerit *Caramvel* in ſua *Theologiā Mora- li,* *Comitolp.* De *Contract.* P. 1. c. 15. ſecutus iam pridem *Okami,* & aliorum quorundā reprobatam opinionem.

5. Prælati Eccleſiæ inferiores regula- riter, & ordinariè non poſſunt diſpenſare in legibus à ſummo Pontifice aut Con- cilio generali latis. *Clem. ne Romani* De e- lect. ubi dicitur inferiorem non poſſe tol- lere legem ſuperioris, intellige abrogan- do, vel diſpenſando. Idem colligitur ex c. *inferior.* De *maior. & obed. c. inferior.* *Diſt.*

21. c. *dilectus iun.* Glo. V. *Permiſſa.* De temp. or- din. Ratio eſt. Inferior ſuperioris ſui volū- tatem irritare vel impedire ſuo nuru, & arbitrio non poteſt. Adde, quod diſpen- ſatio, iuriſdictionis actus eſt, qui ſubdito non convenit. *Silv.* V. *Diſpenſatio* nu. 14. & 15. *Nar.* c. 22. r. 8. *Laym* l. 1. Tr. 4. c. 22.

Contrarium nihilominus docet *Do- min.* *Soto* in 4. diſt. 27. q. 1. à quo omninò diſſentit *Victoria* in *Relect.* De *potest.* *Eccleſi.* n. 18. quibus hæc regula placet. *Quicquid Pa- pa in uniuersali Eccleſiā poteſt, unusquisque E- piſcopus in ſua diœceſi poteſt, quoad diſpēſandū, niſi ſpecialiter prohibeatur.* Quod etiam multi Canonice recipiunt in c. *Ac ſi Cleri- ci* §. *de adult.* De *Iudic.* ut videre eſt apud *Felinum,* & alios. Sed nihil agunt, quan- diu non demonſtrant, æqualem his cum ſuperiore Magiſtratu poteſtatem eſſe. *Rodericus Tom.* 1. q. 22. ar. 8. bene animad- vertit, quamvis in lege ipſā diſpenſandi licentiam non habeat Prælati inferiores in pœnā tamen diſpenſare poſſe, modò non ſit reſervata.

Exemplum habes in c. *Nuper de ſen. ex- com.* ubi communicans cum excommuni- cato declaratur excommunicatus; cujus abſolutionem quam ſibi conditor cano- nis non reſervavit, videtur aliis reliquiſſe diſpenſandi poteſtatem.

6. Epilcopi, & alii Pontifice inferio- res prælati in decretis Conciliorum ge- neralium, & ipſius ſummi Pontifici diſ- penſare poſſunt in ſequentibus caſibus. *Primò,* quando in ipſis poteſtas concedi- tur: quod aliquando fit per clauſulam generalem; aliquando in particulari casu quem lex nominat. *Secundò,* quando de voluntate ſummi Pontificis rationabili- ter præſumitur, puta 1. cum materia levis eſt.

est, vel præceptum non rigorosum 2. cum frequenter occurrit necessitas 3. cum lex non est universalis, sed pro certa provinciâ aut diocesi. Porro necessitatē adfert paupertas, impotentia ad eundem sedem Apostolicam, periculum in morâ animæ ruina, & similia *Navar. c. 22. n. 85. Laym. lo. cit.*

Fieri etiam potest, ut Episcopus aliquis legitimè præscriptâ consuetudine dispensandi facultatem sibi ac successoribus suis comparât. *Valent. l. 2. Dis. 7. q. 5. pun. 9. Laym. l. 1. Tract. 1. c. 22. n. 4. Roder. lo. cit. art. 9. Salas De leg. Disp. 20. Suar. l. 6. de leg. c. 14. Silv. V. Dispensatio n. 14. Franc. Leo in thesau. Eccles. Pa. 2. c. 23. n. 42. Piascius par. 1. c. 1. nu. 56. & sequen. Emm. Sa V. Dispensatio* Quandoquæ dubium est, an casus ad summum Pontificem spectat, dispensare Episcopum posse, cum ejusmodi dubia frequenter occurrant, probabile est. *Salas d. 20. sect. 3. Tanner. 11. D. 5. q. 7. n. 25. Emm. Sa V. Dispensatio n. 1.*

7. Dispensatio absque rationabili causâ à quocunque etiam summo Pontifice facta illicita est. Ita communiter DD. paucis exceptis. Et colligitur post antiquos Canones ex *Conc. Trid. sess. 25. c. 18. De reform. ubi leges. Si urgeas, iustaque ratio & maior quandoque utilitas postulaverint, cum aliquibus dispensandū esse, id causa cognita, ac summa maturitate erit præstandum, aliterque facta dispensatio surreptitia censetur.*

Valebit tamen dispensatio, si Papa aut Episcopus in propria lege dispenseret, ut Interpretes docent *Felms, & Decius in c. Quia in Ecclesiarum. De Constit. c. ad monasterium de statu Monach. Sanch l. 8. de Matrim. Disp. 17. cum aliis multis. Quælibet e-*

nim lex pendet à voluntate auctoris sui, quâ cessante cessat obligatio. Nec subditorum est anxie scrutari, benè, an malè faciat superior in dispensando. *Fillut. Tract. 21. n. 440. Vasq. D. 178. c. 3. Navar. Pralud. 9. Em. Sa. n. 17.*

Quod Regularium Prælatos attinet, *Sayrus l. 3. c. 10. n. 11. & Caramvel. in Reg. S. Bened. n. 7. 9* docet Abbatem in legibus suis absq; causa dispensare posse, nec ideo ullius, vel minimi peccati reum fieri.

8. Causæ dispensandi generatim loquendo tres sunt. *Prima est utilitas communis, vel etiam privata & singularis. c. Tali l. 4. 7. Secunda necessitas similiter publica aut privata. c. quoniam ibid. Tertia, pietas. c. si qui, ibid. c. ipsa pietas. S. verum. 23. q. 4.*

In particulari occurrere innumerabiles casus possunt, qui viri prudentes arbitrio subduntur. *Azor. l. 1. c. 15. q. 7. & 8. Roder. Tom. 1. q. 22. art. 5. Bonac. Tom. 2. pag. 61. Silv. v. dispensatio. n. 3. Armilla n. 13. Sanchez. l. 4. Mor. c. 25. & l. 8. De Matrim. Disp. 19. num. 1. Navar. Pralud. 9. n. 15. Laym. loco c. 1. Salas. q. 97. D. 20. sect. 8. Barb. in cap. sunt quidam 25. q. 1. Tolet. l. 8. c. 18. Regin. l. 13. c. 19. n. 194.*

Iam quia eadem causæ in superioribus aliquando conspiciuntur, secum ipsi dispensare possunt, iuxta doctrinam *S. Thom. 2. 2. de q. 187. art. 8. quem sequitur Cæter. Silv. & alii.* Non enim hîc distinctio personæ necessaria est, quemadmodum in absolutione à peccatis, & censuris, cum non sit actus iudicialis. Aliqui tamen suadent, ut Confessario suo dispensandi licentiam Prælati tribuat, *Henric. l. 6. c. 4. §. 3. Suar. l. 6. de leg. c. 19. n. 15. Fill. Tract. 21. c. 11. Salas. q. 97. disp. 20. sect. 12.*

9. Quia

9. Quia ad legitimam dispensationem cognitio causæ requiritur, saltem in Prælati inferioribus, si in supplicatione taceatur aliquid, aut falsò narretur, quo cognitio superior non dispensaret, dispensatio invalida est, quia involuntaria: nisi in concessione addatur clausula *Motu proprio*. Hæc enim facit 1. ut dispensatio conceatur magis voluntaria, quam si detur ad instantiam postulantis. 2. ut non putetur surreptitia, quasi veritas celaretur in petitione, aut eius loco poneretur falsitas. 3. ut nunquam retorquea ut contra eum, cui conceditur. *c. ul. de fil. presb. in 6. Bonac. Tom. 2. p. 65 Panorm. inc. Venerabil' Quis fil. sint legit. Roder. 1. q. 13. art. 17. Covitoll. l. 1. q. 04 Navar. c. 2. n. 86.*

Dixi ad legitimam dispensationem, requiri causæ cognitionem, non vero ad validam. Valebit enim dispensatio sine cognitione causæ impetrata. *Salas. q. 97. disp. 20 sect. 9. Sanch. l. 8. de Matr. disp. 1. 7. n. 11.*

10. Dispensatio semel validè obrenta, etiam post mortem eius, qui concessit, perdurat. Nam quia gratia & favor est, non concedenti, sed accipienti, & utenti in esse censetur, & cum illo vivere. *c. Cum super. de off. de leg. in 6.* Hinc quoque, exempli gratiâ solutus est lege ieiunii quadragesimalis ab initio, per omne tempus quadragesimæ solutus & exemptus manet, quamvis in primâ hebdomadâ concedens moreretur. *c. si cui de prebend. in 6. c. 19. & 20. de off. iud. deleg. Navar. Consil. 2. de off. iud. del. Item Consil. 1. & 3. de privil. Silv. V. Gratia n. 3. Armilla n. 4. Emm. Sa. eod. n. 1. Sayr. l. 7. c. 14. n. 7. Sanc. l. 8. de Matrim. d. 28. Suar. l. 8. de leg. c. 31. Azor. l. 1. c. 23. q. 4. Coninck, de Sacram. disp. 8. d. 10. n. 70. & seq.*

11. Cessante causâ dispensationis finali, propter quam solam facta est, negativè tantum, non continuo cessat concessa per illam gratia, ut neque in privilegijs contingit. Nam beneficia concessa intempestivè revocari non debent. *c. un. de commodato. & c. Decet concessum. de Reg. iur. in 6.* Et patet exemplis. *Primo* enim si cum paupere clerico dispenseretur, ut habeat duo beneficia, quamvis paupertas desinat, retinere potest. *Secundo* si per dispensationem Canonico valde occupato liceat anticipare horarum lectionem, etiam si negotia deseruit, vel non quotidie adfuit, anticipare potest. *Tertio*, manet absolute facta dispensatio voti Castitatis ita, ut etiam sublato illo periculo mulier secundò nubere possit. *Secus* si ut hoc tempore morosus, dispensatio cum restrictione fiat.

Statem dispensationis causâ cesset etiam contrariè ita ut actus subsequens absque peccato fieri nequeat, cellabit etiam beneficium per eam concessum. *Exemplum* vide Propter necessitatem monasterij, & abundantiam Ecclesiæ, huius illi Decimæ concessæ sunt, quas monasterium dimittere debet, si sua in Ecclesiâ transferit paupertas.

Item si in ieiunio, vel horarum lectione cum aliquò dispensatum fuerit propter morbum aliamve impotentiam, eâ sublata reviviscit obligatio ieiunandi, & legendi horas, quia eiusmodi obligatio de se continua, & perpetua est. *Sanch. l. 8. de Matrim. d. 30. n. 14. Suar. l. 6. de leg. c. 20. & l. 8. c. 30. Layman. l. 1. Tract. 4. c. 2. n. 16. Coninck, de Sacram. disp. 33. dub. 1. & 2.*

§. 5.

De abrogatione Canonum.

I. Cuiuscunque jus ferendi leges competit, mutare easdem, vel etiam abrogare potest, quando noxiæ, vel minus utiles videntur, exemplo videlicet DEI, qui legem veterem abrogavit. *c. Non debet. de cons. & aff. unde s. Aug. l. 1. de lib. arb. c. 6.* humanam legem temporalem vocat, quia licet iusta sit, pro temporum varietate mutari potest, ac subinde debet, nimirum ab eo, à cuius voluntate pendet. Nam quælibet res per quas causas nascitur, per eandem dissolvitur. *c. 1. de Reg. iur. de quo V. Barbos. in Axiom. 199. n. 8.*

Atque ea potestas successori quoque convenit, ut qui in omnia jura succedens eandem habere potestatem censetur. *c. Cum innotuit. de elect. l. Qui in ius. l. aliud. §. fin. l. Nemo plus. de Reg. iur. Reg. 46 in 6. §. qui. ubi Dynus. & Decius. Tholos. l. 47. c. 20. & l. 9. de Rep. c. 1. n. 40. Medina in 1. 2. q. 95. Serarius disput. de leg. n. 64. Soto l. 2. q. 7. ar. 1. Carbol. 7. disp. 10. Escobar Exam. 1. c. 11. V. asq. disp. 178. c. 1. n. 3.*

II. Summus Pontifex non tantum Canonicas, sed etiam civiles leges abrogare potest, si bonis moribus, & animarum saluti noxia videantur. Est enim à DEO constitutus Iudex in iis, quæ ad disciplinam ecclesiasticam pertinent, omnium Iudicum, etiam aliàs non recognoscentium superiorem. *c. Novit. de jud. ubi Abb n. 15. & Felinus num. 14. Franc. Leo in thesau. Eccles. P. 1. c. 1. num. 33. Barb. inc. Omnes dist. 22.*

Quamobrem non paucas Imperatorum leges abolitas comperimus apud Azorium Tom. 1. l. 5. c. 20 & Sylv. V. lex. n. 10. Hodieque non desinit Papa per nuncios suos contradicere pactis, & conventionibus, quas A catholici extorquent cum iniuriâ, & damno Ecclesiæ. Insuper jubet irrita esse Imperatorum, & Regum juramenta, quæ de conservandâ fassa Religione, dum confirmantur, aut coronantur edere solent. *Lymnæus in Comm. de capitul. imp. Nec mirum siquidem idem illi cum DEO tribunal est, unum idemque consistorium, ut Moscovius loquitur l. 1. de maiest. Eccl. per. 1. pag. 26.*

III. Episcopi & Prælati summo Pontifice inferiores non possunt ullum Canonem à Concilio generali, vel Papæ conditum propria auctoritate in sua diœcesi, aut territorio abrogare. Patet ex §. preced. num. 3. & Clem. Ne Romani de elect. c. Cum inferior. de maior. & obed. adde, quod contra Canones & Decreta Conciliorum ac Pontificum non licet illis quicquam statuere. *c. Quod super his. de ma. & obed. ubi supponitur, Episcopum in diœcesi sua nihil statuere posse, quod Canonicis obviet institutis. Casus specialis est, de quo Roder. Tom. 1. q. 69. art. 4. quod ex causa urgente, & à conditore Canonis verosimiliter non præsumpta fieri possit statutum contrarium, quod pluribus exemplis declarat. Verum benè consideranti statim occurrit, eiusmodi statuta non fieri contra voluntatem superioris, à quo ius commune habemus: quia merito præsumitur consensum addere in illis casibus, quos ipse prævidere non potuit. Quod pari jure de illis, quarundam provinciarum, & civitatum legibus,*

gibus dicendum est, quæ Iuri communi derogare videntur. Cum enim Magistratus superior non contradicat, sed sciens volens toleret, iapprobare præsumitur. *V. Iul. Clar. l. 5. q. 36. Azor. To. 1. l. 5. c. 18. q. 11.*

4. Lex semel recepta, & usu comprobata vim obligandi amittit per legem ipsi contrariam, siue totaliter per abrogationem, siue partialiter per correctionem, aut restrictionem iuxta correctionis, & restrictionis qualitatem.

Nam superioris posterior voluntas priori derogat, etiam nullâ prioris Decreti facta mentione, c. 1. *De constit. in 6. Gorzal. ad Reg. 8 Cancell. Spin. in speculo testam. Glosa 30. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 21. n. 2. Reginald. l. 13. c. 19. n. 198. Euerh. in loco A coniunctis nu. 7. Barb. in c. cit. Excipe Decreta Conc. Generalis, quorum expressè mentio faciendâ est.*

5. Privilegia & consuetudines particulares personarum, ordinum & locorum non censentur abrogari per leges communes, & clausulas generales legum proprias non obstantibus, sed illorum est faciendâ mentio specialis. Ita communiter Theologi, & Canonistæ c. quoniam dist. 18. Quæ admodum enim supremus Magistratus leges communes, & iura præsumitur reposita in scrinio pectoris sui habere, ita ignorare creditur particularia, deque illis nihil disponere per terminos generales.

Adde, magnam animorum perturbationem, aliâque non levia incommoda meritò timeri, si quæ particulari studio ac favore indulta sunt, generalibus Decretis aboleantur. Quin etiam nonnulli DD. extendunt ad eas bullas, quibus annexa clausula est. Non obstante quocun-

que privilegio, licet clausulam habeat, ut de verbo ad verbum fieri debeat de illo mentio, cuius tenorem pro inserto hic volumus haberi posito, quod in privilegio priori ita scriptum foret. Verior tamen, & in praxi tutior est contraria opinio, quam benè explicat, *Sanch. lib. 6. Con. c. 9. D. 8. Reg. generi 34. De Reg. Iur. in 6. Sylv. lex n. 26. Az. Tom. 1. l. 5. c. 16. Q. 2. Bonac. Tom. 11. p. 52. Vasq. in 1. 2. Disp. 178. c. 1. Salas q. 97. D. 18. sect. 6. Tanner. lib. 1. Tr. 4. c. 23. n. 27.* qui duas limitationes subiungit.

Prima est, nisi prius privilegium in corpore iuris contineatur, & propterea cognitum esse Principi censeatur. Secunda, nisi prius privilegium generale sit, posterius vero speciale. Tunc enim probabilius est priori ex parte derogari iuxta regulam 34. in. 6. *Generi per speciem derogatur. Sylv. vide Privilegium Q. 10. dist. 6. Suar. 1. c. 39. n. 7. & Rubr. in c. 1. de re script. & videtur decisum in c. dudum. 9. nosigitur & c. quamvis tibi de prab. in 6. Emman. Sa v. Gratia n. 13.*

6. Quando causa motiva seu finalis cessat respectu totius communitatis, cessat etiam legis obligatio, nec requiritur aliud Magistratus decretum, aut declaratio. Ita comuniter DD. ex c. 1. de Reg. Iur. idem de cessatione seu extinctione obligationis in voto asserentes apud *Sanch. l. 4. Moral. c. 2.* sed ulterius quæritur, an cessante causa adæquata legis in particulari, verbi gratia respectu Titij, aut Caij, cesset quoque obligatio illius? Magna pars, & fortè sanior Theologorum negat apud *Suarium l. 6. De leg. c. 7. Azor. Tom. 1. l. 5. 1. 16. q. 15. Layman. l. 1. Tr. 4. c. 21. numer. 3. Adam. Contzen l. 5. Polit. c. 16. Castro l. 1.*

De lege pœn c. 5. docum. 3. Medina q. 90. art. 2. ad 4. Arragon. 2. 2da q. 67. art. 2. Econtra si finis legis adæquatus in aliquo particulari cesset negativè, etiam legis obligationem definire docet. Caiet. Tom. 1. Opus. Tr. 1. q. 2. Navar. in summa c. 16. nu. 37. Pavorm. 1. c. quoniam de probat. num. 6. Archid. in c. vitanam. Fundamentum illorum est in Reg. Iur. c. Cum cessante. de appellat. Adde, quod ratio, seu causa motiva est anima legis: illa igitur summatà, necessàrio perit obligatio illius. Pono ieiunium indici non alia ex causa, quam ut carnalis concupiscentia reprimatur. Huic causæ indecrepito sane nullus locus est: Igitur ieiunii præcepto non obligatur. Eadem ratio invenitur in omnibus aliis, ubi propter incommoda quædam vitanda præcipitur aliquid. Nihilominus, ut dixi, melioribus Theologis non placet opinio hæc, negantque finem legis, nisi etiam contrariè cesset, non extinguere obligationem, eò quod semper remanet altior quidam finis & generalior, ex quo opus inianctum redditur bonum, ac meritorium, expeditaque privatim quemlibet in eiusmodi casibus se cõmunitati accommodare, ut fufius exponit Suar. l. 6. 7. c. 7. num. 6. Salas de leg. q. 96. Dis. 11. sect. 3. Laym. l. cit. Arragon. l. cit.

7. Lex in præsumptione, fundata post compertam veritatem, desinit obligare, ne fictioni maiorem, quam veritati vim tribuendam quis existimet. Arg. c. super hoc. De renunc. Abbatis. in c. quia plerique nu. 18. de immun. Eccl. Covar. c. cum eses n. 9. de testam. Navar. c. ita quorundam de iudic. notabili 10. n. 29. Roderic. Tom. 1. q. 67. ar. 3. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 21. n. 4. Censetur autem in præsumptione fundata lex, quando formale momentum, & intrinseca obiecti conditio est

præsumptio alicuius rei: sive per quam iudici præcipitur, ut in cunctis occasionibus ex tali præsumptione sententiam ferat. Exemplum habes in c. Veniens c. Is qui fidem, de sponsal. ubi dicitur, quod sponsalia de futuro, secutà copulà in matrimonium transeant ob Iuris præsumptionem, sponfos conjugali affectu copulatos esse. Quo tamen non obstante, si sponso certum sit, alio animo factum esse, aliamque matrimonio sibi iunxerit, huius, non illius maritus erit v. Cavar. par. 1. Epitom. Decretal. c. 4. §. 1. Suar. l. 3. de leg. c. 23. n. 2. Navar. in c. ita quorundam de iud. Laym. l. cit.

8. Quod Irritationem attinet, quæ fit impediendo legis obligationem, ea fieri potest primò auctoritate Magistratus superioris, à quo inferiorum leges, & statuta pendent. Nam si addere consensum suum, iustè vel iniustè, nolit, effectu carebit. Hoc pacto Concilii Basilienfis & Constantiensis acta quædam nullius esse roboris, & auctoritatis esse dicimus, quia summus Pontifex, à cuius auctoritate Conciliorum generalium actiones pendent, nullum consensum tribuit, sed irrita & inania esse declaravit. secundò fieri à populo, seu subditis potest, qui recipere, & servare nolunt: sive iusta ad id illos ratio, sive contumacia impellat. Nam quoad effectum irritationis perinde fuerit. Inanis quæcunque lex est, quam populus rejicit, & servare detrectat. Exemplorum plenæ sunt gentium historia, præsertim Romanorum, in qua Tribuni plebis contra senatum, & Patritios plebè concitabant. v. Livium, Rosinum l. 5. Antiq. Dominic. Floccum l. 2. de potest. Rom. c. 10. Soto l. 1. de iust. q. 7. art. 5. Reginald. l. 13. num. 199. s. 6. De

§. 6.

De Interpretatione Canonum.

Interpretatio duplex est, simplex seu doctrinalis, & authentica. Simplex explicando verba legis obscuritatem tollit eo fere modo, quo Magistri in scholis solent. *l. un. C. de profess. in Vrbe Constant.*

Authentica sentum, & mentem legislatoris in particulari & non præviso casu declarat, adeoque legem corrigat. *l. ult. C. de leg. 1.* Et ideo cum seq. *¶ eod.* Quod quia nec in lege naturali, nec divina contingit, in illis locum (si propriè loquendum sit) non habet nisi simplex interpretatio. In iure humano autem solius Principis seu legislatoris authentica & correctiva interpretatio est. *¶ ul. C. de legib. Pa. norm. in c. 1. de postul. Prelat. Becan. de lege human. c. 6. q. 14. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 18. Everb. in loco à ratione legis. n. 4. Silv. & Armilla. V. Interpretatio. Carb. de leg. l. 7. c. 12. ubi interpretationem simplicem vocat magistralem, authenticam verò iudicialem. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 18.*

2. In legibus tum Ecclesiasticis, tum civilibus interdum adhibenda est interpretatio siue primi, siue secundi generis. Patet ex *l. Neque leges. l. non possunt. l. nulla. ¶ de leg. & l. non dubium. C. ead. Ratio.* Occurrunt enim casus penè innumeri, quos impossibile est legem prævidere. Nec eadem hodie, quæ olim conveniunt, aut profunt. Vnde *S. Augustinus l. 1. de lib. arb. lex temporalis, quamvis iusta sit, commutari tamen per tempora iustè potest. S. Thom. q. 96. art. 6. Dom. Soto l. 1. de iust. q. 7. art. 1. Lud. Carol. 21. disp. 3. ad Contzen l. 5. Politic. c. 15. n. 2. Filiius. tr. 21. n. 433. Silv. V. lex n. 16.*

A quibus autem & quomodo facien-

da interpretatio sit, præferim secundi generis, seu correctiva, nondum expedita dubitatio est.

3. Quando evidens est hinc & nunc legem non obligare, cuiuslibet subdito licet illam interpretari ex æquitate, & contra legis verba agere. Exemplum *S. Thom. l. cit. est.* Lex iubet obsidionis tempore portas civitatis nemini aperire. Contingit autem cives aliquos ad portam accedere, qui nisi admittantur, in hostium manus devenient, periturus aperienda porta est, contra quàm lex videatur præcipere.

Alterum *Filius est tract. 22. c. ult. n. 433.* si contingat aliquem in die præcepti ieiunii nihil habere aliud, quam carnes, comedendo eas non peccat, nec opus est ullà consultatione. Quod enim pro charitate institutum est, non debet militare contra charitatem. Idem *S. Antonin. Bar. 1. T. 17. §. 19.* assentit, ratione addita. In observatione enim legum, maximè attendi debet, & servari intentio ferentis legem: de qua si constet, & contraria sit ad scripturam legis, illi obediendum est, ommissa litera aut scriptura. Si autem dubitetur de intentione, standum est literæ, secundum Archidiaconum. *Valent. Tom. 1. n. disp. 7. q. 5. p. 4. Sayr. l. 3. c. 10. n. 3. Salas. q. 97. disp. 21. sect. 10.*

4. Quando dubium est, idque negativum, ita ut in neutram partem præponderet ratio aliqua, pro interpretatione ad superiorem recurrendum est. iuxta reg. *Pandect. 96. In ambiguis orationibus, maximè sententia spectanda est eius, qui eas protulit.* Quod in legibus præcipuè necessarium, ut Decius monet. Illius enim est interpretari legem, cuius est condere. *l. fin. C.*

de leg. c. Inter alia. De sent. excomm. Ideo pro interpretatione statuti ad populum, qui fecit statutum, recurritur, ut notat Bart in l. omnes populi π . De iust. & iure. Et hoc in subsidium, quando alia interpretatio quæ congrua sit, haberi nequit; al. as secus. Nā quando est dubium arduum, & inexplicabile ad principem recurritur, ut notat Abb. in c. 1. de iure calum. & c. Cum veniss. de iudic. Hinc iudices quoque habent potestatem interpretandi leges in præiudic. partium.

Idem quoque in privilegijs locum habet, ut pluribus explicat Dynus in Reg. 57. in 6. Contra eum, qui legem dicere potuit. aperti. & c.

Quod si ad superiorem aditus præclusus sit, verba legis attendenda & sequenda sunt, ne contrarium eligendo contra conscientiam putes. Navar. c. 13. nu. 26. & Pralud. 9. n. 9. Suar. de leg. l. 6. c. 1. n. 7. Filliut. tract. 21. n. 433. Medulla Theol. pract. l. 1. tract. 1. c. 2. Gail. l. 2. Obseru. 33.

5. Si ratio in unam partem inclinet, nec adire superiorem liceat, & moram res non patiat, opinione probabili uti poteris & secundum illam operari. Hoc enim & nihil aliud necessitas permittit cui omnia subiecta sunt, nec ferias habet l. 2. §. Deinde quia difficile π . De orig. iuris. l. Illicitas. §. ult. π . de off. pres. l. solet etiam π . de feriis. l. 6. 29. dub. 5. n. 47. Vasq. in 1. 2. Disp. 176. c. 3.

Dixi opinione probabili uti posse, quod Barb. in c. Canonum statuta de Const. extendit, ad opinionem probabilem etiam relicta probabiliore, & tam Iudicis, quam cuiusque privati respectu. Gutier. l. 1. c. 13. Arragon. 2. 2. q. 93. art. 4. Salas tract. 8. Disp. un. sect. 6. Valent. III. Dis. 5. q. 7. pun. 4. San-

chez l. 2. de matrim. Disp. 41. nu. 30. l. 3. D. 20. num. 4. Banner. 2. 2da q. 10. art. 1. Cravet. consil. 135.

6. Quando dubium est non de lege, sed legislatoris potestate, non ipse, sed viri docti consulendi sunt. Nam sicut ad legislatorem pertinet condere leges, eaque corrigere, cum res exigit, ita ad viros doctos pertinet interpretari ipsius potestatem, ne relicto ipsi arbitrio, ultra quæ oporteat, per sententiam suis rebus commodam vires imperii & iurisdictionis suæ extendere conetur; valeatque illud. In propria causa alienus iudex est. l. unic. c. Ne quis in sua causa. c. qualiter & quando de accus. Becan. de lege huma. c. 6. q. 14. Menoch. l. 1. De arb. q. 76.

Neque obstat illud, Prætoris est æstimare, an sua sit iurisdic. l. si quis alien. π . De iud. Hoc enim de causis & litibus particularibus coram prætore motis intelligitur, ut in 3. Par. T. 2. §. 3. latius explicabitur.

7. Facultas interpretandi legem magis amplianda, quam coarctanda est per se & loquendo, & abstrahendo à casibus particularibus. l. Benignus π . de leg. c. placuit. C. de iud. c. frn. de transact. Reg. 15. l. 1. in 6. Odiā restringi & favores convenit ampliari. Vt cuius, si in aliqua dispositione concurrat favor & odium ea censenda simpliciter est favorabilis. Bald. ad l. 1. qui non poss. ad libert. admitti Salas q. 97. D. 20. §. 11. Et in dubio, non debet odium considerari, sed favor. Panorm. ad c. In literis de rest. spoliar. Nec in odiosis admittitur argumentum seu consequentia identitatis.

In multis e contra fallit, ut Philippus Francus multis in casibus demonstrat, eumque secutus Peckius, Quamobrem dixi per

xiper se loquendo, & summotis casibus particularibus. Quod ex Regulis mox proponendis manifestius fiet.

REGVLÆ

Interpretandi Canones.

Prima. Verba legum, Canonum, & Statutorum, & privilegiorum, quoad fieri potest, propriè accipienda sunt, l. 3. §. hac verba vbi. Bart. π. de neg. gest. l. non aliter. π. de legatis 111.

Ratio, aliàs nihil erit certum in legibus, cui libet pro arbitrio ad metaphoras & tropos recurrendi concessa licentiâ: quod in rebus fidem & mores concernentibus præcipuè observandum.

Quocirca si quis pium legatum reliquerit pro hominibus religiosis, de illis loqui dicemus, non qui religiosam, id est, piam vitam agunt, sed qui in Religioso ordine sub regulari obedientia vivunt.

Item, si pater filios suos instituerit hæredes, non de spuris, sed solis legitimis intelligemus. *Tuschi in lit. V. Concl. 91. Decius in Reg. 6. iur. non vult heres esse. Dynus in Reg. 63. iur. in 6. Salas de leg. q. 97. disp. 21. sect. 3. & 13. Carbo l. 11. disp. 5. ubi simul tradit, unde verborum proprietates desumi queat, quem consule.*

Limita 1. si verba propriè accepta ineptum, aut falsum sensum redderent. Tunc enim impropriè acceptioni locus est. *Gemin. Consil. 122.*

Limita 2. in pœnalibus Nam ut eviter pœna, verba non sumuntur in proprio significata, latè accipiendo vocabulum *Abb. Consil. 28.*

Limita 3. quando subiecta materia ad illud suadet, Vt si Papa reseruet beneficia

ad collationem Episcopi pertinentia, intelligitur de beneficiis, quæ Episcopus habet in sua possessione, quamvis aliqui verbum pertinere, proprietatem significet. *Calder. Consil. 244.*

Limita 4. si diversa legislatoris mens est, idque satis constat, Hæc enim præcipuè attendenda. *Tuschi. Concl. 199. Alex. Consil. 22. Et sufficit, verosimiliter constare. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 18.*

Secunda. Quia legum & privilegiorum præcæmia causam motivam & finalem continent, l. fin. De hæred. instit. ex illis colligi legislatoris intentio poterit, quemadmodum ex præfationibus præcætur intentio contrahentium, c. secundo quæsiuit. de voto Barb. l. 2. Vos. decis. Voto 47. n. 69. Idè colligi potest ex literis supplicantium: quia concedens præsumitur se conformare intentioni supplicantium, c. inter dilectos, de fid. instrum. Salas q. 97. disp. 21. sect. 3. Sanchez l. 2. De matrim. disp. 37. n. 3.

Tertia. Canonum & privilegiorum verba intelligi debent secundum id, ad quod principaliter proferuntur, c. final. de verb. sign. nam actus agentium non operantur ultra intentionem agentium, ut DD. passim agnoscunt, Et per eam veritatem Rodericus teste doctissimi quidam Theologi defendunt, Concilium Trid. sess. 6. c. 7. non definire, quòd iustificemur per habitus supernaturales nobis infusos, docendo, iustificari per gratiam, & charitatem à spiritu sancto diffusam in cordibus nostris: cum illa verba non ponantur ad hoc definiendum sed principaliter ad definiendum adversus Lutherum, nos non iustificari ab extrinseco per meritum non imputationem. *Roderic. tom. 1. q. 11. art. 6. V. Azor. tom. 1. l. 9. c. 3. q. 3. Suar. l. 6. De Gratia. 86. n. 4.* C 3 QUAR.

Quarta. Vna sententia non tantum per aliam eiusdem partem, sed etiam per alias ab ea planè diversas declarari potest. *S. Aug. l. 3. de doctr. Christ. c. 28.* Cum verba scriptura (legis aut decreti) apertius in uno loco ponantur, ibi discendum est, quomodo in loco intelligantur obscuris. Et *Bald. in c. secundo requirit. de appell.* Per media declarantur extrema, & per unum extremum declaratur aliud. *Salas l. cit.*

Quinta. Legislatoris voluntatem licet ex verosimili colligere. *1. Non est verosimile. & de eo, quod metus causa.* Nam qui à verosimili arguit à ratione arguit, teste *Eberh. in loco à Verosimili.* Quod procedit, nisi contra verisimilitudinem allegetur, & probetur tale aliquid, per quod eiusmodi præsumptio verisimilitudinis tollatur. Nam ubi duæ præsumptiones concurrunt, quarum una non proponderat alteri, se mutuo confundunt. ubi verò altera est fortior, tollit debiliorem. *c. transmissa. Qui fil. sint legit.*

Sexta. Considerandum diligenter, an leges & decreta favorabilia sint, an potius odiosa. Hæc enim restringenda sunt, illa verò amplianda. *Reg. 15. iur. in 6. Reg. 28. cod. l. 3. & de const. Princ.* Ratio sumitur ex æquitate rei, consideratâ utriusque diversitate. *Nav. c. 12. n. 29. & l. 5. Consil. 13. Azor. 1. l. 5. c. 22. q. 2. Suar. l. 8. c. 27.* Quæ verò privilegia odiosa, quæque favorabilia sint, accuratè Salas prosequitur *disp. 17. sect. 6.*

Hinc sequitur statuta & privilegia Religiosorum non secundum apices iuris, sed ex æquo & bona interpretanda esse; dubia verò in mitiorem partem standanda. *Decius in Reg. 90. Roderic. l. 9. II. art. 6.*

Septima. Omnis interpretatio sic faciendâ est, ut Canon, aut lex non reddatur inutilis. *l. Non dubium. c. de legibus. c. In his. de privil.* Aliter qui faciunt, à merito legislatoris aberrant, cuius in omnibus potissimam esse rationem habendam, omnes clamant. Quod etiam in contrariis locum habere ex *Reg. iur. 132.* patet ubi *Decius* notat, ut actus valeat, interdum verba improprie accipienda esse. *l. si tibi & si certum petatur. c. si sententia. de sent. excom. v. Gaill. l. 2. obs. 132. Card. Tusch. Concl. 99.*

Octava. Verba secundum materiam subjectam accipiendâ, & accommodanda sunt. *c. Intelligentia. de verb. signif. c. constitutus. de relig. dom. Decius in Reg. Quoties. 67. Tuschus Concl. 95. & 96.*

Hinc *1.* quamvis verba universalialia sint, pro naturâ rei, ut particularia sumuntur. *Alex. Consil. 60.* si pluralia, quasi singularia restringes, *2.* in dubio an loquantur de præterito an futuro, res significata determinabit. Nam promissio futurum, solutio præsens tempus requirit. *3.* Cum verbum dare aliquando translationem domini, aliquando solum usum vel possessionem significet: in venditione prius, in locatione posterius appellabit. Idem de verbo debitum, & similibus dicendum est. *v. Tuschum l. cit.*

Nona. In pœnalibus legibus argumentum à simili non admittitur. Non sunt enim exasperandæ leges, sed mitigandæ. Nec proprium casum excedere debent. *c. In pœnis. de Reg. iur. in 6. ubi Dynus. & Barbosa. Decius in Reg. In contrahendâ. 132. Castro de lege pœn. l. 1. c. 17. Carbol. 8. disp. 10. Reginald. l. 13. c. 25. n. 263. Gaill. l. 2. Obs. 138. num. 9.* ob eandem causa verba quæ pos-
sunt

sunt importune delictum, & non delictum, sic interpretamur, ut delictum excludant. *Craver. Consil. 205;*

Item, in odiosis: verba non comprehendunt casum improprium. *Abb. Consil. III.* Item verba determinata ad certum tempus, non comprehendant aliud tempus. *Bald. Consil. 339.*

In illis quæ animæ periculum minantur, durior eligenda interpretatio est. *Glof. inc. 1. de scrut. in ordin. sac. Franc. Marcus Par. 1. q. 380.*

Decima. Pontifex in Rescriptis suis cum ratione, & iure communi, quam fieri potest, proximè præsumitur convenire. *Cum dilecta. de confirm. & ibi Barb. n. 25; Bald. in l. Ex facto. de vulg. & pupil. inst. Peckus in Reg. 28. tur. in 6. Qua à iure.* Nam correctio legum odiosa est, & quæ à iure communi deviant, aut contraria sunt, restringere oportet. *l. in honorariis. de act. & oblig. Exemplum Dyni est.* Impetravit illegitimè natus, ut non obstante tali dicitur valeat promoveri ad beneficium, etiam si curam habeat animarum, non nisi ad beneficium simplex promoveri poterit. *v. Salas. q. 97. dy. 20. sect. 10. Sanch. l. 8. de Matrim. d. 1. n. 3.*

Undecima. Statuta, quibus alicui consuetudini vel privilegio derogatur, quia ad ius commune propius accedunt, latissimam interpretationem admittunt. *l. si unus. de pactis. Glo. v. Numerandum in 6. Statutum de prabend. in 6. Barb. in c. Porro. de privil.*

Et contra statuta correctoria legum strictè interpretanda sunt, ut quam minimum derogent. *l. si quando. C. de offic. testam. Alex. Consil. 107; Tuschius Conclus. 607;* ubi multis ampliationibus illustrat.

Duodecima. Summatim loquendo pro interpretatione legum, Canonum, statutorum, & privilegiorum bene institutorum, & ad quatuor hæc capita respiciendum est, verba legis, mentem legislatoris, finem, & circumstantias. Verborum significatio & proprietas ex primæ institutione, & recepto usu pendet. Alia est naturalis, alia civilis. Naturalis est, quam ex prima institutione habent. Civilis institutione constat secundum quam exempli gratiâ, professus in aliqua Religione approbata mortuus dicitur.

Mens legislatoris anima legum censetur, & verbis præfertur. *c. Humana aures. 22. q. 5.* Finis seu ratio motiva ex prologo Rescriptorum, ex materiâ subiectâ, adiunctis, & circumstantiis, quæ accurate examinanda sunt, colligitur, quemadmodum ex *§. sequ.* manifestius apparet.

Denique consuetudo optima legum interpretans est. *l. si interpretatio. de leg. l. in obscuris. de Reg. iur. Salas. q. 97. disp. 21. sect. 3.* Quid autem faciendum sit in ambiguis, & obscuris testamentorum, Contractuum, iudiciorum, & similium accurate tradit *Silvester v. Interpretatio. num. 57.*

§. 7.

De extensione Canonum.

Interpretatione fit, ut leges aliquando contrahantur, & restringantur, aliquando verò ultra verborum formam extendantur, & plura comprehendant, quam prima fronte appareat. Quo modo id contingat, ex sequentibus intellige, & prioribus elucidandis adijunge.

I. Lex

I. Lex, sive Canon, qui favorem continet, extendi potest, & debet, ad omnem proprietatem verborum, non solum naturalem, sed etiam civilem, hoc est, eam, quam habet ex primæ vâ institutione sua & usu iurisperitorum, ut apparet in voce *Mortis*, quæ propter communem significationem interitus, denotat quoque professionem regularem. Ita communiter utriusque Iuris DD. ex receptâ Reg. in *l. Non aliter de legatis III. Decius Reg. In contrahenda. 132.*

Exempla vide. 1. Loquitur aliqua Lex in favorem filiorum, intelligi potest de adoptivis. 2. loquitur in favorem legitimorum, extendi potest ad legitimos. 3. loquitur de ingenuis, nihil verat accipere de illis quoque, qui aliquando servi fuerunt. *Bald. & alii apud Menoch. l. 4. de præsumpt. 89. Bartol. in l. si u, qui pro emptore. nu. 30. Auth. Guill. mod. natur. efficiant sui.*

II. Extensio legis ultra proprietatem verborum faciendâ non est, nisi securitâ putetur iniuititiâ aliqua vel absurditas. *Navar. c. 27. n. 51. Glos. in c. 2. de usur. in 6. Abb. Decius, & alii, qui probant ex l. scire etiam. §. aliud. de excus. tutor. vel intra centum milliaria. quod extenditur, ut etiam intra quater centum milliaria locum habeat. Item ex l. Nam absurdum. de bonis libert. & l. si stipulatio. de operis libert. Abb. in c. 7. de Constit. n. 14. Felinus in c. Translato. eod. Covar. l. 3. var. c. 3. num. 9. Navar. c. 27. num. 51.*

III. Nulla lex quoad obligationem conscientie extendi debet ad casum non comprehensum sub significatione verborum, propter solam paritatem rationis. Quod enim in verbis legis non con-

tinetur, in voluntate legislatoris non fuisse præsumitur, ideoque non potest obligare. Quocirca non sequitur, qui pecuniam surripit alteri, suspendium mereatur, quia privando innoxium hominem bonis temporalibus contra iustitiam peccat. Ergo etiam, qui tractatione aut falsa accusatione bono nomine privat. *Item.* Qui suadente diabolo clericum percussit, excommunicatus est. Ergo etiam, qui contumelia, aut calumnia affecterit. *Eberh. in Loco à ratione legis largæ. n. 74. Imola. Gemm. Sylv. apud Suarez. l. 6. de leg. c. 3. n. 9. & seq.*

Ita in foro conscientie procedimus; in externo subinde aliter fiet, & casus non expressus expressio similis iudicabitur. *V. Tiraquell. de Retractu consangu. S. 2. Decium in Reg. Pandect. 1.*

IV. Ad ea, quæ sub verbis legum expresse non continentur, extendi potest dispositio, quando omnimoda identitas est. Colligitur ex omnibus illis, quæ suadent, legislatoris mentem, ac voluntatem verbis præferendam esse. *c. Humana aures. 22. q. 5. l. non oportet. de ad exhibendum. & alia apud Vasquium l. 1. illustrium controvers. c. 30. Dynum in Reg. Certum est. Decium in Reg. In contrahendâ venditione. Salas q. 97. d. 21. sect. 13. Hinc c. si postquam. §. si verò. de elect. in 6. lex præcipiens alicui, ut ad curiam veniat, censetur etiam præcipere, ut in eâ maneat, donec finita sit. Item c. Quia in insula. de Regular. statuitur, ut ante annum octavum decimum non admittantur monachi, intelligendum est de omnibus, qui in insulas inhabitant, propter eandem rationem in textu allegatam, quòd in eiusmodi locis durior habitatio sit. Hanc esse mentem*

literæ

litera Rubrica indicat. Neque enim verbis inhærendum ita, ut mentem legis perdamus. *l. Non debium. C. de leg. l. Scire. l. Contra. 7. eod. Salus q. 97. d. 21. sect. 5.*

V. Colligitur autem legislatoris mens 1. ex eo, quod præcipitur: illi enim potissimè accommodanda verba sunt. sic in *c. Inter corporalia. De translat. Episc.* exponitur, ecclesiam dici viduatam, licet habeat episcopum, sed non consecratum, vel inutilem. Item in *l. si verò. 7. Locati* verbum donationis per verbum translationis declaratur materiâ sic exigente. 2. ex fine legum intrinseco, qui debet esse rationi conformis, & æquitati. Quod quia subinde in verbis non apparet, ad mentem, & voluntatem auctoris recurrendum est. 3. ex comparatione aliorum iurium, vel consonantium, vel repugnantium. Denique ex motivis extrinsecis, & circumstantiis temporum, locorum, necessitatis, postulationis, & similibus. *v. Suar. l. 6 de leg. c. 1 num. 7 & seq. Sylv. v. Interpretation. 6 Eberh. in Lo. A ratione legis. Larga. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 8.*

§. 8.

De lege Pœnali.

I. Legem pœnalem voco, non quæcunque gravis & odiosa est, sed quæ ex voluntate ductoris sui pœnam annexam habet transgressoribus lubeundam: qualis est hæc 12. Tabular. *ut si iudex arbiterue jure datus pecuniam ob rem iudicandam accepisset, capite pœnas lueret. Et illa. Ut qui falsum testimonium dixisset, è saxo Tarpeio deiceretur. Item, qui iniuriam alteri faxit, 25. aris pœna sumto. sed quia non o-*

mines eiusdem generis sunt, sed aliæ civiles, aliæ ecclesiasticæ; de his omnino certum est, aliquando ad culpam obligare, vel etiam supponere, puta, quæ sub excommunicatione, aut suspensione incurrendâ feruntur: de illis Auctores dissentiunt, an semper obligent conscientiam, ita ut transgrediens præter pœnam etiam peccati reus fiat: *azor l. 6 c. 6 Dian. par. 1 Tract. 10. Resol. 17 Castro l. 1 de lege pœn. c. 8 Suar. de leg. l. 5. c. 3. Becanus c. 7. q. 2. Regim. l. 13 c. 26. Laym. l. 1. Tract. 4. c. 15. num. 5.*

II. Probabile est, leges civiles, quæ sub pœnâ præcipiunt, in dubio non obligare conscientiam. Ita ex antiquis *Iason in l. 2. C. de iure Emphyt. n. 143 Lud. Gomez in c. 2 de Constit. in 6 n. 60. Imola in c. 2 de maior. & obed. Decius in c. Nam concupiscentiam. lect. 1 Gerson de vita Spirit. lect. 4 & alii apud Sanchez. l. 6 Moral. c. 4 nu. 57. præcipue Navar. c. 23 num. 55. qui pro ratione adfert, Primò, convenit & humanæ leges ad peccatum mortale obligantes paucæ sint, ne conscientia gravetur, scrupuli augeantur, & timores. Secundò, multi DD. in quibus *Imola, Felinus, & Caietanus* tenuerunt, nullas leges, quamvis temporalem pœnam non statuunt, quatenus humanæ sunt, ad peccatum mortale obligare, si scandalum, & contemptus absit. Tertiò, quia ex duobus oppositis qui affirmat unum, alterum negare videtur: legislator itaque, qui ad æternam, & temporalem pœnam obligare potest, hanc irrogando illam videtur excludere. Denique consuetudo antiqua non aliter interpretata est leges sæculares, de quarum transgressione non solet scrupulus conscientiæ doctis, vel indoctis fieri; nec confessarii,*

D

aut

aut cuiusvis alterius ordinis homines aliter sentiunt, quàm non peccari graviter, nisi cum humanâ lege simul divina violetur. Hanc Navarrî opinionem præclarè tuetur, & corroborat *Ferdinandus Vasquius l. 2. Controvers. illust. c. 19.*

Quocirca minimè audiendus est *Soto*, qui loquitur, opinionem hanc vulgi errorem vocat, cum sit doctorum virorum, & probabilis etiam illorum iudicio, qui priorem præferunt, & fatentur aliquas leges dari, quæ ad nullam culpam, sed solam pœnam obligent, quod exempla Ordinum Religiosorum probant. *Salas loc. cit. Bar. n. q. 62 a. 3. Suarez. l. 5 c. 4.*

Multum nihilominus improbabilem, aliquid simul periculosam esse existimant. *Soto l. 1 q. 6 ar. 5 Carbol. 7 disp. 5 & alii relecti apud Dianam Tract. 10. de leg. Resol. 17. Villalobos in Sum. Tom. 1 Tract. 2 de 22 art. 18 Nicodem. de Florentia. Specul. Confessor. c. 53. Miranda in Manuali Prælat. Tom. 11 q. 25 ar. 18 Reginald. in Praxi. l. 15 c. 6 sect. 5 Valentia II q. 5 pun. 6 Azor. I l. 5. c. 6 q. 4. Filius. Tract. 216. II num. 420 Tanner. 11 dis. 5 q. 6 n. 59 Salas de leg. q. 56 sect. 5.*

III. Tria sunt pœnarum genera, quæ legibus decerni solent. Primum earum, quæ nullam actionem rei, aut iudicis requirunt, ut privatio beneficii, depositio, excommunicatio, irregularitas. Secundum illarum, in quibus actio, & passio miscetur, cuiusmodi est sui ipsius flagellatio, exilium, & similia. Tertium illarum, in quibus passio est delinquentis, exequentis verò actio, ut contingit in mutilatione, suspensio, & similibus. Nunc quæstio est. 1. quando ad pœnam lex, aut Canon obliget? 2. quando obliget ad

pœnam ultroneam, ante, vel post condemnationem aut declarationem iudicis? *Offens. l. 5 Rubr. de pœn. Silv. v. Pœna. n. 1. Tholos. l. 21 c. 3. Suar. l. 5. de legib. c. 5. Resolutio hæc est.*

IV. Lex pœnalis non obligat ad pœnam ante sententiam iudicis in his tribus casibus. Primum, cum verba futuri temporis sint. *Excommunicetur, suspendatur, & similia.* Secundum, cum minantur pœnam, dicendo; *ex causâ.* Sub pœna dupli, quadrupli. Tertium, cum loquuntur per modum imperativi, anceps sermo est, & iudicandum ex materia, circa quam mandatur aliquid. Nam si per alium exercenda actio sit, puta, *Privetur, Deponatur,* sententia iudicis requiritur: si autem fuerit effectus aliquis, quem legislator per legem suam efficere possit, sæpè ante omnem iudicis sententiam obligabit. v. g. *Subiaceat, incurrat,* & similia. Huius generis est privatio beneficii, inhabilitas &c. *Azor. I l. 5 c. 7 q. 4 & 6. 9 Reginald. l. 13 c. 26 n. 276 Navar. c. 23 num. 66 & seq. Filius. Tract. 11 c. 1 n. 21 Bannes de iust. q. 62 ar. 3 con. l. 4.*

V. Leges Ecclesiasticæ, quæ propter culpam ipso facto privant aliquem omnium titulo, aut dominio officii, vel beneficii, statim obligant in conscientia, nec expectanda est sententia condemnatoria, vel declaratio iudicis. *Licet Canon. 14 de elect. in 60. Cupientes. eod. Extrav. Ambrosia. de reb. Eccl. non alien. Azor. I l. 5 c. 6 & 7 Suarez. l. 5 de leg. c. 5 n. 8 Roder. Tom. 1 q. 6 art. 16 Laym. l. 1 Tract. 4 c. 15.* Quod vel ex eo colligitur, quia eiusmodi pœna post condemnationem iudicis retro trahitur ad diem commissi criminis, puta, in confiscatio-

catione bonorum propter hæresim imposita. secundum leges. de heret. in 6 Bern. Diaz. c. 15.

Contrarium multi docent apud Barbofam relati in inc. *Quem Ecclesiarum. de Constitut.* Quam opinionem præclare Lesius explicat. c. 29 dub. 8. addens clausulam, absque alia declaratione, quando legi coniungitur, intelligendam esse de declaratione, quâ declaratur, poenam incussum esse, non autem, qua declaratur crimen commissum esse. Quæ expositio ut ut videatur excogitata, & violenta, ipso tamen usu confirmatur. Ita enim sunt receptæ eiusmodi leges, ut ante declarationem criminis possessores non teneantur resignare officium, aut beneficium. Imò usus habet, ut nisi executio fiat per sententiam, ita, ut per eam non solum declaratur crimen, sed etiam reus privetur beneficio, vel officio, non censetur omnino privatus. Unde leges illæ quæ statuunt, ut beneficium ipso iure vacet in *Extrav. Ambitiose. de reb. eccl. non alien.* non videntur receptæ in illo rigore, ut spontè teneatur se reus spoliare. Ita ex *Cavar. Les. lo. cit.*

Si quæras, quam ergo vim habeant leges, & Canones, quæ ipso iure, vel de facto privatos officio, vel beneficio denunciant? Respondet, efficere, ut possessor statim amittat titulum, nec amplius sit dominus beneficii, retinere tamen possessionem, qua privati nequeat, nisi causa cognita. ut *Glo. docet in c. Licet episcopus. 2. de prabend. in 6 & contra Alf. à castro latius explicat Azor Tom. 1. l. 5. c. 7 §. Verùm contra. Fill. Tract. 21 n. 423. VVadingus disp. 8. d. 2 §. 3.*

Mulcùm diversa ratio est centurarum

Ecclesiasticarum, excommunicationis, suspensionis, interdicti, & Irregularitatis quia secum trahunt executionem, absque omni cooperatione rei, privando illum bonis, quibus se indignum fecit. c. *Pastoralis de appell. Navar. l. 5 Consil. 2 de raptor. Suar. V. disp. 6 lect. 1 & 2 Item disp. 13 sect. 2 Tolet. l. 1 c. 11 n. 11 & seq. Em. Sa. v. Pœna n. 1. Et uberius tradetur in Par. 3 tit. Escob. ar. Tr. 1 Exam. 1 c. 6.*

VI. Damnatus ad corporalem poenam, mortis v. g. aut mutilationis membrorum, non tenetur illam per se ipse exequi: sed eas tantum, quæ sine crudelitate fiunt. *Caiet. 2. 2. q. 62 art. 3 Soto l. 1 de iustit. q. 6 ar. 6 Roder. Tom. 1 q. 6 ar. 16 Carbo. l. 8 de reg. disp. 9.*

Neque enim permissum est cuiquam, sibi ipsi vitam adimere; neque humanitas patitur, ut à Iudice executoris vices reo committantur. In aliis verò poenis, cuiusmodi est moderata sui ipsius flagellatio, exilium, & similia, usus obtinuit, ut absque alterius ministerio, & cooperatione exerceantur. Idem & multò magis de pecuniariâ poenâ dicendum, quando iuste exigitur. *Covar. in Epit. par. 2 c. 6 §. 8 Azor l. 5 c. 18 q. 6 Navar. c. 29 n. 66 Laym. l. 1 Tract. 4 c. 15 Reginald. l. 13 num. 276 Card. Tuschus lit. P. Concl. 236 & 238 Castro. l. 2 de lege poen. c. 8. & 9. Sanchez. l. 2 Moral. c. 22 num. 7 Bannez. de iust. q. 69 ar. 4.*

VII. Quando lex cum additione poenæ prohibet actum, qui nihilominus valide fieri potest, si invalide fiat, non debetur poena. *Exempli gratia.* Prohibita Titio est venditio agri vel domus, addita poena, si vendat illam Titius: contractus quacunquē ex causa irrito non incurrit

D 2

pœnam

pœnam: quoniam eiusmodi leges respiciunt substantiam actus, & propterea pœnam statuunt. Sublatâ igitur ipsius substantiâ, & valore reliqua concidunt. *Limita* nisi lex non iuris effectum, sed factum tantummodo, & animum operantis respiciat. Tunc enim pœna incurritur etiam ex invalido actu. Pari modo. Si Sacerdos excommunicatus, quamvis invalidè absolvat aliquem irregularem contrahit, quia Ecclesiæ mens est, Irregularem fieri, quicumque in excommunicatione administrat aliquod Sacramentum. *Gloß. l. Quid ergo. 13 §. Cum autem. 7. de his, qui not. infam. Avila de Censuris. Par. 7 disp. 9 sect. 2. dub. 3 Sanchez. l. 3 de Matrim disp. 6 l. 5 Moral. c. 4 n. 10 Suar. l. 5 de legib. c. 10 & Tom. V. disp. 11. sect. 2 nu. 12 & sect. 3 n. 1 Tolent. l. 1 c. 72.*

VIII. Quando lex ecclesiastica actum aliquem irritat, & transgressoti pœnam irrogat, illam transgrediens incurrit, etiam si actus irritus fuerit. Sic in *Conc. Trid. Sess. 14 c. 1.* Matrimonium clandestinum irritatur, addita pœnâ arbitrariâ à Iudice infligendâ omnibus illis, qui ausi fuerint contrahere. Similiter in *l. 1 c. de sepulcr. violatoribus.* dicitur, eum, qui rem sacram vendit, quamvis venditio non subsistat, læsæ religionis crimen incurrere. *Ratio est,* quoniam id genus pœna non irrogatur propter invaliditatem actus, sed propter inobedientiam, & transgressionem subditi, qui idcirco reatum pœna contrahit, quandoque legem temerè violat, *Suar. l. 5 deleg. c. 34 n. 6.*

IX. Dubium est, an quæcunque lex actum irritat, in conscientia obliget ad non faciendum illum? Non obligare semper, exempla quædam docent, Nam

1 venditio fundi dotalis ab uxore facta etiam consentiente marito, invalida est, non tamen prohibita eatenus, ut conscientiam liget. *Tholos. l. 9 Synagm. c. 22 Mol. disp. 4. 8. 2.* Irrita censetur renunciatio paternæ hæreditatis, quam filia, cum nuptui datur, facit, quæ tamen renunciando nihil peccat, cum cedere jure suo possit. *l. pactum dotat. C. de collat. Mynsin. Conf. 10.* Unde colligitur eiusmodi leges propterea non obligare conscientiam, quia legislatoris mens est, non imponere onus, sed conferre beneficium illis, qui minus consultò alienant bona sua, quibus uti frui melius foret. *Laym. l. 1. Tract. 4 c. 16 Salas. q. 96 d. 15 sect. 6.*

X. Quæritur etiam, an unquam lex civilis, vel ecclesiastica cum periculo vitæ amittendæ obliget? Communi sensu asserunt DD. obligare cum periculo vitæ in duobus casibus. *Primò,* quando periculum intrinsecè connexum est legi, ut si mœnia transcendere vel pugnam ineundam militibus dux præcipiat. *Secundò,* cum ab extrinseco provenit, exempli gratiâ, ab hoste, qui mortem minatur, nisi in contemptum Dei, aut Religionis violes sabbatum. In his, & si qui similes evenire calus possunt, bonum commune privato anteferendum, & mors præeligenda potius est, quàm Deus & Religio violanda. Aliàs existimandum non est, magis obligare leges humanas, quàm divinas, & naturales quarum multæ cum tanto incommodo non obligant. *Innoc. Panorm. in c. sacris. de hîr. quæ vi metu sue cau. S. Tho. quod l. 11 art. 9. ad 3. Gabr. in 4. dist. 18 q. 3 art. 3 dub. 4 Maior dist. 14 q. 4 Dom. Soto l. 1 de iust. q. 6. art. 4 Greg. de Valent. q. 5 pun. 6 Medina. q. 96.*

q. 56. ar. 4. *Sily. v. Metus Azor* l. 1. c. 1. q. 1. *Vasq. disp.* 161 c. 2 *Suarez* l. 36. 30 *Carbo* l. 7 *Disp.* 6 *Tanner. in* 1. 2 *Disp.* 5 q. 6. *Roderic.* 1. q. 67 art. 4 *Laym. l.* 1 *Tr.* 4 c. 14 *Eman. Sa. v. Lex n.* 1 *Salas* q. 96 *Disp.* 11 *sect.* 1.

Hinc sequitur I. subditum in gravi & præter expectationem exorto periculo, si ad Principem non sit aditus, tutò agere contra ipsius mandatum posse. *Ita Roder. lo. cit.*

2. Si parochis ab Episcopo præcipiatur, ut pestis tempore non fugiant, sed in ecclesiis suis persistant, manendum illis etiam cum periculo vitæ esse. Ad hoc enim cura pastoralis illos obligat. *Salas* q. 69. *disp.* 11. *sect.* 1. *Fil' aut. tract.* 3 c. 9. 98. *Pia-sec.* P. 2. c. 3. n. 24.

3. Si Episcopus mandet visitatoribus, ut in munere suo exequendo constanter agant, licet per diæcesin hæretici grassentur, id ipsis contempto vitæ periculo faciendum esse.

4. Si Lutherani in odium Religionis Catholicæ, & monasticæ, minarentur mortem monacho, nisi deponat habitum suum, subeundam potius illi mortem esse, quam habitum deponendum, iuxta sententiam *Arragonii* in 2. 2da qu. 62 §. In quarto.

5. Quæ hætenus de obligatione civilium, & Ecclesiasticarum legum dicta sunt, cum debitâ proportionem accomodanda sunt mandatis parentum erga liberos, mariti erga uxorem, domini erga servos, denique aliorum superiorum erga subditos, in iis casibus tantum, quibus ratione status, & conditionis suæ ad parendum obligati sunt. Nec excipiendi Regulares sunt, quibus pro occurrente necessitate à superioribus grave manda-

tum imponeretur. *Suar.* l. 30. 30 *Roder.* 1. q. 44 art. 1 & *Tom.* 11. q. 22 art. 8 *Vasqu. disp.* 191 *Tanner. lo. cit.* *Coninck* 3p. t. 2. *Disp.* 130 *dub.* 12.

§. 9.

De Consuetudine.

I. Consuetudo propriè dicta, quæ nimirum legi æquivalens, est *ius moribus institutum, quod pro lege suscipitur, cum lex desuit.* *Isidor. rela. dist.* 1 c. Consuetudo. Explico. Dicitur 1. *Ius*, ut distinguatur à consuetudine facti, & eâ, quæ consilium est. 2. *Moribus institutum*, id est, acquisitum frequentatis actibus. Nam neque una hirundo ver, neque unus actus consuetudinem facit. 3. *quod pro lege suscipitur*. quâ nimirum populus, & communitas utatur, quemadmodum aliis legibus, quibus subditi obligantur. 4. *Cum lex desit*. Nam si de eadem re lex fuerit, non habet locum consuetudo, nisi fortè ad confirmandam, aut interpretandam legem seruiat. *Sil. Armilla v. Consuetudo Reginald.* l. 13 *tr.* 241 *Vallenst.* 1 *paratit.* T. 4. *Barb. ad T. De Consuetudine* & c. *Axiom.* 56.

2. Dividitur consuetudo 1. in generalem, & particularem. 2. in eam, quæ versatur circa res, & eam, quæ versatur circa personas. 3. in eam, quæ est secundum legem, præter legem & contra legem. 4. in Canonicam, & civilem, eo modo, quod ipsa dividitur. 5. in bonam & malâ: rationabilem, & irrationabilem. 6. in permissam, & non permissam, probatam & reprobam. 7. in præscriptam, & non præscriptam. Quæ enim bona est, in multis cum præscriptione convenit. Differt

D 3 autem

autem 1. in iure, quod in Consuetudine omnes obligat. 2. in facto, quia ad consuetudinem, requiritur ipsius populi usus. 3. ex parte consensus. Nam consuetudo non crescit absque consensu Principis. 4. ex parte tituli, qui in consuetudine non est necessarius. 5. ex parte bonæ fidei, quæ ad consuetudinem non requiritur. 6. ex parte temporis, quod non æquè in consuetudine, ut in præscriptione determinatum est. *c. ita nos 25 q. 2 Azor l. 1. § c. 17 Suar. l. 7 de leg. c. 1 Salas q. 97 disp. 19 se- Bio. II Laym. l. 1. Tr. 4. c. 24 Roderic. 1. q. 69 art. 1. Zerola v. Consuetudo Em. Sa. eod. Carbo l. 9 disp. 1.*

3. Ad novam consuetudinem quatuor requiruntur, ut valida & legitima censeatur. 1. actus liberè frequentati, & publicè, ut in notitiam populi deveniant. 2. diurnitas temporis, de quo postea. 3. Scientia & consensus Principis explicitus, vel implicitus. 4. Animus inducendi obligationem. Hinc piæ consuetudines orandi, ieiunandi, & similes, quantumvis assiduè frequententur, improprie consuetudinis nomen ferunt. Quod actuum frequentationem atinet, sufficere potest, bis vel ter contra legem actum esse, quemamodum docet *Lessius cum Panorm. & aliis l. 2 c. 6 n. 45 Sanchez de matrim. l. 4 disp. 1 n. 22 Roderic. l. q. 69 art. 1. Andreas Gail. l. 2 Obs. 31* duos actus iudiciales sufficere censet; nec plures extraiudiciales requiri, modò tales sint, ut ex illis tacitus populi consensus colligi queat.

4. Effectus legitimæ consuetudinis sunt tres. *Primus*, obligare non minùs atque lex scripta: *c. Cum Venerabilis de Consuet. idque dupliciter* ut signum, aut te-

stis. 2. ut causa concurrens ad inducendâ, & stabiliendam obligationem, vel interpretationem legis. *c. Cum dilectus eod. Secundus* interpretari legem, *Tertius* abrogare legem priorem, si humana, civilis, aut Canonica sit. *l. de quibus ꝛ. de leg. & c. ult. eod. Bellarm. l. 2 de conc. c. 18.* Non abrogat verò, nisi præscripta sit. *c. cum tanto. De consuet.* Ad quod requiritur in civilibus spatium annorum 10 in Ecclesiasticis 40. iuxta communiorum opinionem, apud *Suarez l. 7 c. 1 Becan. c. 8 q. 3 Arragon. qu. 62 art. 3 Laym. l. 1. Tract. 4 c. 16 Em. Sa. n. 3 & 4 Pias Par. II. c. 5 n. 43 Soto l. 1 q. 7 a. 2.*

Fieri tamen aliquando potest, ut pauciores anni sufficiant, puto, si consuetudinem sciat Princeps, ipsaq; talis, ac tanta sit, ut moraliter sufficiat ad indicandû Principis consensum. *Covar. l. 1 c. 17 nu. 8. Barb. in c. Cum in tua de consu. Vasqu. d. 177. c. 5 Tanner II disp. 5. q. 7 n. 6 & seq.*

Adde, quod Consuetudo iurisdictionem profanam, & sacram, inerum, & mixtum Imperium dare potest. *c. quanto. de off. iud. ordin. l. 1 c. de emancip. liber. Navar. c. 27 n. 261 Menoch. l. 1 de arbit. q. 71. Franc. Leo Par. 2 c. 16 n. 4 Decianus l. 4 c. 27.*

5. Consuetudo contra legem non valet, si resistat Ius illam prohibendo, vel damnando, ut iniquam, & irrationabilem. Tunc enim consensus Principis requisitus deest. & expressæ legis præponderat auctoritas. *c. Cum causa. De sent. & re iudic.* Excipe consuetudinem immemoriam, cuius inchoatæ nulla memoria extat. Si tamen lex, præsertim Ecclesiastica non tantum prohibeat consuetudinem, sed etiam reprobet, ut irrationabilem, comprehendere censetur etiam immemoriam.

lem. c. r. De consuet. in 6 & c. Consuetudinem De cler. non refid. uti Barb. numerat casus particulates, in quibus nulla consuetudo valere potest. F. Azor l. l. 50 l. 19 Reginald. l. 13 c. 23 n. 54. Layn. l. 1. Tract. 4 c. 24 Roder. l. cit. Zerola v. consuetudo Salas de leg. qu. 97. D. 19 sect. 7. Duem. in reg. 144.

6. Iusta, & rationalis consuetudo cenetur, quæ nec naturali, nec divinæ legi repugnat, & bono communi utilis est. Ex aduerso iniusta, & irrationabilis i. cū obest bono communi, ut si scandalum patriat, vel libertati Ecclesiasticæ aduersetur. 2. quando repugnat legi divinæ, qualis olim fuisse dicitur, ut simplex sacerdos Confirmationis Sacramentum administraret. 3. quando legi naturali contrariatur, cuiusmodi est usura. c. Quanto hoc T. Franc. Leo Par. l. c. 3. Menoch. de arbitrar. casu 8. Sanchez de matr. l. 7 disp. 4 n. 14. Reginald. l. cit. n. 25; Cotta in Memorabilibus V. Consuetudo Barb. ad T. de consuet. Gaill. l. Observ. 36 Tanner l. cit. n. 15. & seq.

Nota. Exempla receptarum in Ecclesiâ consuetudinum enumerat Azor Parte 1 l. 20. 11. Non receptarum verò l. 5. c. 19.

Consuetudo iidem cum lege modis definire potest, 1. per solam cessationem mutatâ materiâ, circa quam, aut sine tum particulari, tum generali, 2. per abrogationem, seu legem contrariam, quæ vel totâ, vel parti deroget. Diximus enim à Principis consensu pendere. Is proinde cum ratio & æquitas suaserit, natam sui tolerantiam consuetudinem tollere, & extinguere poterit. c. cum tanto hoc F. c. Omnis res de reg. iur. 3. Consuetudo præscripta tolli potest contrariâ consuetudine similiter præscriptâ. Imperatorum

quoque pragmaticâ sanctione tolli posse certum est. Gaill. lib. 2. observ. 1. n. 6.

VIII. Ad consuetudinem refertur *stylus*, ritus & forus, ut veteres loquuntur. *stylus* i. significat modum, & morem scribendi 2. usum loquendi in iudiciis 3. modum, qui servari solet in ordine aliquo iudiciali. Vnde Cynus dixit, *stylum* esse practicam alicuius Curie: & Felinus in c. 2. de rescriptis *stylum* loci servandum esse. & citationem non expeditam secundum *stylum*, & Curie nullam esse. Per Antonomastiam sic appellatur praxis Curie Romanæ. Propriusimè significat ordinem iudiciorum, his omnibus comprehendo etiam scripturas, Bullas, & responsa, aliaque his similia ad eundem finem pertinentia. Qui ordo quamvis per se vim legis non habeat, ut benè animadvertit Vasquez & post illum Salas: frequenti usu tamen inducere consuetudinem potest, quæ legis instar, post legitimam præscriptionem obliget. Quo sensu Anacharantus dixit *stylum* Curie facere ius in casibus à iure non decisis. Barb. in Præci De pensionibus Par. 1 q. 5. n. 16. Valent. l. 1. T. 4 §. 4. Zaf. l. 1. Consil. 12. Raubhar Par. 1 qq. insignium q. 1 n. 24 Gaill. l. 1 Observ. 6 §. n. ult. Vasq. Disp. 277 c. 1 Salas q. 97. D. 19 s. 19.

Similiter *stylum* Principis ius facere, ad instar consuetudinis tradit Alexander Consil. 39 Visis, & consideratis l. 3. intellige, cum eo fine adhibetur à Principe, ut legis aut consuetudinis loco sit. Quo sensu accipienda sunt etiam pronuntiata, quæ Cardin. Tuschus in unum congescit l. 8. Concl. 695. ut 1. quod *stylus* & longævus usus causarum allegari possit pro iure. 2. quod *stylus* Curie attendi, & pro iure habe-

haberi debeat. 3. quod stylus pro formâ habeatur, à quâ non liceat recedere. Hæc & similia, dico, locum habent in illo stylo, qui cum auctoritate Principis eo sine exercetur, ut pro lege, aut consuetudine sit.

Ritus est solennitas quædam, seu forma specialiter in administratione sacramentorum adhiberi solita. *Rochus Curtius* definit, esse consuetudinem, quæ sollemnitatem præbet in aliquo actu exercendo; ita, ut ubi usus disponit, circa sollemnitatem actus Ritus, seu *observantia*, dici queat. Quod si per frequentationem continuatus, & roboratus fuerit, eandem cum legitimâ consuetudine vim obtinebit. v. *Eberhard. in Lo à stylo Curia. Tuschum l. cit. Ducn. in Reg. 587.*

Forum aut *Forum* cum stylo ferè coincidit, si restringas ad iudicialia, ut nomen ipsi in fori exigere videtur. Hinc cuiusque iudicis territorium forum nuncupatur, & actiones ipsæ forenses instrumenta quoque eò pertinentia, aliqui morem & leges observari solitas in processibus judicialibus eo nomine insigniunt, ita, ut forum attendere, & tequi actores debeant, non minus quàm alias consuetudines legitimè inductas. *Suar. l. 7 c. 6.*

IX. Differunt hæc quoque *Mos, Vsu, Stylus, observantia*. *Mos* propriè est consuetudo imperfecta. *Vsu* significat actus illos quibus consuetudo formatur. *Stylus* est Curie praxis, ut modò diximus. *Observantia* propriè respicit factum, & concernit usum alicuius iudicii, aut tribunalis ut in *c. fin. de ser. & in l. præsides. r. eod.* in quibus ferie incipiunt iuxta observantiam illius iudicii, cum in illis iuribus nullum certum tempus re-

quiratur. *Decius in Rubr. de Consuet. Decianus l. 21. c. 31 Barb. ibid. Vasq. disp. 177. c. 1.*

§. 10.

De Rescriptis.

I. **R**escripta vocamus summi Pontificis literas, sive Responsta, quæ vel pro iustitiâ administrandâ, vel beneficio conferendo, aliave de causa redduntur. Multa illorum mentio in Iure Canonico est, & titulus peculiaris extat in *l. 1 Decretal. ordine tertius*. Facere jus, non generale, sed speciale inter personas, quarum interest, in materiâ particulari ex *Gotofredo tradit silv. v. Rescriptum. n. 1.* In aliis constituere legem generalem liquet ex *c. 1 dist. 19 & Glo. in c. Ex tua. V. Consultationi. de sil. presb. v. Sanch. l. 2 de Matrim. disp. 31 Laym. l. 1 Tract. 4 c. 6 §. 3 n. 13. Armilla. V. Rescriptum. Zerola Par. 1 eod.*

II. Illorum tria sunt genera. Quædam dantur contra ius commune, & propriè dicuntur privilegia, vel dispensationes, ut cum alicui plura beneficia incompatibilia conceduntur. Quædam verò dantur ad lites, & vocantur *Rescripta iustitia*, ut si Pontifex designet iudicem, qui causam cognoscat. Quædam denique *Gratiæ rescripta* vocantur, quod per illa aliquid præter ius concedatur, ut si idoneæ personæ præbenda assignetur. *Coninck de Sacram. d. 33. dub. 6.* Quod duobus modis contingit, *primò* per literas, quibus illi jus tribuitur ad beneficium vacaturum: quæ concessio dicitur *Gratia expectativa*. *Secundò* per literas, quibus mandatur, vel ordinario, vel alicui executori

cutori, ut de beneficio vacante provi-
deatur clerico, pro quo scribitur. Et
hæc vocari solent *Mandata*. De variis il-
lorum formis Corasius in paraphrasi de
benef. *Menoch. de arbitr. Casu 201 Vallens-*
is l. 1 T. 3 §. 4 Azor par. 11. §. 24.

III. Quemadmodum Papa, sic Imperator, aliique supremi Principes Rescripta edunt ad postulationes vel supplicationes subditorum. *Rescripta. C. de precib. imp. offer.* Imperatorum subinde vocantur divinæ iussiones, sacri affatus, sacra oracula, sacre formæ aut iussiones, Imperiales concessiones, & sacre literæ. Eadem licentiâ utitur Cancellaria Pontificia, Imperatorum, & Regum quibus non nisi gravatè alii principes cedent. Legati pontificii quoque & senatus Cardinalium. His inferiorum concessiones tam grandi elogio non videntur prænotandæ. *Phil. Caroli l. 2 Antiqu. Romanæ. ubi modum quoque reperies. Tuschus lit. R. Concl. 210 Azor Tom. 1 l. 5 c. 24. q. 2.*

IV. In omnibus Rescriptis faciendâ est mentio de illis, quæ movere Pontificem poterunt ad rescribendum, vel non rescribendum, vel tam faciliè respondendum. Quod generaliter obtinere putat *Garzias de benef. Par. 8 c. 3.* in rescriptis iustitiæ: in illis verò quæ Gratia vocantur, non nisi illorum faciendâ mentio, quæ ut exprimentur, jure & stylo Curia cautum est; quia collatio beneficii facta criminoso, exceptis, quæ inhabilitatem causant, valida est: at si obreptitiè impetrata sit iurisdicção, nullius momenti ac roboris erit processus. *c. Ex tenore. c. ad audientiam. c. super literis. c. ad aures. hoc T. Panorm. inc. Requiris. de appell. Tuschus*

Concl. Menoch. l. cit. n. 24. & sequentibus multa particularia scitu digna commemorans, quæ brevitatè studio omitimus.

V. Clausula. *Si preces veritate nitantur,* in Rescriptis Pontificiis semper subintelligitur. *c. Ex parte. c. Olim. hoc T.* In secularibus nisi expressa fuerit, irrita censentur Rescripta. *l. fin. C. de diu. refer.*

Quamobrem omnis surreptio, & obreptio cavenda erit. Cæterum obreptio committitur exprimendo falsum; surreptio autem retinendo verum, quod secundum leges manifestandum est. *Innoc. inc. Cum dilecta hoc T. Menoch. de arbitr. Casu 10. n. 9 Filliat. Tract. 10 c. 10. n. 324.*

Illi qui surreptionem obiicit, probatio incumbit. At qui falsum narravit, probare tenetur id, quod loco verè obtrusit. Utrolibet modo falsum libello insertum fuerit, beneficii concessionem ipso iure nullam efficit. *c. super his literis. c. ad aures. hoc T.* Si factum ignorantia vel errore sit, ut in dubio præsumendum, distingues. Si non obstante falsitate, quali negotio probè cognito præsumi queat verosimiliter Pontificem concessurum fuisse, Rescriptum valebit, saltem in communi forma, ut Iudex delegatus causam definiat, non quidem secundum formam Rescripti, sed secundum ordinem Iuris. *c. super literis. c. Ex insinuatione. hoc T.* Si verò Pontifex explicatâ veraciter rei qualitate, verosimiliter præsumatur non consensurus, puta, quia contra Canones postulatur, non valebit Rescriptum. *c. super literis cit.* Denique contra Rescripta Gratia, quomodocunque suspecta fuerint, remedium exceptionis cuilibet permissum est, quia habentur

57
 pro ambitiosis. c. *Quamvis de praben. in 6. Zerola Par. V. Rescriptum n. 4 Cacchus l. 1 Inst T. 2 Staphil. de lu grat. pag. 309 Tuschus Concl. 217 Salas de leg. q. 97. disp. 20 sect. 15.*

VI. Rescripta omnia stricti juris sunt, nec amplianda in dubio, sed contrahenda potius ad ius commune. c. *Causam qua hoc T. ubi citatis pluribus Barbosa tradit, Rescriptum ad lites restringi debere ad ius commune, atque ita intelligi, ut quam minimum laedatur. Interpretandum praeterea secundum verisimilitudinem concedentis, nec tam verba attendenda, quam sensum. Nunquam enim censetur aliquid contra ius commune statuere Princeps, nisi disertis verbis exprimat: multo minus derogare cuiusquam iuri iam quaesito, ut innumera mala videntur. Ac proinde omnes clausulae in Rescriptis expresse vel tacite ad iuris communis terminos revocari solent. Zypaus l. 1 Respon. 4 n. 8 Gaill. l. 1. obs. 33. n. 6 Tuschus Concl. 212.*

Vnde sequitur, quod clausula Rescriptis de iustitia inferi solita, *omnesque alias causas, quas habet orator, habereque vel movere intendit*, intelligenda tantum sit de causis, quae pares sunt expressis, vel minores non vero aliae impertinentes, vel maioris momenti. Pari modo clausula *Cum incidentibus, emergentibus &c.* ad ea restringitur, quae ex causa principali manant, vel connexa sunt, c. *Sedes Apostolica. hoc T. & c. 2 eod. in 6 Zypaus Consultatione. 2 pag. 9 Menoch. de arb. l. 1 q. 45 & l. 2 Casu. 95. Commink disp. 33. de impedim. matrim. d. 6.*

VII. Ex duobus Rescriptis ad eandem rem, vel litem obtentis posterius obviet, modo prioris in illo mentio fiat,

& primum consensu partium non fuerit impetratum. Nam ab uno tantum si fuerit impetratum nullam prioris factam mentione, minime valebit, c. *Caterum hoc T.*

Prævalet etiam speciale, quamvis de generali sileatur, quantum ad ea nimirum, quae in speciali specialiter continentur, c. *Pastoralis S. quoniam*. Obtinebit etiam si speciale prius impetratum sit. Generi enim per speciem derogatur c. *Generi de Reg. iur. in 6.* Utumque si generale fuerit, illud quod minus videtur generale, præferetur. *Rebuff. in Tract. de Rescript. n. 104 Dynus & Peckus in Reg. cit. Gener. Tuschus Concl. 223.*

VIII. Non admittitur, sed pro nullo habetur Rescriptum 1. quod est contra ius, nisi illi per Rescriptum derogetur. Quod intellige, non tantum de iure scripto & communi, sed etiam municipali, particulari & consuetudine, quando illius nulla mentio fit. Nam in eiusmodi concessionibus Princeps in nemor fuisse legum, praesumitur, nolleque uno Rescripto subvertere, quae à maioribus suis magno studio, & prudentia constituta sunt. 2. si sit contra stylum Curiae: quia nemo tunc prudenter existare potest in Curia, & à Curia conscripta esse. 3. si in Rescripto iustertii laedatur, vel clausulas insolitas habeat: si careat debita solennitate: si ratum sit in loco suspecto, si sit contra utilitatem publicam. 4. si inhibeat causae cognitionem. c. *Ex parte. hoc T.* Tunc enim suspicari licet ab alio, vel jurisignaro, vel potestatis experte confectum esse. 5. si manifestè peccet in lingua latina, c. *ad audientiam. hoc T.* intellige de Rescriptis ecclesiasticis. Principum

cipum namque secularium rescripta quantumcunque in Grammaticam peccent, valida censentur *l. Imperator x. De statu hominū.* Limita, ut de illis tantū, intelligatur quibus orationis sensus corrūpitur. Denique lite pendente neutri parti fas est rescriptum impetrare. *c. Inter dilectos hoc T. Vallens. §. 7. Roman. Consil. 330. las. in Rubr. C. ut lite pendente Tuschus Concl. 214. & Concl. 216. Salas Q. 97. Disp. 20. sect. 15.*

IX. Qui contra eundem in eadem causa, vel lite ad diversos Iudices impetravit rescripta, nullā invicem mentione factā; omnibus uti non erubescens omnium commodo catere debet. *c. Ex tenore, hoc T. ubi causa assignatur. Quia fraus & dolus alicui patrocinari non debent. l. Nec ex dolo. l. 3. x. De transact. c. Audivimus De collus. detegendā.* Notat verò Barbosa secundum *Os. i. nsem. Panormitanum,* & alios quosdam ad prædictam pœnam sufficere, solam diversorum rescriptorum impetrationem, & in ea fraudis actionem ut colligitur ex illis. Nos attendentes fraudē presbyteri memorati duas commissiones super eodem negotio impetrant. Nihilominus tamen contraria opinio communior & in praxi usitatior est, tunc solum incurri pœnam illam, quando impetrans diversa rescripta iisdem utitur, non verò cum uno tantum, vel neutro. *Glo. 1. hic & clarius Glo. 3. in c. ceterum. De Resor.*

X. Rescriptum ab excommunicato obentum ipso iure nullum esse *ex c. 1. De reser. in 6. manifestum est.* Sed an de rescriptis non tantum Papæ, sed ordinariorum quoque intelligendum sit, dubitatur? affirmativæ opinioni textus favor,

& Glossa. *Navarrus in m. lib. 4. Const. 44. n. 4.* probabile cenet, nunquam habu. locum in rescriptis ordinariorum, vel certè defuisse locum habere in illis per delictum; tum per *Clementinam 2. De off. ordin.* quatenus habet, impetrationem beneficii factam à Papa, vel legato illius sine mentione beneficii prius obtenti esse surreptitiam, & ipso iure nullam; non autem collationem ab ordinario factam tum quia non videtur eadem ratio de impetratione rescripta Pontifice facta, & impetratione facta ab ordinario; quia facilius subreptur Papæ & Principi pluribus occupato, quàm ordinario paucioribus intento; tum quia nec *Ioannes monachus,* nec alii commentantes in *c. citatum* faciunt mentionem de nullitate gratiæ, vel rescripti ab ordinario obtenti propter excommunicationem; tum quia de stylo Curie inseritur literis Apostolicis clausula illa, per quam tollitur is effectus excommunicationis, & ad eò quidem, ut si non ponatur, subintelligenda sit: tum quod appellatione verbi *rescripti* generaliter in iure prolatis solum Apostol. Imperiale, aut regi includitur, ut colligere est *ex T. De rescriptis tam Decretalium, quàm sexti, & Clement. & ex l. Rescripta. l. quoties C. de precib. imp. & offer. & l. fin. C. si con. ius, vel utilitatem publicam;* tum quia rescripta Principum faciunt ius, etiam quoad alios, quàm nominatos in similibus casibus non verò rescripta inferiorum, ut post *Ioann. Andr. tradit Felinus in Rubr. De reser. n. 1.* Denique Archid. tenet valdè seriò, *c. 1. de quo agitur,* non comprehendit, excommunicatum occultum sed tantummodò publicum, quamvis contrariū ibidem teneat communis, *Ita Nav.*

Quæ supersunt de rescriptis ad beneficia potissimum, quia penè nullus illorum in Germaniâ nostrâ usus est, omitimus, & lectori remittimus ad *Menochium de arbitrar. Casu 201 & seq. Azor. par. 2. l. 7. c. 32 & seq. Zypæus Consultat. l. De rescriptis.*

§. II.

De Regulis Cancellariæ Apostolicæ.

I. Innocentius VIII. Anno salutis 1484. tricesimo die mensis Augusti reservationes quasdam beneficiorum, & Dignitatum Ecclesiasticarum, Constitutiones item, & regulas præscripsit, publicavitque per Rodericum Episcopum Portuensem S. R. E. Vice Cancellarium, quæ appellatæ sunt regulæ Cancellariæ Apostolicæ, quia secundum illas iudicandum est omnibus, ad quos eiusmodi causæ & negotia pertinent in Curia, seu Cancellaria Pontificia. Temporales esse, & ad vitam Papæ, qui eas fecit, durate, monet *Gemin. Consil. 93.* An autem reservatio quoque expiret, inter DD. ambiguum est. *V. Tuschum Concl. 97.*

II. Numero septuaginta tres sunt, quas olim interpretandas suscepit Alphonsus Sotto, recens verò Ioannes à Choki. & Iuris Leodiensis. Illis adduntur quædam Iulii II. Clem. VII. Pauli III. & Pauli V. auctoritate omnibus & SS. Theol. & iurisque iuris candidatis apprimè commendat *Sigis. Vorburg. in parat. suis.* Usus tamen non magnus, nec fructus nisi apud illos est, qui in Cancellaria Romana a Curia causas sunt.

III. Quam auctoritatem habeant in dubio est. Sapere naturam legis, & obligare, dicent curiales, & affirmat *Zerolap. l. V. Regule.* expiret tamen mortuo Papa. Idem de rotæ decisionibus docet, facere opinionem communem, quod rerum, & iurium peritis nemo facile persuadebit. Alii malunt vocare constitutiones generales derogatorias, quod non magni interest, si de re ipsa constet, quamdam videlicet illis obligandi vim inesse. *Salas Q. 92. Disp. 12. Tanner. II, D. 5. Q. 3. n. 106.*

Nota. Quamvis mortuo Papa expirent, per successores tamen cum eisdem qualitatibus renovantur, & peragantur. *Barb. l. 2. vot. decis. 43.*

IV. Prædictas regulas non obligare ad peccatum in foro conscientie ex *Baldello* tradit *Escobar in Theologia Morali pag. 59.* Ex quo inferitur, donationem inter vivos ab Episcopo factam intra viginti dies ante obitum valere in foro conscientie, quamvis per Regulam Cancellariæ nulla sit in foro externo. Quod præter alios etiam *Diana sætetur Par. 1. Tract. 10. Resol. 43.*

§. II.

De Canonibus Apostolorum.

I. AB Apostolis Canones aliquos ad morum disciplinam conditos, & posteris relictos esse communis DD. Catholicorum sensus est. De tempore non omnino liquet. Factum in Concilio Ierosolymis habito *Actor. 15. ex Clementis Romani* verbis colligi videtur *l. 6. Constitut.*

tut. c. 12. Remansimus, inquit, pluribus diebus Ierosolymis, conquirentes una, qua ad communem utilitatem ac correctionem sperabant. Sophronius autem in homilia de agone Petri & Pauli conditos putat illis quindecim diebus, quibus apud Petrum mansisse se Paulus scribit ad Galat. I. v. 18. Pamphilus martyr non Ierosolymis, sed Antiochia contigisse vult. A qua opinione non abhorret Innocentius I. epistola 18. sed quia nihil certius sperare licet, admodum probabile censeo, in eâ synodo, quæ Act. 15. describitur, plura in medium prolata esse, quæ postmodum in certa capita, seu Canones redacta sint. V. Lorin. in cit. c. 15. ad Gualter. Chronolog. seculo 1. pag. 12.

II. De numero quoque magna Doctorum, & opinionum varietas est, ut videre licet apud Gratianum d. st. 16. Barbosa ibidem. Baronium Anno Christi 1102. n. 6. Bellarm. l. 2. de Pontifice c. 27. Furrianus l. 1. Constitut. c. 32. Barthol. Caranza summa sub init. Francisc. Longum à Coriolano in summa Conciliorum initio. Sigismund. Vorburg in Rudim. Iuris Canonici pag. 79. Ex quibus colligitur, Canones Apostolorum 8, ut passim numerantur, non esse ab ipsis Apostolis scripto traditos, & relictos, eaque propter inter apocrypha à Celasio Papa numerantur dist. 15. c. sancta Romana. Imò illorum aliqui nullius Catholici auctoris videntur, ut sexagesimus quintus & ultimus, ubi ieiunium diei sabbathi prohibetur, & sacrorum librorum Canon mutilus proponitur. Bellarm. l. de scriptor. Eccles. de S. Clem. Romano.

3. Leo IX. Papa in c. 3. dist. 16. apud Gratianum, quinquaginta Canones tantum agnoscit, qui numerus etiam apud Dionysium exiguum reperitur, à quo ex græ-

co in latinum translati sunt. De illis, & reliquis supradictis excipiendo sexagesimum quintum, ac postremum, Baronius ad annum Christi centesimum secundum affirmat ab Ecclesia probatos, & pro authenticis habendos esse: illorum doctrinam mansisse ex traditione Apostolica, & in quinquaginta Dionysii Canonibus nihil reperiri, quod Apostolicam traditionem non redoleat, quicquid de aliis sit.

De iisdem loqui Isidorus in c. 4. dist. 16. censeo, cum iuxta Glossæ mentem tribus rationibus probat Canones Apostolorum recipiendos esse. Primò, quia plures eos receperunt. Secundò, quia SS. Patres eorum sententias confirmaverunt, & eas inter Canonicas Constitutiones poluerunt. Tertio, quia positi sunt, & inserti in Breviario, in quo Decreta diversorum Conciliorum posita sunt, quod factum fuit à Clemente usque ad Silvestrum. De aliis verò, id est, supposititiis, vel hæreticorum malitia corruptis, cum c. l. eiusd. dist. negat, SS. Patres assensum illis præbuisse.

IV. Extant prædicti Canones apud Zonaram, quem latinitate donavit Quintianus Hædus in Vniuersitate Parisiensi professor, & Bartholomæus Caranza, qui præfatus se octoginta quinque Canones numeraturum, ex græcis & latinis Codicibus, non nisi octoginta quatuor exhibet. Nec plures apud Gentianum Harueum reperiuntur. Est autem ommissus quadagesimus nonus, qui sic habet, Si quis Episcopus, aut presbyter iuxta præceptum Domini non baptizauerit in nomine Patris, & Filii, & Spiritus sancti, sed in tribus sine initio principis, aut in tribus plius, aut in tribus paractis, abiciatur.

ciatur. V. tom. I. Concil. Bini pag. 5. *summam*
Conciliorum Coriolani pag. 123.

S. 13.

De Canonibus pœnitentialibus.

I. **C**ANONES pœnitentiales in fine Decreti leguntur quadraginta septem ex variis iuribus collecti, quibus præcipuè tempus pœnitendi præfigitur, *exempli gratia. Si presbyter fornicatus fuerit, decem annis pœnitentiam agat. Item, qui uxorem duxerit adulterio pollutam, annis quinque. Qui votum simplex violaverit, totidem annis.*

II. Instruuntur ibidem Confessarii, quâ discretionè prædictis Canonibus uti debeant, eorumque iudicio res tota committitur propter disparem pœnitentiû conditionem, virium imbecillitatem, aliasque circumstantias. Hodie non esse pœnas secundum istos Canones præscribendas, utpote longo non usu abolitos notat *Reginaldus & alii*. Nam si *exempli causa*, pro unâ fornicatione decem annis pœnitentia agenda sit quod anni debentur illi, qui toto vitæ suæ tempore in concubinato vixit: plures nimirum, quâ cursus vitæ longissimus contineat. *Navar. in c. falsas de pœn. dist. 5. & Henric. l. 2. c. 22.* pro foro externo constitutos fuisse arbitrari, idque propter scandalum offensionis publicæ, & periculum revelandæ confessionis.

III. Serviunt nihilominus 1. ut suspiciamus maiorum nostrorum zelam ac pietatem, 2. ut nostræ nos pudeat ignaviæ, & accediæ, 3. ut subinde magni peccatores extimulentur propositis pœnis, quas commeterunt, quarque meritò im-

poni possent, si Ecclesia iure suo uti vellet.

IV. Si causam quæris, cur ab antiquo rigore Ecclesia remiserit, plures assignari possunt. *Primo* quidem, quia cum tempore, & fidelium numero crevit peccantiû, & peccatorum numerus. *Secundo*, quia per Ordines Regularium obteuta sunt multa privilegia, & relaxationes. *Tertio* Varietas opinionum invaluit, aliis laxam manicam, aliis strictam commendantiibus. *Quarto* persuasio quorundam pœnitentiam non obligari se ad acceptandam pœnitentiam à Confessario iniunctam, modò paratus sis in purgatorio luere. Quam opinionem ante hac etiam Theologi quidam professi sunt. *Scotus in 4. d. 18. q. 1. art. 1. Gabr. ibid. q. 1. a. 1. & dist. 16 art. 3. dub. 5. Medina tract. 2. q. 45. Silv. v. Confessio q. 25. licet in q. 6. contrarium videatur sentire. Arm. v. Confessio §. 29. Nav. c. 26. nu. 20. Ostiens. & Pan. in c. significavit. Depœn. & remiss. Peltanus in tract. de satisfact. Dixi antehac ita sensisse quosdam, quod contrariû hoc tempore tantum non de fide creditur esse. V. *Suar. IV. D. 38. sect. 7. De Sacram. Pœnit.* Denique ex Indulgentiis tam multis, leves, & improbi homines occasionem sumant omnem pœnam declinandi, & per iteratam confessionem ac communionem inane nomen sanctitatis aucupandi. Serpit enim hodie, ut *S. Bernar. loquitur serm. 33. super Cant.* putrida tabes hypocrisis per omne corpus Ecclesiæ, & quo tolerantius, eò desperatius. V. *summam Raym. pag. 552. Chapeville de Cas. refer. c. 12. pag. 111. Reginald. de prud. Confess. p. 376 Navar. in c. Falsis. De pœnit. Dist. 5. & Manual. c. 26. n. 17.**

S. 14. De

§. 14.

De fictione iuris.

I. Fictio iuris eo fine inventa est, ut suppleat id, in quo desideratur facti veritas: ac proinde definitur *Legis adversus veritatem in re possibili ex iustâ causâ dispositio. Vel, eius, quod est possibile, contra veritatem pro veritate assumptio.* Exempli gratia. Titius nunquam malus fuisse censetur, quia ferè mores suos cortexit. Item, Caius hæres à puncto mortis testatoris, dominus honorum exitisse fingitur, quamvis nondum adierit hereditatem. Item, cum maior pars communitalis consensit, tota communitas consentisse reputatur. *Bartol. in l. si is, qui pro emptore. De Usucap. Alciatus tract. presumpt. P. 3. Ostien. in Rubrica. De presumpt.*

II. Inter Fictionem iuris, & Præsumptionem differentia est 1. quia Fictio iuris tantum operatur, quantum veritas; præsumptio autem in dubio manet, tamen si eatenus habeatur Veritatis comes, quatenus in contrarium nulla apparet probatio. 2. Fictio iuris est super certo; præsumptio iuris super incerto. *Glo. in l. unie. §. accedit. De rei ux. act.* 3. Contra fictionem iuris non admittitur probatio; sed contra præsumptionem admittitur. 4. Fictio tantum operatur, quantum Veritas; quod præsumptioni per se, non convenit. Idcirco vigilantia opus est, ne quæ sub specie veritatis Fictio decipiat. Nam circa idem duæ fictiones non admittuntur. *Bart. in l. si is qui. De solut. Decius in. si verum petatur. l. singularia n. 6. Wesenbec. li. 2. T. 3. cir. fin.*

III. Fictio ad solam legem pertinet, nec subiecta est arbitrio contrahentium. *l. si forte. De Castr. pecul. Imola Consil. 149.* Neque enim privato cuiquam adhibere fictionem licet, nisi ius permittat, & quasi præeat, quemadmodum vides in stipulatione Aquiliana *l. 18. De acceptilat.* & quibusdam aliis casibus, ubi lex stipulationem fingit, vel hypothecam. *l. un. §. 1. C. de rei ux. act.* Quomodo autem in Canonibus interdum Fictio usurpetur, exempla suppeditat *Glossa in c. Ferrum. Dist. 50.* ubi dicit, hominem convertum à vitâ improbâ fingi à iure, & præsumi quasi novum & recens baptizatum, de quo amplius infra. *n. v.*

IV. Fictio legis naturam imitatur, & eodem effectus habet. *l. adoptio. De Adopt. Quocirca ut naturaliter quis filium, ad tempus aut sub conditione habere nequit, ita nec eundem emancipare, aut adoptare in diem potest; sed absque omnium limitatione temporis facienda emancipatio & adoptio est. l. si tibi. eod. Barb. axiom. 97.*

Fieri tamen nequit, ut Ficti natura, & veritate potentior sit. *l. filio quem. De lib. & posth.* quin potius contra veritatem (re ipsa existentem) nititur, ut ex data definitione liquet, quamvis in casu ficto tantum operetur, quantum veritas in vero, *Andr. Gaill. l. 2. Observ. 127. nu. 6. Peck. in Reg. Ratihabitionem. De Reg. Jur. in 6.* Limita, nisi ipsa veritas requiratur, per *Decium in Reg. Omnia ferè 153.*

V. Tum à Canone, quam à lege Fictionem reperiri per omnia Prædicamenta Aristotelis, eleganter ostendit *Nicolaus Eberhardus in loco. De vi fictionis*, ut patebit singula perillustranti,

Primo

Primo, de substantia exemplum est Matth. 11. v. 14. Ipse (Ioannes Baptista) est Elias, qui venturus est. c. *Queritur* 22. q. 2. Item in l. Titius testamento. De lib. & posth. fingitur non natus, qui natus est.

Secundo de quantitate Marci 10. v. 43. Quicumque voluerit esse maior, erit Minister. c. *Diaconi* dist. 93. secundum leges autem fingunt subinde, aliquid esse plus ratione temporis. *Instit. de act. non. §. plus autem.* Fingunt etiam plus solvi. cum nihil debetur; & minus solvi, cum nihil solvitur. l. *minus solutum.* De verb. signif.

Tercio de qualitate exemplum habes in c. *ferrum* dist. 50. ubi post peractam poenitentiam, & in melius mutatis moribus criminolus fingitur non criminolus. Iure Civili autem subinde lex fingit esse purum, quod est conditionatum & è conuerso, quod conditionatum est, purum esse. §. *impossibilitas* *Instit. de hered. instituendis.*

Quarto de relatione Luca 2. v. 48. Ego & Pater tuus dolentes querebamus te. Vbi Iosephus qui pater non erat, fingitur esse pater, & habetur transumptivè in c. *Institutum* 27. q. 2. secundum leges autem interdum fingitur esse filius, qui non est, & econtra, cum talis per sententiam declaratur. l. 1. §. *fin.* & l. *sequ.* De liberis exhibendis & l. *ingenuum.* De statu Iudicum.

Quinto de Categoria ubi, quod locum significat, exemplum est in c. *Mutationes* 7. q. 1. ubi ad alium Episcopatum translatus fingitur adhuc in priore loco esse, in quo revera tamen non est. Iure Civili non raro fingitur esse praesens quoad commodum suum, vel incommodum, ut patet in exemplo absentis Reipub. causa, & corruptum: sed plenissime in fictione

possimiiii, & legis Corneliae. Nam iuxta priorem qui captus ab hoste in civitatem revertitur, nunquam abfuisse fingitur: iuxta posteriorem verò, mortuus in captivitate apud hostes in civitate mortem obiisse fingitur. l. *Cornelia.* De testam. *Instit. Quib. mod. in patria potest. §. si ab hostibus.* Dynus in Reg sine possessione De Reg. Iur. in 6. n. 14.

Sexto de quando, seu tempore non ratio fingitur aliquid eo tempore esse, quod non est. c. *periculosè.* De panit. dist. 1. ubi homicidio cum patrat, praesens esse fingitur, qui consulit illud, vel mandavit. In Iure Civili exemplum habes in actu conditionali, qui sortitur effectum ex tanta conditione, & tamen quia conditio retrahitur fingitur dudum antea fuisse. l. *si quod pendente.* De peric. & comm. rei vendita.

Septimo de actione exemplum extat in c. *Quarta.* De sent. excom. ubi violentas manus in clericum finguntur iniicere, qui consentiant in percussione, nec obviate laborant, cum possunt. In legibus autè saepe illi tribuitur actio, qui procul distans procuratorem constituit. l. *licet.* De iud. Item aliquando fingunt eum, qui tacet loqui, ut in tacitis stipulationibus: & vicissim non loqui, qui loquitur, ut cum aliud dixit, quam voluit. l. *In ambiguo.* De reb. dub.

Octavo de passione fictio interdum dicit illum pati, qui nihil patitur: & econtra non pati, qui revera patitur. c. *proposito.* & seq. 32. q. 5. leges autem fingunt patri illatam iniuriam esse cum filio illata est. §. *patitur.* *Instit. de iniur.* Similiter domino iniuria facta censetur, quando servis facta est.

Nono

Nono, quod prædicamentum *Situs* at-
tinet, in *c. Nervi testicularum* & *c. duo mala*
dist. 13. fingitur perplexitas esse, ubi non
est. Secundum leges verò in præscriptio-
ne non currente adversus minores. Nam
fingitur stare, & esse in pendentia. *l. fin. C.*
quib. ex causis maiores in integ. rest. Similiter
præscriptio aliquando currere, aliquan-
do dormire fingitur. *c. Cum non liceat, ex*
transmissa de præscriptionibus.

Decimo, denique de habitu exemplum
est in *c. lex continentia D. 31.* & in *c. vxoratus*
De convers. coniug. Vbi coniugatus
fingitur non habere vxorem. Leges au-
tem subinde interpretantur eum habere
qui non habet. *l. Qui actionum. n. De Reg.*
Iur. idem habere possessionem, qui caret
illa, ut cum ab ea advocari potest. l. nemo
inn. Glo. V. de acquir. poss. Præterea non ha-
bere dominium, aut rem, cui pretium
deest, vel qui tantundem est præstaturus.
l. plane n. De l. 2. v. Azor. in summa.

§. 15.

De præsumptione.

I. Præsumptio est cognitio ex circumstan-
tiis resultans. *c. ex studiis de præsumptio-*
ne. ubi conversatio in adolescentia dici-
tur facere præsumptionem pro senectute.
Melius ita definitur. Est coniectura proba-
bilis ex certo aliquo signo proveniens ad as-
truendam rei dubia fidem. Dicitur *c. Coniectura*
probabilis, ut distinguatur à suspitione le-
vi, & iudicio temerario, de qua accuratè
agit *Domin. Soto lib. 3. de iust. Q. 4. art. 3.* Di-
citur *2. ex certo signo proveniens,* non quòd
in omni eventu veritatis respondeat, sed
quia ut plurimum, iuxta materiam &
qualitatem rei, de qua præsumitur vel su-
per certo, intellige determinato. Dicitur
3. ad astruendam rei dubia fidem, quia semper

pro obiecto habet veritatem dubiam
in quo à fictione differt, ut *§. præ. n. 2.*
diximus.

Illustre & singulare exemplum in fa-
ctog alomonis cernitur, qui ex verbis
affectu materno prolatis colligit mulie-
rem illa profertentem infantis, de quo
litigabatur, matrem esse. *l. 3. Reg. c. 3. c. af-*
ferre mihi De præsumpt. Rubr. n. De probat. &
præsump. Panormi. in c. is qui de sponsal. Angel.
V. Præsumptio & alii summi. Casus. l. 4. T.
13. Vallens. l. 2. T. 23. Tuschus Concl. 109.

II. Dividitur primo acti suspicio, in
levem, seu temerariam, & probabilem.
Temeraria est iudicium mentis ex con-
iectura, seu signo patum probabili natu-
ideoque à nobis & à iure reicitur. *c. In-*
quisitionis De sentent. excomm. Nec quèn-
quam ex tali præsumptione iudicanda
esse, statuit Pontifex c. primo semper 2. Q. 1.
Probabilis præsumptio è contra proba-
bili fundamento, seu coniectura nititur,
in quo tamen secundum magis, & minus
varietas fit. Vnde aliqui dividunt in ve-
hementem, seu violentam, & non vio-
lentam. *Tholos. 48. c. 11. Tusch. Copel.*
617.

Dividitur secundo in eam quæ hominis
& eam quæ iuris est, de illa modo dixi-
mus, hæc in ipso iure invenitur, & du-
plex assignatur, alia iuristarum, alia iu-
ris & de iure. Præsumptio iuris tantum
dicitur, quando ius in re dubia aliquid
præsumit, nihil constituendo quod pro
iure habeatur: eiusmodi est præsumptio
factæ solutionis ex chirographo cancel-
lato. *l. si chirographum 2. 4. n. De probat. illa*
item, qua præsumitur, eum in adolescen-
tia probis fuit moribus, etiam in senectute
probum esse, & è contra c. ex studiis c.

F

man-

mandata. c. Cum in iuventute hoc T. Præsumptio Iuris & de jure est, cum lex, aut Canon ita aliquid præsumit, ut super tali præsumptione jus firmum statuatur, eamque pro veritate habeat, juris vocatur, quoniam à jure introducta est; de jure, quia super tali præsumptione lex inducit firmum jus, & pro ipsa veritate habet, ita ut non admittat contrariam probationem, quemadmodum admittit præsumptio Iuris tantum. Tales sunt, quæ extant in l. antiqua. C. ad S. C. Velleianum. in l. fin. C. ad Macedonianum. l. fin. circa initium. C. arbitrium tutela Panorm. in c. Quanto hoc T. Guido Papa de præsumpt. n. 6 VVesenbec. l. 22. Dig. F. 3 n. 13. Eberh. in Loco à Verosimil. n. 8 S. lv. V. Præsumpt. Carbo l. 6. delegib. c. 14. Salis eod. disp. 10. sect. 4.

III. Præsumptionum causæ variæ ac multiplices sunt, à Naturâ rerum personarum, qualitate negotiorum, pretio, famâ, factis. Item loco, tempore, ætate, statu, conditione, ac similibus. Quarum causæ naturales sunt, plus virium habent, quoniam maior illarum cum eiusmodi origine connexio. §. sed naturalia π. de iure natur. Accedunt propiùs, quæ ex innatis affectibus manant, qualis est amor parentum erga filios. Nam pro certo habentur filios à parentibus amari, ita, ut nihil contra eos mali exequi velint. l. consilio π. de curator. furiosis dand. i. nec in ea lege π. ad l. Iuliam. de adult. sed quia per veritatem elidi possunt, cum non repugnet contrarium fieri, inventique sint, qui naturalis, & innatæ benevolentia oblitto liberos trucidarint. C. ad l. Pomp. de parric. l. 3. & 4. idcirco tam diu creditur prædictis præsumptionibus, donec contrarium appareat: quo obtento quemad-

modum orto sole tenebræ, sic luce veritatis accensa dubiæ mentis contecturæ & præsumptiones occidunt. Card. Tuschus Conclus. 610 & 617.

A famâ profectas iudex accurate examinabit, neque ut sufficienter ad probandum admitet, c. si testes omnes §. sed etiam q. 3. nisi fama publica, & aliis adminiculis fulta fuerit. c. Tertio loco de præsumpt. Roderic. Tom. iv. T. 17 c. 5 & seq.

Violenta præsumptio plenam fidem facere potest, qualis est, mulierem gravidam deprehendere, à qua maritus integro anno absuit, de quare alibi prolixius. Alciatum Guido Papa.

Iam verò præsumptio, quæ Iuris dicitur, liquidissima probatio censetur. l. licet Imperator. π. de legat. c. Cum dilecti. De donat. nisi contrarium exorta veritas doceat. Hæc enim, undecunque allata, uti diximus, præsumptio cadit l. pen. §. mulier. π. de probat. Menoch. de præsumpt. c. 40. specul. in Rubr. eod. VVesenb. l. 27. T. 3. Carbo l. cit. qui etiam in decem prædicamentis locum esse præsumptionibus per inductionem probat, eo fere modo, quo nos de fictione in præc. §.

IV. Præsumptio Iuris, & de jure regulariter non admittit probationem in contrarium c. Is qui fidem. de sponsal. Card. Tuschus concl. 614. Quod Azor. l. 4. Cod. §. 19. exemplis de i. clarat. Nam primò si tutor in Inventario, confiteatur de substantia pupilli, postea non audietur, nec licet illi contrarium probare. Secundò si filius fam. miles ac ceperit pecuniam mutuo, præsumitur in castrenses causas accepisse, adeoque cessat Macedonianum. Tertio si mulier in instrumento publicè confecto & tribus testibus signato confessa sit, se

ob peo.

ob pecuniam intercessisse, præsumitur accepisse pecuniam, & negatur illi Velleianum. *Quartò* in ultima voluntate si mulier in puerperio obeat, quæ instituerat natos filios hæredes, præsumitur etiam instituisse illum, in cuius partu mortua est: ac proinde non admittitur actio contra ipsius testamentum.

His tamen non obstantibus probatio in contrarium admittitur. *Primò* per confessionem illius, pro quo militat præsumptio, siue ea confessio sit iudicialis, siue extraiudicialis, modò testibus roboretur, vel iam sit probata, quoniam de ea scriptum extat. *Glo. sing. in §. aliud quoque Auth. de equal. dot. v. Cottam in Memorial. p. 165.* *Secundò*, præsumptio iuris & de iure est pro sententia, quæ transit in rem iudicatam, confessio tamen illius, qui eam obtinuit, prævalet, & extinguit illam. *Innoc. in c. Quia plerumq. de imm. Eccl.* *Tertiò*, admittit contrariam probationem non solum per quinque testes, sed etiam per duos, aut tres legales. *Quartò*, cum certæ qualitates, & circumstantiæ requirantur ad præsumptionem iuris, & de iure, deficientibus illis licet excipere adversum eas. *Quinto*, contra tales præsumptiones prævalet notorium, & evidentia facti, modò permanens sit, & allegetur. *Plura Socinus in Reg. 314 Panorm. in c. Quia verosimile hab. T. Alciatus par. 2 de præsumptionib. num 5 Carbol. 6 de leg. disp. 14 Vallens. l. 2 T. 23 §. 4 Tabiena V. præsumptio.*

V. Præsumptio iuris, quam lex pro veritate acceperat, donec contrarium probetur, probandi laborem & onus in adversarium reficit. *c. Ex insinuatione. de procurat. cumque gravat durioribus pro-*

bationibus. Nam qui præsumptionem sibi contrariam patitur, ut validissimis illam rationibus repellere debet. *Lult. iun. Glo. x. quod metus causa. Abb. inc. cit. Quia verosimile hoc T. Notabili* unde colligimus præsumptionem, de quâ loquimur fortio-rem censeri quam sit semiplena probatio, quæ probandi onus non imponit adversario. Adde, quia usque ad contrarii probationem pro veritate habetur nulla iuramentum suppletorium exigendi necessitas est, quam vis illam pro se habens ad maiorem cautelam & securitatem deferre queat. *V. Vesenbec. l. cit. num. 15 Tholos. l. 48 c. 11 Mysing. Centur. 5 obs. 68 Vall. l. cit. n. 21.* admonens, de levi præsumptione, non esse idem affirmandum, nec ab ea onus probandi in adversarium conici posse. *Menoch. l. 1 de præsumpt. q. 82.*

VI. In eventu, quo plures præsumptiones concurrunt, debilior à fortiori eliditur. *l. Divus. x. de in integr. rest.* quemadmodum coniectura potentior infirmiore opprimit. Nec interest, si utraque iuris sit, vel una tantum, cui societur altera, quæ sit ab homine, semper enim prævalet fortior. *arg. l. Lucius 93 §. questum. x. de legatis.* ubi masculinum ex legis dispositione concipit femininum, & tamen ea dispositio non attenditur, quando de contraria testatoris voluntate certitudo habetur. *Bald. Consil. 398 surd. Consil. 80 Castr. cons. 26 l. 2 alex. cons. 54 l. 7 Dec. cons. 470 Tuschus Concl. 613.*

Pari jure præsumptio specialis generalem extinguit, & præponderat. Quæ autem in particulari censenda sit validior, aut potentior præsumptio, difficile est generalibus regulis decidere; sed pru-

denti iudicio determinandum relinquunt. *Sanorm. in c. Cum inter. de elect. surd. cons. 112* Tuschus lo. cit. ubi notat præsumptionem quæ inest à naturâ, censeri fortio-rem illâ quæ inest à casu, vel accidente. Ideo bona fama prævalet malæ, quando in concursu æqualiter sunt factæ proba- tiones. *Bald. Consil. 398. n. 4.*

Item fortiores esse præsumptiones, quæ habent pro se prohibitionem iuris vel pœnam. Ideo si concurrant promissio & prohibitio, prævalet præsumptio, quæ nocet, *Ang. Arz. Consil. 15.* Similiter eas, quæ tendunt ad tollendam donationem, fraudem ac dolum. *Alex. Consil. 18. l. 3.*

VII. Alias regulas *Alciatus tradit in Tract. de præsumpt.* quas operæ pretium iudico plenioris doctrinæ causa adiungere.

Prima est, mutatio non præsumitur, quæ mutare est quid contingens, qualia non præsumuntur. *Gloss. in l. si vero. §. qui pro rei qualitate. & qui satisfacere cog.* Hinc natum est illud vulgò notum, *semel malus, semper malus,* intellige in eodem genere mali. Imò de aliis quoque præsumi subinde potest propter connexionem, quam inter se vitia habent: & sic in *Can. si gens Anglorum dist. 56.* ex unâ specie delicti paterni præsumitur, filios & posteros quoque corruptos fore. Hoc tamen non procedit in delictis, quæ vel emendatione tolluntur, vel per ætatem & naturam alterantur, cuius generis amor, & libido censetur. *V. Roderic. Tom. 11 q. 13 ar. 3.*

Secunda Regula. Semper facienda est præsumptio in meliorem partem. *c. Estote misericordes. de Reg. Iur.* ubi Beda nihil aliud præcipi dicit, nisi ut ea facta, quæ dubi-

um est, quo animo fiant, in meliorem partem interpretentur. Unde sequitur eum, qui semel bonus fuit, semper præsumi bonum. Quod tamen limitatur quinque modis per *Felinum in c. Cum in iure. de off. deleg. 1.* quando agitur de præiudicio tertii. 2. cum de salute animæ agitur. 3. si ex actibus præcedentibus coniectura doli emergat. 4. si aliquando malus fuerit. 5. si agatur de aliquo promovendo. Nam vitæ integritas & requisita ad dignitates & officia non præsumenda sed probanda sunt. *Cardin. in Clem. 1 de concess. præben.*

Tertia ex præteritis præsumitur circa futura. *c. Mandata de præsumpt.* & conversatio in adolescentia facit præsumptionem de senectute. *c. Ex studio eod.* Nec incongruè cognati Ioan. Bapt. de eodem admirantes interrogabant *Lucæ 1. v. 66.* Quis putas puer iste erit? Etenim manus Domini erat cum illo, intellige in signis & portentis insolitis.

Ex his ita generaliter allatis plurima eliciuntur particularia, quæ diligens Lector apud eundem Alciatum inveniet. Nobis enim non licet esse plus nimio verbe sis. *V. summ. in v. iudicium, Coniectura suspicio, indicia, Præsumptio. Barbof. in T. de Præsumpt.*

VIII. Quærunt aliqui, ob quas causas in iure admittantur præsumptiones, quæ propter incertitudinem, & periculum errandi potius excludendæ & damnandæ, quam admittendæ videntur? Quæ potissimum assignari causæ possunt. Una est iudicii puritas, quæ non admittendo præsumptionem periclitaretur. *verbi gratia.* Duo sponsi in copula deprehensi sunt, iure antiquo præsumitur affectu mari-

matrimonium factum esse, adeoque illos in matrimonium consensisse. *c. Is qui fidem de desponsat.* Vnde enim hoc præsumendum, vel illos graviter peccasse. In hoc autem periculum est, ne prædictis sponsis iniuria fiat, cum fieri possit, ut se maritali affectu cognoverint. Et hæc vocatur præsumptio facti. Altera causa est, tam iudicii, quam scientiæ securitas. Cuius, *exempli gratia*, ante legitimam ætatem in ordine Religioso professionem edidit, valida est (ex natura rei) si in plena deliberatione voventis, aliisque requisitis præter ætatem nullus defectus erat. Irritat nihilominus lex Canonica. *Conc. Tr. Sess. 25 c. 15.* præsumens exiis, quæ frequentius accidunt, defuisse plenam deliberationem: quia hoc conducit ad tranquillitatem ipsius voventis, tum ad certitudinem iudiciorum, ut unam eamque certam regulam in eiusmodi casibus sequi possint. Hæc præsumptio securitatis vocari potest: alii malunt appellare moralis periculi. *Barb. in Prætermis. in c. Is qui fidem, de desponsat.*

IX. Quæ præsumptio & quando allegari possit in iudicio, *Menochius de presump. pt. 1. l. 1. q. 48* & ex illo *Vallensis tradit § 6* Equidem, quæ iuris, & de iure est, nunquam allegatur, quia iudex illam velit, nolit, sequi debet. Quæ juris tantum est, & ex facto proptio nata allegatur: quæ autem ex facto adversarii oritur, vel circa eius factum versatur, non nisi inde fructus speretur, alleganda est. Denique hominis præsumptio, cum planè ignota iudici sit, necessariò proferri & allegari debet. *Card. Tuschus Concl. 635.* ubi etiam monet, ex solis præsumptionibus neminem ad ordinaria pœnam condemnari

dum esse, nisi in criminibus atrocioribus qualia censentur *Assassinii, læsæ maiestatis, Simoniz, & similia.*

§. 16.

De æquitate iuris.

I. **Æ**QUITAS, seu *tribixeta* vocatur moderatio iuris, mitigatio legum ius temperatum, æquitas, quæ ex iure multum remittat, ut apparet in edictis Prætorum. Quid enim aliud est, restituere in integrum, quàm laxare scripti iuris rigorem? Laxare dico, non per dispensationem, sed benignam interpretationem. *A Iodoco Damhaudero cap. ult. Practica crimin. ita definitur, Æquitas est temperata iustitia cum dulcedine & misericordia, facta consideratione diligentis, & discretionis circumstantiarum,* de qua Salomon, *Noli esse iustus multum.* *Eccl. 7 v. 17 l. quod si Ephesi. π. de eo, quod certo loco. c. Disciplina. c. Omnis. dist. 45* Et melius est de misericordia, quàm severitate reddere rationem. *c. allegant 26 q. 7 Panorm. in c. Iurgantium. de sent. & re iud. n. 1 Decius in π. Si certum petatur. si tibi pecuniam. num. 6.*

Quamobrem suprema tribunalia quoque, teste *Budeo, in Pand. init.* interdum non modo iuris præscriptum, sed ne suarum quidem sententiarum præiudicia sequuntur, prægravante æqui bonique lance, in perpendendis temporum, personarum, locorum, & aliis qualitatibus: Proinde Aristoteles uno verbo *ἐπιεικτα* appellat, quod nostri æquum, & bonum dicunt. *A Navarro in Rubr. de iudic. de finitur, iustitia reddens ius, contra vel præter verba legis.* Vnde sequitur, iudicibus qui-

dem plurimum esse necessariam & propriam in casibus dubiis, privatis tamen permissam esse, si non in quibuslibet, saltem iis, quæ manifesta videntur, & morâ non patiuntur. Nam qui iudicio & prudentia valet, iudicare & interpretari poterit legem in hoc illove casu non obligare, vel propter intentionem legislatoris, vel damnum inde secururum, aliasque circumstantias, cum quibus non consistit obligatio. *ἐπιεικία* enim species est, seu pars interpretationis, quæ veluti commune quid latius patet. Omnis enim æquitas interpretatio est, sed non omnis interpretatio æquitas, seu *ἐπιεικία* Caiet. 2. 2. q. 120. ar. 1. Arragon. q. 58. art. 5. Dom. Soto l. 1. de iust. q. 7. art. 3. Carbol. 2. Disp. 6. & 7. Suar. de leg. l. 1. c. 2. & l. 2. c. 16. sely. V. æquitas & V. Iudicium §. 1. Sayrus l. 12. c. 9. V. asq. D. 167. c. 5. Comitol. De contract. Par. 1. c. 10. Wesenbec. l. 1. π. T. 1. n. 18.

II. Sitne virtus aliqua peculiaris ab omnibus aliis distincta, an potius quælibet in suâ materiâ rigorem Iuris scripti operâ communi prudentiæ moderetur, ac temperet, nostra quidem parum interest, qui non de subtilitate, sed benignitate solliciti sumus. At tamen absque necessitate non videntur multiplicandi habitus; adeoque Leon. Lessii opinio tenenda, cui etiam Suarius assentitur l. 6. de leg. c. 6. Singulæ igitur virtutes rationem æquitatis habent, quatenus contra legum verba ex affectu propriæ honestatis moderationem ac benignitatem sequuntur, intuitu nimirum altioris virtutis, verbi gratiâ, charitatis, quæ non recedendo à literâ & rigore præcepti læderetur: quamadmodum in lege ieiunii apparet, à cuius obligatione alias communi eximitur in-

firmus, & imbecillis per æquitatem, quia ieiunando læderet charitatem, quam sibi ipsi ad conservandam vitam propriam debet. Less. l. 2. c. ult. n. 69. Tanner. Tom. III. Q. 6. D. 2. n. 56. Hallus de conscientia l. 3. c. 22. Carbol. cit. Reginald. l. 13. n. 115. & seq. Bannez de iust. q. 58.

III. Æquitatem, seu *ἐπιεικία* in positivis & humanis legibus potissimè exerceri manifestum est & magis in obligantibus, quam infirmantibus Laym. l. 1. Tr. 4. c. 19. de naturali lege non eadem omnium Doctorum opinio circumfertur. Navarrus post Caietanum in Rubr. de iudic. n. 75. & Consil. 4. de dispensat. impub. n. 16. & seq. non minus in lege naturali, quam positivâ necessariam esse interpretationem seu *ἐπιεικία* contendit. Nam multæ, inquit, leges Decalogi indigent tali moderatione, quale est de neminem occidendo, quod per humana verba generaliter conceptum contra mentem auctoris includit homicidam morte dignum c. Ille gladium 15. q. 5. Tale est præceptum de honorando parentes, quos patriam oppugnantes licet filiis occidere. l. minime π. de relig. & sumpt. funer. Ita Navar. cui subscribit Salas Tract. de leg. q. 94. D. 5. sect. 10. cum aliis quibusdam minus propriè & distinctè loquentibus.

Etenim separando *ἐπιεικία* ab interpretatione simplici & dispensatione dicendum simpliciter est, in nulla lege naturali, secundum se spectata *ἐπιεικία* propriè dictæ locum esse. Ratio, quia legis naturalis præcepta sunt propositiones quædam necessariae & mutabiles, à nulla cuiuscunque hominis voluntate vel intentione pendentes: nec includunt superfluum aliquid, nec excludunt, quod ne-

cessa-

cessarium est. Vnde omnis interpretatio & moderatio circa illas frustra adhibetur. Quod etiam in exemplis supra positus patet. Nam lex de non occidendo in se spectata non includit homicidam morte dignum sed illos tantum, quibus iniuria fieret per occisionem. Includit tamen si universaliter more humano proponatur. Verbi gratia, Nullum hominem occides. Similiter præceptum de parentibus honorandis non est ita universale, ut quilibet casum comprehendat, sed idem sonat, quod honore debito patrem & matrem afficit: à nobis autem iis verbis proponi solet, ut nihil excipere videatur. Nec aliud Navarrum velle hæc illius verba indicant præceptum de non occidendo per humana verba generaliter conceptum includit homicidam morte dignam.

Verum de qualibet lege etiam civili & Canonica dici videtur posse, continere in se & respicere ea tantum, quæ repugnant honestati opposita, & excipere casus impertinentes. Etenim inter hominē legis positivæ auctorem, & naturæ auctorem Deum magna differentia est. Deus enim, cuius oculis nihil absconditum, omnes circumstantias & casus quocunque modo possibiles intuetur, & secundum eiusmodi præscientiam format leges, quod de humano legislatore dici non potest. Necessariò enim ipsum latent futura, quæ si cognosceret, legem suam mutaret, vel corrigeret. Hoc autem quia non facit, aliis censetur permittere, quibus in particulari occurrunt incommoda. Fac, mandasse regem, ut nemo armatus noctu in publicum prodeat. At mihi nunc prodeundum necessariò est, nec aliter contra invadentes tueri vitam, quam

armis possum, hunc casum à Rege exceptum esse interpretabor. Aliter si qui DD. locuti sunt, aliter usi sunt terminis interpretationis & epykiæ, ut bene advertit Suar. l. cit. Vasq. in 1. 2. Disp. 176. cap. 1.

IV. Quæritur etiam, an *ἐπιείκεια* tam in affirmativis, quam negativis præceptis locum habeat: R. si æquitas, ut ex S. Thoma Silv. declarat, est virtus, qua quis servata legis intentione legis verba non servat, respiciendo videlicet ad altiorem virtutē, & bonum commune, nulla ratio excogitari potest, cur non in utroque genere præceptorum adhiberi *ἐπιείκεια* possit, ac debeat. In omnibus enim contingit occurrere casus, in quibus servare legem absque moderazione nihil aliud esset, quàm lædere iustitiam, aut charitatem, ut patet communibus & vulgò notis exemplis, de reddendo deposito, excludendo cives tempore obsidionis & similibus, quæ toties inculcare superfluum censeo.

V. Sed occurrit dubium, an pro benigna legis interpretatione, seu epykia sufficiat etiam boni privati noxa, seu dānum: Vbi considerandum duplex privato homini accidere dānum posse, unū, quod immediatè illum afficit, & illo mediante communitatem, seu Remp. cuius interest, cives, & illorum bona illæsa permanere; alterum, quod ita proprium illi, ut vel nullo modo communitatem concernat, vel ita remotè, ut merito contemni queat. De priori minor, quam posteriori dubitatio est. Nihilominus tamen fieri potest, ut in tali casu propter nocuum particulare lex aliqua negligatur iudicio æquitatis, quoniam præsumi potest, intentionem legislatoris non esse cum notabili dāno subditos obligare.

Quo.

Quocirca conceditur etiam, ut propter lucri alicuius necessarii acquisitionem præcepta Ecclesiastica omittantur, quæ admodum diebus festis passim fieri cernimus à mercatoribus, qui ne lucro vitæ commodis necessario fraudentur, Misfam omittunt, neque ab Ecclesiastico magistratu puniuntur.

VI. Igitur non secundum verba legis, sed æquitatem seu *æquitas* iudicandum est in his quinque casibus *Primus est*, quando lex, aut simpliciter aut secundum aliquid ratione loci, temporis, aut personæ redditur iniqua. *Secundus*, quando observatio legis obesset bono communi *Tertius* cum præsumere prudenter licet, ipsū legislatorem, si adesset, contra tenorem legis suæ acturum, vel quod petitur, concessurū esse. *Quartus*, cum apparet, aliam extitisse auctoris mentem. *Quintus* denique quando de dispensatione Principis constat. Exemplo horum suggerit *Sayrus l. 12. c. 9. Henric. l. 10. c. 15. n. 66. Tanner T. D. 5. q. 7. dub. 2. & 111. D. 6. q. 2. dub. 2. Anton. Par. 1. T. 3. c. 10. § 10. Reginald. l. 13. numer. 115. & seq.*

Consilii est, in casibus particularibus, quando occurrunt, & nihil obstat, consulere viros doctos, & prudentes, seque illorum arbitrio conformare. Nam sua cuique cupiditas merito suspecta esse debet, ne per illam eò trahatur, unde nō possit sine damno mergere. Quod si ad superiorem aditus patet, is quantocumque pro capienda resolutione adeundus erit. His verò omnibus desperatis, conscientia, & ratione magistra utetur.

In particulari illis, qui scrupulosa conscientia anguntur, *Navarrus c. 27. nu. 247.* suadet usum *epykias*, seu æquitatis, ut

persuadeant sibi, non peccare, qui implet legem secundum mentem auctoris, licet in verba offendant, neque qui eam in sensu benigniore servat, quamvis in duriore violat. *V. Reginald. l. cit.*

Regulas æquitatis ex Iure Can. & Civili selegas invenies apud *Comitolum De Contract. Par. 1. c. 10.*

§. 17.

De Permissione.

I. Inter effectus legis numerati permissionem ex *Isidoro* liquet, relato in *6. sm. Dist. 3.* Omnis enim lex aut permittit aliquid, ut, vir fortis præmium petat: aut vetat, ut sacrarum Virginum nuptias nulli perere liceat: aut punit, ut, qui eadem fecerit, capite plectatur. Eius enim præmio, & pœna vita moderatur humana. Hanc legis seu definitionem, seu descriptionem enucleans *Franc. Suar. l. 1. de legib. c. 15.* illam tantum permissionem esse effectum legis docet, quæ per aliquam positivam præceptionem proponitur: qualis est, v. gr. illa in *Dig. l. 20. ad l. lul. de adult.* Patri datur ius occidendi adulterum cum filia, quam in potestate habet & *24. eod.* Marito quoque adulterum uxoris suæ occidere permittitur, sed non quemlibet. Quod repetitur & probatur in *C. l. Gracchus eod.* Igitur quo modo, & iure tam in Rep. civili, quàm Ecclesiastica impunè liceat contra leges præscriptas delinquere, paucis indicabimus, ne adhuc offensionis lapidem imperiti tyrones impingant.

II. Est autem Permissio non unius generis, sed in multas partes dividitur. *Gl. in c. Omnis autem. Dist. 3.* triplicem facit secundum

cundum tres modos, quibus aliquid permitti dicitur. *Primo* quidem, quia nullo iure prohibetur, ut nuptias secundas contrahere, *c. hac ratione 31. q.* *Secundo*, quia contra humanas leges indulgetur, ut contrahere matrimonium in quinto (melius hodie in quarto) gradu. Hanc permissionem non male dixeris dispensativam. *Tertio*, ut vitetur aliquid magis illicitum, adulterium scilicet, ne fiat homicidium.

c. si quod verius 33. q. 2.

Nota exemplum allegatum ex *S. Aug. l. 2. de adult. coniug. c. 15* decernitur est, & minus aptè profertur, quasi nunquam unius peccati loco aliud facere liceat. Nec *S. Aug.* ea mens, cum manifestè dicat, utrumque illicitum esse, sive adulteram occidere, sive illa vivente alteram ducere, ac proinde ab utroque abstinendum, nec illicitum pro illicito faciendum. Subdit verò, si enim facturus est, quod non licet, iam faciat adulterium, & non faciat homicidium, ut vivente uxore sua alteram ducat, & non humanum sanguinem fundat. hoc est, si liceret illicitum pro illicito facere (quod nemo dixerit) ex duobus id quod minus videtur eligendum esset, pura adulterium præ homicidio.

Paulò aliter *Angelus in V. usura. s. 2. nu. 14.* tres assignat permissionis species. Prima est simplex, indulgens pœnam tantum, quo modo Ecclesia permittit lupanaria propter maius malum evitandum. *c. denique un. Glo. in V. venia dist. 4. & c. veniens un. Glo. fin. Qui Clerici vel voventes.* Secunda permissio removet impedimentum. Sic Ecclesia tolerat ritus Iudæorum, prohibens Christianis, ne illos impediant. *c. Quia sincera, & c. sicut. De Iudæis dist.*

45. Tertia permissio auxiliatur secundum quam Ecclesia permittit Clericum à magistratu sæculari occidi, degradatum tradens. *c. Degradatio. De Pœn. in 6. Ita Angel. l. cit. subdens à nullo magistratu permitti usuram posse, ne quidem primo modo, quo alia peccata permittuntur, eò quod maior in usura, quam alio quocunque flagitio malitia sit, de quo paradoxo nu. seq.*

Iam quia nec id, quod per se bonum, nec quod indifferens est, permitti propriè dicitur, sed quæ iure aliquo prohibetur, duplicem rectè dixeris permissionem esse, unam facti, aliam verò iuris, sive laici, sive Ecclesiastici. Facti appello, quæ ab homine procedit, qualis in *c. denique Dist. 4. S. Gregorii* est, dicentis, cum venia ingenio suo relinquendos esse laicos, qui à consuetudine epulandi largius, & ingurgitandi se diebus dominicis averti non possunt.

S. Thom. in 4. Sent. dist. 33. q. 2. art. 2. & 2. q. 92. art. 3. Panorm. in c. ut clericorum. De vi & hon. Cler. V. Prælati.

Angel. Silv. Armilla Tabiena. in V. Permissio. Grass. Par. 2. l. 3. c. 29. Suarez. l. 1. de leg. c. 15. & l. 9. c. 6. Salas de leg. q. 92. Disp. 3. sect. 6. Franc. Marcus Par. 1. Decis. 154. Navar. c. 17. num. 195.

III. Multa peccata vulgò creduntur legibus Imperatorum permitti, imò palam iactantur etiam in scholis: qui error declaratione veri tollendus est. *Primo* concubinarum inter non sacros, & solutos Iure civili permitti dicunt in *D. & C. T. de Concubinis, & S. ult. Instit. De Nuptiis.* Sed legem illam sustulisse videtur *Leo Imp. in Novel. 91.* ubi cum vocasset errorem legislatoris, subdit. Itaque lex illa (permittens

G

con-

Concubinam) in æternum fileto. V. Goffredi Annot. ibid. Non est ergò dicitur. Secundum deinceps, Imperatorum legibus concubinatum permitti. V. Clarum. §. Fornicatio n. 7.

Ius Canonicum quod attinet, extra controversiam est, nunquam non prohibuisse, & condemnasse. c. Nemo. 32. q. 4. & c. Meretrices. Con. Tract. S. 24. c. 8. ut mirari fatis nequeam imperitiam, vel impudentiam Valentini Forsteri, qui in Tr. de Success. ab intestato garrit, omnibus notum esse, & conspicuum, quod fornicariis Clerici utantur pluribus, vel etiam infinitis, eumque morem hodie crimen non esse. Vnde amabo de c. obiciuntur. Dist. 32. q. 4. obiciuntur Iacob quatuor uxores, quod quando mos erat, crimen non erat. Multum probas Valentine, à more licito ad illicitum sumpto argumento. V. Franc. Leon. in Thes. fori Eccles. l. 2. Par. 1. c. 10. §. Hodie.

Iul. Clarum. §. Fornicatio. num. 6. Neque obstat, quod n. 7. addit existimare se concubinatum Iure civili prohibitum non esse, quod ex consuetudine notum sit. Aliud namque est de permissione facti (quod hinc allegatur) aliud de permissione Iuris loqui. Facto contingit, factò Ius resistit.

Secundo, quaedam usuras olim permittas, imò quorundam iudicio approbatas docet I. eos qui C. de usur. Covar. l. 3. var. c. 1. Socus l. 6. q. 1. Valent. D. 5. q. 21. pu. 1. Tholos. l. 22. c. 3. inter illustres viros ad rationem quatuor pro centum, inter negotiatores ad rationem octo pro centum, inter mercatores, qui traiciebant mare, ad rationem duodecim pro centum; inter alios non nisi ad rationem sex pro centum. Usurarum usura nunquam tolerata sunt, Iure Canonico

etiam reprobatae leges, quæ usuras approbant. Permitti nihilominus, contra quam Angel. velit posse etiam ab Ecclesiasticis prælatis constans Bonac. Tom. 11. pag. 518. Theologorum doctrina est. Mol. D. 204. Lesl. l. 2. c. 20. n. 179. Laym. l. 3. Tr. 4. c. 16. n. 7. admonens graviter peccaturum, qui usuræ licentiam daret cum pacto magni tributi solvendi, quoniam inde usurarii ansam sumerent augendi usuras, & grayandi inopes. Præterea cavendum Iudicibus, ne ad usurarum solutionem cogant debitores, vel impediunt, ne soluta repetantur, propter Clem. un. de usur. ubi excommunicatio lata sententia procogentibus, & ne repetantur, impediuntibus decernitur. Caietan. in sum. V. Usura §. ad usuram accipere Eillut. Tract. 34. c. 1. n. 17. Card. Lugo Disput. 25. sect. 11. à num. 218. Tannier. 111. D. 4. Q. 7. Dub. 3. n. 101.

Tertio, in adulterio deprehensos quomodo patri, & marito permittatur occidere n. 1. indicatum est. Nimirum iusto dolori tribuendum aliquid, & pudori consulere legislator ethnicus voluit. Docendus ideo, & corrigendus, ut supremi Iudicis sententiam suam credat præferendam esse. Non perimat corpus, cum quo simul intereat animus. Certa & Catholica doctrina est non licere patri, aut marito uxorem vel filiam in adulterio deprehensam occidere: quæque id Imperatorum leges permittunt, ab Ecclesiâ reprobantur. c. Inter hac 33. q. 2. c. Quicumque ibid. ubi Gloss. Abb. Anan. Felin. & alii D. D. apud Covar. De Matrim. Par. 2. c. 7. §. 7. Neque obstat quod c. si vero alicuius. De sent. excom. exculari videtur, qui clericum cum uxore, matre, sorore, vel filia propriâ turpiter inventum manus iniecerit violen-

tas. Non enim permittitur cædes cuiquam, sed à sententiâ excommunicatio- nis in clerici percussorem lata liberatur, qui iusto dolore commotus clericum turpitudinem verberibus castigat. *V. Azor. Tom. I. l. 5. c. 20. §. Dubitatur igitur.*

Quarto, duellum veterum ævo frequen- tius, Imperatores, Reges, Principes olim certis conditionibus permiserunt, mali- tia hominum id exigente, quemadmodû fuscê Tholosanus persequitur l. 48. c. 16. Infa- milianena innocentiæ defensio, & veri- tatis ostensio quærebatur. *Bald. in l. ex hoc iure. & De iust. & iure. Decius consil. 487.*

Hoc tempore nec civili, nec Canoni- co iure spontaneum, & temerarium du- ellum permittitur. *c. 1. & 2. De cler. pugn. in duello c. ult. de purg. vulg. c. Monomachiam 2. q. 3. aded, ut nec consuetudo in contrari- um valeat, teste Deciano l. 2. c. 19. n. 4.*

Ad hæ Concilii Trid. gravissimam pro- hibitionem c. 19. sess. 25. cum Bulla Clem. VIII. quæ incipit illius vices. Item detesta- bilis duellorum: nec non Pii IV. & Greg. XIII. in Declarat. ad cit. c. Conc. Trid.

Dixi spontaneum, & temerarium, ut maneat necessariæ & imperatæ defensi- onis locus: de qua materia consulendi sunt Theol. apud. *Azor. Tom. III. l. 2. c. 5. Sanchez l. 2. Moral. c. 39. Reginald. l. 27. Mart. Delrio l. 4. c. 4. Disquis. Mag. Q. 4. Henriq. l. 13. c. 39. Bannez 2. 2æ q. 64. art. 7. dub. 3. Va- lent. ibid. Disp. 3. q. 17. pun. 1. Sayr. in clavi- reg l. 7. c. 13. & de Censur. l. 3. c. 31. Mol. Tract. 3. D. 17. aragon l. 3. c. 1. Gratian Disceptat. forens. Tom. 3. disp. 410. Conn. l. 6. q. 16. n. 14. Zerola V. Duellum. Silvest. & alii sum- mista eod.*

Quinto Eum, qui ad instantiam adver- sæ partis falso iurat apud Iudicem non puniti legibus asserit *Decian. l. 2. c. 19. Al- legans l. 2. C. de reb. cred. ubi Alexand. imp. Iuristurandi (per Deum concepti) Religio Deum ultorem habet, quasi dicat ab homi- nibus non punitur. Verum longè alio sensu prædicta verba nonnulli accipiunt, ut Decianus ipse fatetur l. 6. c. 13. sex diversas interpretationes in medium adducens. Menochius præclarè Casu 319. de eo loqui tradit, qui calore quodam iracunditæ (qui est inconsultæ mentis motus) iu- ravit sive contra Principem, sive contra Deum: hunc vi citatæ legis non ordina- ria, sed extraordinaria pœna plectendû esse. *V. G. ill. l. 2. obs. 19. ubi contra Felinum in iuris Principibus fidem verbo simpli- ci datam, & iuramentum eodem passo incedere tradit. Sicut enim in iuramento nullam convenit esse perfidiam, ita in verbis nostris nullum debet esse menda- cium. c. Iuramenti 22 q. 5. Fran. Marcus De- cis. 456. n. 45. Gloss. in c. Pervenit. De fide iust. & c. penult. De iure iur.**

Sexto, Sortes iure civili in multis casu- bus admitti in nullo autem à iure Cano- nico idem Decianus affirmat *l. Cum prator l. cum ambo 7. De iudic. addere pote- rat. l. si duob. C. communia deligat. ubi lo- quens iust. imp. de variis casibus inter hæredes, vel legatarios. Sancinus inquit, in huiusmodi casibus iudicem fortunam esse, & sortem inter altercantes adhiben- dam, ut quem fors prætulerit, is qui ha- beat potestatem eligendi. Verum hic Decianus, & quicumque idem cum illo sentientes in manifesto errore cæciti- unt. Nullibi enim reperitur lex Canoni-*

ca. quæ generaliter omnes sortes prohibeat: nec in civili jure permittitur sortilegium per se malum, sed approbat fortes, quarum in commercio humano licitus usus est, in causis dubiis bonorum communium. Nam quando æquale jus est, nec dividi potest, nec omnibus æqualiter tribui, ex conventionione partium quæ iure suo quilibet cedit, absque iniuria in illius potestatem cadit, cui fors propitia est. *v. Suarez. l. 2. de superst. c. 12. n. 4.* Nullus igitur in his sortibus divisorius locus permissioni relinquatur, sed quia nullam iniquitatem continent, absolute laudantur, & approbantur, quemadmodum fufius à Theologis explicatur apud *Sane. l. 2. Moral. c. 38. à mim. 56. Layman. l. 4. Tract. 10 c. 3. Less. c. 43 Dub. 9. Filiut. Tract. 24. c. 4.*

Septimò denique contrahentibus invicem licere deceptionem infra dimidium pretii communis ferè vox est, iuxta *§. 4 l. in causa cognitione. ꝛ. de minorib.* Pomponius ait, in pretio emptionis, & venditionis naturaliter (jure gentium) licere contrahentibus se circumvenire. Licere ideo creditur, quia ad vitandam litium sementem non datur actio deceptis. Vnde non benè inferes dolum ac fraudem approbati vel tolerari, cum pro irrito contractu habeatur, cui dolus causam dedit. *l. Ex empto. §. Is qui ꝛ. de act. emp. & lezanter. ꝛ. de donat.* Quæ deceptio aut re ipsa, aut solertia quadam contrahentium efficitur, dum quilibet lucro suo intentus est, dissimulatur. *l. si voluntate. C. de contrah. empt. Mysing. Centur. 6 obs. 38. Vvesenb. l. 18 ꝛ. T. 1 n. 15 Franc. Marcus decis. 540.*

Quod conscientiam attinet peccati

reus est, quicumque in contractu, aut negotio quolibet circumvenit fratrem, & restituere tenetur, quod ultra iustum pretium lucratus est. Optimè *Doctor Angelicus in 2. 2 q. 77. art. 1.* Fraudem adhibere ad hoc, ut aliquid plus iusto pretio vendatur, omninò peccatum est, in quantum aliquis decipit proximum in damnum ipsius. Vnde & *Tullius dicit l. 3. de off.* Tollendum est ex rebus contrahendis omne mendacium, non licitorem venditor, nec qui contra se licetur, emptor opponet. *Infra.* Secundum æqualitatem rei contractus institui debet. Ideò si vel præmium excedat quantitatem valoris rei, vel è converso res excedat pretium, tolletur iustitiæ æqualitas. Et ideò charius vendere, vel vilius emere rem, quam valeat, est secundum se illicitum, & iniustum. Ita *S. Thom.* mox ad permissionem *legis citæ.* In causa cognitione respondet. Lex humana populo datur in quo sunt multi à virtute deficientes, non autem datur solis virtuosis.

Et ideò lex humana non potuit prohibere, quicquid est contra virtutem: sed ei sufficit prohibere ea, quæ destruunt hominum convictu; alia verò habet quasi licita, non quod ea approbet, sed quia ea non punit. Sic ergo habet quasi licitam pœnam non inducens, si absque fraude venditor rem suam supervendat aut emptor vilius emat, nisi sit nimius excessus; quia tunc etiam lex humana cogit ad restituendum: puta si aliquis sit deceptus ultra dimidiam iusti precii quantitatem.

Sed lex divina nihil impunitum relinquit, quod sit virtuti contrarium. Vnde secundum divinam legem illicitum reputatur.

putatur, si in emptione, & venditione non sit observata iustitiæ æqualitas: & tenetur ille, qui plus habet, recompen- sare ei, qui damnificatus est, si sit notabi- le damnum. Quod idè dico, quia ius- tum pretium rerum non est punctuali- ter determinatum, sed magis in quadam æstimatione consistet, ita ut modica ad- ditio, vel diminutio non videatur tollere æqualitatem iustitiæ.

Hæc de permissivo Iure legum civi- lium ex multis pauca, & potissima pro instructione iuniorum sufficiunt.

IV. Iuris Canonici exempla, quibus peccata fidelium cœtui prohibita, con- stitutive aliqua, vel decreto directè per- mittantur, vix reperies: facti verò per- missio maior & frequentior est. Blasphemias, usuras, libidines, ebrietatem, frau- des, insidias, rapinas, & similia quis Ec- clesiæ prælatus pro merito castigat? Multa nimirum diriguntur lege divinâ, quæ dirigi non possunt humanâ, & plura cau- sâ superiori, quàm inferiori subduntur. *S. Thom. 1. 2. q. 93 art. ad 3.* Multa item per patientiam tolerantur, quæ si dedu- cta fuerint in iudicium exigente iustitiâ non debeant tolerari. *c. Cum iam dudum. de præbend.* Ad hoc probandum *Ludov. de Graff. Par. 2 l. 3 c. 29 a. nu. 36.* inducit exempla nonnulla, quæ nescio an sa- tis efficaciter probent, quod inten- dunt.

Primò, ait, licet votum castitatis de præsentem impediatur matrimonium con- trahendum, Ecclesia tamen ex causa ma- trimonium contrahi quandoque per- mittit. *c. Veniens. qui cler. vel vov.* & talis est comparativa permissio, ut dicit ibi

Glossa, ac si dicat, quod mulier (de quâ agitur in *cit. c.*) contrahendo non evi- tat peccatum, quia agit contra votum, sed Ecclesia permittit ex causâ, ut evitet maius malum, & periculum, quia appa- rebat, quod mulier esset iuvenis, & con- tinere non poterat. *Secundò* ob eandem causam, ut evitetur maius malum, Eccle- sia vetat iniungi iuramentum de cuius transgressione verosimiliter timetur *arg. text. in c. clericos de coh. ab. mul.* ubi cle- rici suspecti, & iuvenes non sunt compellendi fornicarias abiurare. Simile 22 q. 1 *c. Ita ergo. de præsumpt. c. literas. §. fin.* Hæc etiam ratione non imponitur peniten- tiæ gravis iuvenibus. *c. penitentes. dist. 50.* *Tertio* Patritatione quamvis omnes de præcepto teneantur ad correctionem. *c. Tua. de cognat. spir.* tamen illa fieri debet, quando est opportunitas temporis, & quando credit peccanti prodesse. *Ita S. Thom. 22 q. 33 & in 4 dist. 19 q. 2.* Nam si vellet hominem recenti vulnere affe- ctum corripere, nihil aliud faceret, quam igni adhibere ligna. *Sic Graff.* minus ap- tæ ad probandam permissionem allegan- do casum, in quo nulla obligatio est. Ne- que enim Ecclesia tolerat omissionem correctionis, ad quam nemo obligatur. Non obligare autem correctionis præ- ceptum, quando opportunitas, & spes emendationis non apparet, D. D. con- stans opinio est. Non diffiteor tamen aliquos vocare dissimulationem, seu to- lerantiam malorum, cum non adhibe- tur correctio, sed minus propriè lo- quuntur.

V. Cæterum ut permissionis de quâ hucusque, æquitas & honestas manifesta fiat,

tiat, *Primò* consideranda est Christi doctrina *Matth 13. v. 10.* *si* inite utraque crescere usque ad messem. Sustinet Deus, teste *S. Cyrillo Catech. S. Imperium.* homicidas, & latrones, & fornicatores propter longanimitatem præfiniens tempus retributionis, quo reddat unicuique ut qui longo tempore acceperunt dilationem, & impoenitens cor habuerunt gravius condemnentur. Præterea, ut *Augustinus* ait, tolerandi sunt improbi quia sæpè in probos; toleranda Zizania, quia in triticum sæpè transmutantur. *V. S. Augusti serm. 46 de divers. Secundò* Sanctorum Patrum & Doctorum auctoritas, qui unanimi consensu iudent impunita quædam mala relinquere *V. S. Thom. 2. 2. q. 91 art. 4 Mol. disp. 304. Less. c. 20 num. 79 Graff. l. cit. n. 60. Tanner. II dis. 5 q. 1 Dub. 3. nu. 42 Layman. l. 3 Tract. 4 c. 16 Comitol. l. 3 q. 5 n. 13 Ferdin. ab Effren. in Manuali polit. l. 2 Punct. 9. Tertio* ponderanda est ratio, quæ duplex. Vna, ut eviteretur maius malum, quod citata Christi parabola insinuat, ne forte simul eradicet s triticum. Notum est illud *Augustini.* Tolle metrices de mundo, & sò domiã totuserit repletus. Altera, ut obtineatur aliquod bonum, quod prudentium virorum iudicio longè magis commodum sit reip. quàm incommodum sit eidem malum, quod permittitur. *Iul. Mazzarin. in psal. 50. Concione 9. S. neque amplius.*

Sed quia malorum omnium radix cupiditas est. præsertim auri, argenti que, summo perè cavendum est magistratui, ne augendæ rei suæ cauta permittat lupas, & uturas, pactum explicitum, vel ia-

citum iacundo cum infamibus personis, ut particeps de mercede iniquitatis. Neque enim patet scelerum ultro Deus, qui odit & persequitur tenentes doctrinam Balaam, qui docebat Balach mittere scandalum eoram filis Israel, edere, & fornicari. *Numer. c. 24 & 25 Apocalyps. S. Ioann. c. 2. v. 14.*

§. 18.

Modus argumentandi in iure.

I. **S**umptâ à dialecticis, & probè cognita dislerendi, probandi, ac reprobandi formâ, sive per syllogismum, sive per enthymema, exemplum aut inductionem, primaria cura erit, scopum, & thema propositum attendere, ne quod subinde cum auditorum risu accidit, aliud pro alio impugnes, velisque evincere quod adversarius ultro concedit.

II. Subtilitates Philologis, & Theologis relinquendæ sunt, quorum controversiæ nullo humani arbitrii placito, sed momentis rationum definiuntur. E contra iuris Canonici & Civilis materia, tota quanta est, legibus & præceptis continetur, quorum rationes & causas anxie rimari nihil aliud est, quàm in moribus humanis materiam primam quaerere, hoc est, nihil agere.

Definitiones quoque non sunt ad libellam Dialecticæ ponderandæ, quandoquidem ex innumeris per paucas reperiens, quæ genere & differentia consent. Nam exempli gratiã, *Lex à Prænitiano definitur commune præceptum l. 1. π. de leg. Contractum Labeo definit ultro citre- que in.*

que inter duos, pluresve obligationem. In hac
genus, in priori differentia expressa non
est.

Idem patet in definitione furti, quam
Theologi passim reiciunt. Quamo-
brem in Reg. Jur. 202. dicitur, difficile est
explicare quidditatem & essentiam rei
definitæ, secundum quod Philosophi ve-
ram definitionem perscrutantur. V. Arra-
gon. n. 229 § 66 art. 3 Spineus de præminen-
tia Theolog. c. 10.

III. Modus arguendi triplex est, à le-
ge, Ratione, & Exemplo. Ad ut redncipi pos-
se omnes probationes Nicol. Eberh. tradit
in Preambulu. n. 15 à lege Iudæi arguebant
Ioann. 19 Nos legem habemus, & secundum le-
gem debet mori. à Ratione Christus Ioann. 8.
Si veritatem dico vobis, quare non creditis mi-
hi ab exemplo Angelus Luca. I. Ecce Elisabeth
cognata tua concepit filium in senectute sua.

In qualibet lege, ut Baldus notat. §.
scire leges, π. de legibus tria notati possunt,
verba, v. auctoritas, & triplex inde argu-
mentatio sumi, nimirum materialis, in
quâ verba attenduntur. I. I. §. si is qui na-
vem. π. de exercit. act. subtilis & intellectualis,
quæ consistit in vi sermonis: uti, quod
verbum exigere significat, ab invito petere.
I. II. §. si rem. π. de leg. denique subtilissimus,
& coniecturalis, ut cum plus significamus
quam dicimus. I. Cum acutissimi. de fidei
comm. §. l. 3 C. de in off. testamento.

Præterea à lege dupliciter arguitur,
affirmativè, & negativè. affirmativè,
cum pro casu, de quo litigatur, lex ex-
pressa & authentica adducitur. Negati-
vè, à dispositione legis cessante. à Ratione
argumentum ducitur, quando lege defi-
ciente ratio naturalis, quid faciendum,

fugiendumque sit, indicat. Quemad-
modum Labeo in l. Fluminum. §. adiuatur.
π. de dan. no. in fito si hoc, in quiens, non admis-
tatur, iniquum vit. Quod enim tam firmum
adificium est, ut fluminis, aut maris aut tempe-
statis, aut incendi, aut terra motus vim susti-
nere possit: item l. Nam hoc π. de cond. et. indeb.
Nam hoc natura æquum est, neminem cum al-
terius damno fieri locupletiozem. Ab exem-
plo & auctoritate, quomodo arguendum sit,
Eberhard. docet in Loco, ab auctoritate,
monens sigillatim à negativa non valere
consequentiam: ut neque istam. Talis
Doctor est Canonizatus, vel inter san-
ctos relatus. Ergo prohibitum est aliter
opinari. Talis non est Canonizatus, Er-
go dicta illius non sunt recipienda. De
hoc plura. v. ap. Melch. Canonum de loc. Theol.
l. 7. c. 3.

IV. Optimus modus convincendi
adversarium est Retorsio, quando telum
ab illo projectum in caput ipsius retor-
quetur. Exempli gratia Iudæis respondit
Christus. Ioann. 8 in lege vestra scriptum est.
Duorum hominum testimonium verum est:
vosque hoc agnoscitis. At ego testimonium de
me, & pater meus, duo nimirum, dicunt. Ergo
testimonium hoc verum est. Celebre est ex-
emplum de Protagora, & Evatio apud
Gell. l. 5 c. 10. ubi eiusmodi argumenta
ἀντιρροπία appellat.

Alius modus convincendi per inter-
rogationem fit, ut ex responsione ad-
versarii contra ipsam argumentum su-
matur. Quo iure, disp. 8 quo iure defendis v il-
las Ecclesie, divino, an humano? Divinum ius in
scripturis habemus, humanum in legibus Re-
gum. Hanc evidentissimam victoriam
Præpositus vocat. v. Glo. & DD. inc. su-
per ver-

per. verbo. Malignantium. de elect. & Sylvestrum V. Argumentatio iuridica. n. 6.

V. Omnia argumenta facillè solvi posse Eberh. l. citato tradit, si attendas, quæ in sequentibus versiculis continentur.

Causa, locus, tempus, persona, rigor novitasque,

Antiquum, bonitas, tempus, veto, consulo, precipioque,

Hæc si iungatur permissio, ius variatur.

Quos versus declarat Speculator l. 2. T. de Disput. & allegat. in v. Generaliter. addens ferè omnia contraria in iure per tres fal-

lacias solvi scilicet per fallaciam æquivocationis, accidentis, secundum quid, & simpliciter.

Hucusque Prolegomena, quæ sacri Iuris penetralia tubire volentibus vestibuli loco futura præfati sumus. E multis pauca selegimus, multa semovimus, non subtraximus. Ingressi, & progressi, quæ videntur deesse, videbunt superesse.

* *
*



PARS PRIMA

PARS PRIMA
SUMMÆ
IVRIS CANONICI

De
PERSONIS ECCLESIASTICIS,

Earumque Statu, Dignitate, munere,
& Immunitate.

Auctore

R. P. IOANNE STREINIO Societatis IESV,
SS. Theologiae Doctore, Sacrorum Canonum
Professore & Academia Bamber-
gensis Cancellario.



COLONIÆ AGRIPPINÆ,

Sumptibus IODOCI KALCOVII Bibliopolæ

M. DC. LVIII.

Cum Privilegio S. C. M.

PRÆFATIO

Ad benevolam Lectorem.

Luris Canonici prima initia, qui maiore curâ, & studio investigaverunt, per ante acti temporis memoriâ retrò spectantes gressum ad ipsum Evangelicæ prædicationis ortum penetrasse comperti sunt. Vix dum novæ, & salvificæ doctrinæ audita vox, inque unum collecta fidelium multitudo erat, cum repente de observatione legalium, circumcissione, abstinentiâ immolarum, & similibus exorta dubitatio sollicitos Ecclesiæ præpositos ad iudicandum, decernendumque coëgit. Iam quid cuique ad conciliandam fovendamque supremi Numinis amicitiam, & vitæ æternæ promerendam coronam creditu, factuque necessarium foret, omnibus æquè notum erat: sed earum rerum, quæ boni inter, & mali certos fines melius videntur, expositio desiderabatur. Cùm ergò Apostolorum, & seniorum cœtus convenisset, disquisitio instituta est, auditaque Petri imprimis, & Iacobi sententiâ præscriptum fuit, qui Christi recens fidem complexi erant ex gentibus, ut abstinere à contaminationibus simulacrorum, fornicatione, sanguine, & suffocato. Ecce tibi prima Iuris Ecclesiastici Decreta. Idem mox posteris placuit, inque ambiguis controversiis, vel synodi alicuius, vel summi Pontificis postulata, & acceptata definitio est: crevitque non modicè Constitutionum, ac Canonum numerus. Cuncta autem quæ sic legitime decisa essent, ne posteris oblivio subtraheret, in Ecclesiis, præsertim Romanâ asservabantur, non alio, quàm temporis ordine annotato. Mox usui publico prodiit Collectio illa, quam Nicolaus Papa in c. Si Romanorum. Dist. 19. Codicem Canonum vocat, & Regula illa, quas Leo IV. recenset in c. de libell. dist. 20.

Ex his à Cresconio constat esse ille ad Liberianum Episcopum Namoranon, in quo pluribus causarum titulis propositis explicatur, quibus synodorum, & Decretalium Epistolatum locis illæ causæ tractentur. Quæ Cresconii solertia postmodum excitavit alios ad incepti operis consummationem. Isidorus igitur (sive Hispalensis, sive alius quicumque) à Canonibus Apostolorum facti initio usque ad Consil. Hispalense secundum, quod sub Bonifacio V. celebratum est, Anno Christi 657. Conciliorum, & Pontificum Decreta in unum collegit, hodieque in editionibus Conciliorum legitur.

Isidorum secutus est Burchardus Episcopus VVormatiensis Ottoni III. & Henrico II. Impera-

P R Æ F A T I O

Imperatorum avo circa Annum Christi. M. XX. Postillum Ivo Carnotensis Episcopus circa Annum M. XC. multa ex Pandectis & Codice Iustiniani admiscuit. Duo illi sextant volumina, Pannonia, & Decretum. quanquam Bellarm. in l. de script. Eccl. monet, Pannonia alium auctorem fuisse, & tributam Ivoni, quia ex eius Decreto magnâ ex parte desumpta erat. Novissimus, & notissimus est Gratianus, monachus S. Benedicti in cœnobio S. Felicis Bononia illud, quod hodie in manibus Doctorum est & passim allegatur, Decretum compilavit, ab ipsa Concordia discordantium Canonum inscriptum.

In eo, (quod imperiti norant) quæ ad fidem faciendam allegantur decreta, vel testimonia, non unius fidei, & auctoritatis sunt. Ut omittam S. Scripturæ, Conciliorum, aut Pontificum definitiones, de quibus nemo Catholicus dubitat: multa ex SS. Patrum monumentis deprompta, & variè ad præfixum scopum applicata sunt, quos neque voluisse neque potuisse aliquid definire, cum obligatione credendi luce clarius est; Multò minus, ergò cogitandû de legibus Imperatorû, & Juris Cōsultorû placitis, quorum non infrequens mentio, quasi ullam vim habeant in Ecclesiæ rebus quicquam statuendi, jubendi, aut dijudicandi, si ubi insuper suam Gratianus sententiam depromit, boni Magistri vices agere, nihil verò cum potestate decidere existimes. Denique sunt nonnulla *Palea* titulo notata, de quo si quisquam homo fuit, idem iudicium esto: si verò aliunde decerpta testimonia, cum ad Auctorem suum relata fuerint, de pretio æstimabitur. Vnde liquet non immerito à nonnullis accusari Gratianum, qui confusè, & perplexè scripserit, in unum quasi Chaos, quicquid uspiam servire posset, absque delectu & discretionem congerendo. Quamobrem Gregorio XIII. prudentissimo, & magnificentissimo Pontifici plurimum Scholæ, & tribunalia debent, qui Decretum Gratiani ab innumeris mendis, & testimoniorum depravationibus repurgavit, & recentibus typis correctum proposuit Anno Christi M. D. LXXXII.

Quod Decretales attinet, tam eas, quas Gratianus omisit quàm quæ superadditæ fuerunt, Bernardus tunc Præpositus, postea autem Episcopus Papiensis in unum Corpus redigit, libris & titulis distinxit, illaque vocata est *Compilatio prima*, à privato homine, absque mandato ullius Pontificis facta. *Compilationem secundam* à Gilberto, & Alano tentatam Magister Ioannes Galensis perfecit: atque hæc duæ Compilationes usque ad Innocentii III. tempora extenduntur. *Tertia Compilatio* à Bernardo Diacono Compustellano privatâ auctoritate tentata, & *Romana* dicta, quod eam Romæ elaborasset, à Petro Benerentano Subdiacono Innocentii III. Notario ipsius Innocentii mandato absoluta est, ut ex Præfatione colligitur.

In prædictas Compilationes scripsere Glossas Laurentius Vincentius, Alanus, Rogerius Iacobus Tancredus, & Bononiensis Archidiaconus, qui sub Honorio II. floruit. Quarta Compilatio sub eodem Innocentio III. à Tancredo, auctoritate prædicti Pontificis emanavit. Quinta demùm accessit sub Honorio II. mandato ipsius confecta ex ipsiusmet Honorii diversis Constitutionibus, ut Epistola eiusdem Pontificis ad Tancredum superius memoratum indicat.

AD BENEVOLVM LECTOREM:

Novissimè *Gregorius IX.* Compilationes prædictas in unum Volumen quinque libris distinctum redegit per *Raymundum Sacellanum suum*, addiditque à se publicatas Constitutiones, appposito mandato, ut hac tantum Compilatione univèrsi utantur in iudiciis, & in Scholis, nec quisquam præsumat aliam facere absque auctoritate sedis Apostolicæ speciali. Data fuit Epistola hæc Anno *Christi. 1230.*

Bonifacius deinde VIII. antecessorum suorum Decretales epistolas per *Guilhelmum Archiepiscopum Ebrudinensem, & Beringarium Episcopum Biterrensem, ac Magistrum Richardum de senis S. R. E. Vice-Cancellarium* rececit, & quibusdam à se additis Decretis in unum volumen redegit, & quinque aliis *Gregorii IX.* annecti, sextumque librum nuncupari iussit. In quem *Ioann. Andrea Bononiensis* continuas Glosas scripsit. *Bonifacius* autem Pontificatum adeptus est *A. Chr. 1294.*

Clementina à *Clemente V.* nomen habent, quæ eas ante, & post *Concilium Viennense* collectas in unum vulgare decreverat, sed morte præventus successori suo *Ioanni XXII.* reliquit, qui Bononiensi Universitati illas transmisit, cupiens, ut eis sic manifestatis, & cognitis tam in iudiciis, quàm in Scholis uterentur. Bulla transmissionis data est Avenione Anno *Christi. 1317.* ab eodem *Extravagantes 20.* editæ sunt, quæ postremum vi Corpore iuris Canonici locum obtinent.

Quod de epistolis, seu Responsis Decretalibus *Gratianus* sub initium *Distinctionis vigesimæ* ait, Canonibus Conciliorum pari jure exæquare, à nonnullis ut imperitè, vel etiam falsò dictum reprehenditur. Verùm *Didacus Covarr. l. 4. Variar. c. 16.* veram esse probat *Gratiani* opinionem in causarum, & litium definitionibus, quibus dijudicandis non minor est potestas Pontificis, quàm Conciliorum Universalium, imò maior, ut tradidit e Glosa, *Innocentius*, imò, & alii multi. Vnde si Papa per epistolam Decretalem maturo consilio, & præviâ deliberatione aliquid responderit eo animo, ut ea responsio sit Apostolicæ Sedis de fide definitio, recipiendum omninò, & tenendum est ut de fide. Non enim potest summus Ecclesiæ pastor errare in illis, quæ ad fidem pertinent, nisi falsis promissionibus circumventam à sponso & capite suo Ecclesiam fateri lubeat, quod impium est. *Distin. 17. & sequentibus.*

Quia legibus Imperatorum, ubi Canones non suppetunt, utimur subinde, illæ autem SS. Patrum doctrinæ non semper consonant, quæ situm à multis est, in dubio utri parti deferre oporteat. Vbi considerandum arbitror, non unius generis omnes controversias esse: alix enim Ecclesiasticæ, prorsus, alix civiles, ac temporales sunt. In his nihil incommodi erit, si Imperatorum præscripto vivas, puta, cum de hæreditate, successione, testamentis & similibus litigatur. Nam eiusmodi leges per ora Principum divinitus promulgatæ dicuntur *c. ult. 16. q. 3.* In illis minimè convenit S. Scripturæ, & Sanctorum Patrum, quibus Ecclesiarum cura à Deo credita fuit, definitiones spernere, aut post habere: non quòd infallibili auctoritate fulciantur in materia qualibet sed, quia ut in foro proprio rerum ad salutem animæ spectant.

P R Æ F A T I O

ſpectantium certioſorem habere noſſiam præſumere licent, *Melch. Canus De loc. Th. l. 7. c. 2. Barb. l. cit.*

Pro pleniori inſtructione ſequentes Regulæ. deſerviunt, communi DD. calculo approbatæ.

PRIMA. Quoties res obſcura aut dubia eſt in Iure civili, jure autem Canonico clarè definita, Canonibus deſerendum eſt, in utroque foro: quia per deciſionem Pontificis cenſetur ſopita varietas Legiſtarum. *Mynſing. Deca. 9. Reſp. 85. Pariſ. Conſil. 27. n. 10. 11. Volum. 3. Caniſtus in Append. de different. utriuſque Iuris.*

SECUNDA. Quando aliquid jure Civili definitum eſt, & non à Iure Canonico in materia non ſpirituſali, & Eccleſiaſtica, nec differentię ſignum apparet. Iure civili utendum eſt etiam in foro Eccleſiæ. *c. 1. & 2. de novi oper. nunc. Menoch. l. 2. arb. Caſu 185. n. 17. VVeſenbec. Conſil. l. n. 20. Zypau de Jurisd. l. 1. c. 63. §. 2. n. 35.*

TERCIA. Cùm Ius civile & Canonicum inter ſe pugnant, Ius Civile ſervari debet in foro Imperii, Ius verò Canonicum in terris Eccleſiæ. Ita *Phil. Dec. in c. Clerici. de iudic. & Conſil. 452. n. 6.* Sed limitari debet 1. ut non niſi de rebus civilibus, ac temporalibus, quæ animæ ſalutem non concernunt, intelligatur. 2. ut Imperatoris lex. per ſe rationabilis ac iuſta ſit, quales non pauca ſunt de Contractibus teſtamentiſ, Iudiciis, donatione, dote, ac ſimilibus. *c. Cum ad verum. c. ſi Imperator. Diſtinct. 96.*

QUARTA. Cùm de peccato, & conſcientiâ agitur, & Ius civile ab Eccleſiaſtico diverſum eſt, huius, non illius præcepta ſervanda ſunt. Nam Pontifici, non verò Imperatori abimarum cura commiſſa eſt. Vnde non tantùm huic fini congruas leges ponere, ſed etiam abrogare & damare contrarias poteſt: uti factum in multis legimus apud *Sily. V. Lex. n. 13. & Azor. To. 1. l. 5. c. 20. Zypau de iuriſdict. Eccl. l. 1. c. 62. §. 2.*

QUINTA. Ius Canonicum (ut particularia nominemus) ſequendum eſt neglecto civili. 1. in iis, quæ ad ordinem Iudiciorum pertinent, puta, in Iudiciis, teſtibus, appellacionibus, & ſimilibus. 2. in iuramentis. 3. in præſcriptionibus. 4. in fidei commiſſis, & detractione quartarum. 5. in teſtamentiſ. 6. in cauſis piis. 7. in decimis. 8. in bonis Eccleſiaſticis. 9. in uſuris, & Antichreſi. 10. in pactis, ſtipulationibus, & Emphyteuſi. 11. in matrimonialibus, & quæcunq; ad matrimonii impedimenta gradus, prohibitiones, diſpenſationes, cauſas, iudicia, & ſimilia pertinent. *Con. Tr. Seß. 24. c. 20. de Reform.*

SEXTA. In criminibus mixti fori, uterque Iudex ſui Iuris pœnas irrogat, varias utique pro diverſitate finis, legum, & modo procedendi. Nec iniquum eſt ab uno Iudice condemnatum ad pœnam, trahi ad alium pro ſufficiente vindictâ, ut pluri- bus explicat *Maranta Par. 6. de ordine Iudiciorum n. 88. & ſequentibus. Navar. Conſil. l. de foro tempet. ubi allegat Panorm. & Felinum.*

Ex quibus manifèſto liquet, quàm iniqui rerum æſtimatores ſint, qui quod de
† 3.
ſuis.

AD BENEVOLVM LECTORVM.

Suis Arnoldus Corvinus, licet heterodoxus, faretur, & arguit, iuris Pontificii cognitionem non tantum non esse necessariam, sed inutilem, imò noxiam esse cavillantur. Audaxius Saxones, vel impudentius, qui combustum appellitant. Est illud combustum utique ab apostata illo, cuius ante præcordia iræ ac vindictæ flammis in gregem, & Pastorem Dominicum ardebant: sed inde profiliens fumus sectatorum oculos non sine fuligine opplevit, ut in propinquo positam veritatis lucem intueri non possint. Aliqui tamen post tot annorum cumulata certamina, demonstrationes, & remonstrationes tum de Ecclesiâ, quam deseruere, tum illius regimine, & legibus sentire rectius cœperunt, aded, ut Canonici iuris noticiam, & usum suis quoque cœtibus perutilem, & necessarium esse publicè fateantur.

Quocirca omnes orthodoxæ fidei, & Ecclesiastici iuris amatores præsertim iuniores, & Candidatos etiam atque etiam adhortari non desinam, ut spreto sectatorum pudendis convitiis, Semicatholicorum verò, quocunque vel dignitatis, vel scientiæ titulo gloriantur, probris & sannis conculcatis, ad Sacrorum Canonum intelligentiam omne suum studium conferant, non opinionibus hominum, sed rationum momentis insistant: rem ipsam attendant, in radice suâ veritatem quærant. Invenient profectè quantum homo homini, veritati opinio distet. Quem in finem Sacrorum Canonum noticiam brevi summâ complexi sumus. Ea quid ferat, periculum facere unicuique concessum est.

Ipsa sibi pretium est, pretio fiducia maior.

Institutiones iuris Pontificii *Antonius Cuchus* in Gallia, *Ioan. Paulus Lancelotus* in Italia, *Henricus Canisius* in Germania magno discentium commodo nobis reliquerunt. Brevitas illarum grata est, sed plura appetentes destituit. Quapropter angustiis egressi uberiore tractatu campum latius aliquantò patentem aperuimus, etiam discutiendo quæstiones, quæ Institutionum lectores remorari solent. Fructus inde, & profectus si quis ad quempiam pergatur, honorum omnium largitori Deo acceptum ferat, sacrae scientiæ cultores foveat, olores contemnat.

ELEN-

ELENCHVS

Titulorum, & Paragraphorum.

TITVLVS I.

De Clericis generatim.

- §. 1. Nomen clerici, & institutio.
- §. 2. De obligatione clericorum.
- §. 3. De celibatu clericorum.
- §. 4. Obiectiones.
- §. 5. Privilegia clericorum.
- §. 6. Satisfit Dubiis.

TITVLVS II.

De beneficiatis.

- §. 1. Quid beneficium, & quotuplex.
- §. 2. Requisita ad beneficium Ecclesiasticum.
- §. 2. De obligatione beneficiatorum.
- §. 4. De fructibus beneficiorum.
- §. 5. De unione, & pluralitate.
- §. 6. De vacatione beneficiorum.
- §. 7. De permutatione beneficiorum.
- §. 8. De reservatione, & devolutione.
- §. 9. De annatis.

TITVLVS III.

De Parochis, & Curatis.

- §. 1. De Ecclesia parochiali.
- §. 2. Dignitas, & officium Parochi.
- §. 3. De officio Parochi.
- §. 4. De Coadiutore Parochi.
- §. 5. De juribus Parochi.

TITVLVS IV.

De Canonicis.

- §. 1. Origo, & Varietas Canonicorum.
- §. 2. Institutio Ecclesiarum Collegiatarum.
- §. 3. De Canonico supernumerario.
- §. 4. De Canonis, & prebenda.

- §. 5. De dignitate Canonicorum.
- §. 6. De Canonico penitentiario.
- §. 7. De Canonico Lectore.

TITVLVS V.

De Dignitatibus.

- §. 1. De Archidiacono.
- §. 2. De Vicario Generali.
- §. 3. De Archipresbytero.
- §. 4. De Praeposito.
- §. 5. De Decano.
- §. 6. De Primicerio.
- §. 7. De Custode.
- §. 8. De Scholastico.
- §. 9. De Prioribus.
- §. 10. De Capitulo.

TITVLVS VI.

De modo conferendi beneficia.

- §. 1. De iure Patronatus.
- §. 2. De electione.
- §. 3. De postulatione.
- §. 4. De Confirmatione.
- §. 5. De appellatione contra electionem.

TITVLVS VII.

De Episcopis.

- §. 1. Nomen & Dignitas.
- §. 2. Electio Episcopi.
- §. 3. De confirmatione.
- §. 4. De Consecratione.
- §. 5. De Abdicatione Episcoporum.
- §. 6. Depoestate Ordinis.
- §. 7. De iurisdictione Episcopi.
- §. 8. Satisfit dubiis.
- §. 9. De Chorepiscopi, & titularibus.

TITVLVS

TITULUS VIII.

De Archiepiscopis.

TITULUS IX.

De Patriarchis, & primatibus.

TITULUS X.

De Cardinalibus.

- §. 1. Nomen, & origo.
- §. 2. Dignitas, & officium.
- §. 3. Privilegia Cardinalium.
- §. 4. De vestitu Cardinalium.

TITULUS XI.

De Legatis Apostolicis.

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

TITULUS XIII.

De Rotâ Romanâ.

TITULUS XIV.

De Summo Pontifice.

- §. 1. De electione Pontificis.
- §. 2. De potestate spirituali.
- §. 3. De potestate Temporalis.
- §. 4. Satisfit Dubiis.

TITULUS XV.

De Regularibus.

- §. 1. Origo, & varietas Regularium.
- §. 2. De aspirantibus ad Ordinem Regularem.

§. 3. De Novitiis.

§. 4. De Professione.

§. 5. De paupertate Religiosa.

§. 6. Satisfit Dubiis.

§. 7. De Castitate Religiosa.

§. 8. De Obedientia.

§. 9. Satisfit Dubiis.

§. 10. De transitu in alium Ordinem.

§. 11. De electis & fugitivis.

§. 12. De Apostatis.

§. 13. De bonis temporalibus.

§. 14. De Privilegiis.

§. 15. Satisfit Dubiis.

TITULUS XVI.

De Abbate.

§. 1. De electione Abbatis.

§. 2. De Confirmatione.

§. 3. De potestate Abbatis.

§. 4. Quid non possit facere.

§. 5. De Obligatione.

TITULUS XVII.

De Monialibus.

§. 1. De receptione, & professione Monialium.

§. 2. De obligationibus.

§. 3. De Clausura.

§. 4. De Abbatisa, &c.



TITULUS I.

De Clericis in genere.



Orum, qui ad Ecclesiam & ovile Christi pertinent, duo potissimum genera esse liquet, Clericorum videlicet, & Laicorum. *c. Duo sunt 12. Q. 1.* Quavis enim à Christianis omnibus agnitionem veri DEI & cultum Apostolus exigit, ad id tamen peculiari quodam ritu ordinantur, quos Clericos appellamus. His atria domus Domini, vasa ministerij & sacrificia commendantur: Laicis verò minor obligatio incumbit, curam domus suae habere, liberos educare, inter virum & virum iudicare, causas agere, oblationes super altare apponere, decimas exhibere: atq; ita salvari, si vitia tamen benefaciendo evitant. Jam verò Clericorum non una distinctio est, sed multiplex, ut in progressu patebit. Nunc quæ generalia & communia omnib. sunt, primò expeditamus, ut facilior ad particularia transitus fiat. Multa enim clericis communia, specialia multa sunt, propter varios gradus, officia, ordines & dignitates, de quibus infra erit dicendi locus.

§. I.

De nomine & institutione Clericorum.

I. **C**Ratianus *Dist. 21. ex Isidori l. 7. Getymol. c. 12.* Clericos ait, hinc

appellatos credimus, quia Matthias sorte electus est, quem primum per Apostolos legimus ordinatum. *κληρος* enim græcè, latinè fors vel hæreditas dicitur. Propterea ergò dicti sunt clerici, quia de sorte Domini sunt, vel quia Domini partem habent. Generaliter autem clerici dicuntur quicumque in Ecclesiâ Christi servant. Confirmat hæc *S. Hieronymus in epist. ad Nepotianum.* Clericus, qui Christi servit Ecclesiæ, interpretatur primò vocabulum suum, & nominis definitione prolata, nitatur esse id, quod dicitur. Si enim *κληρος* græcè, latinè fors appellatur propterea vocantur clerici, vel quia de sorte Domini sunt, vel quia ipse Dominus fors, id est pars clericorum est. Qui autem vel ipse pars Domini, vel Dominum partem habet, talem se exhibere debet, ut & ipse possideat Dominum, & possideatur à Domino. *c. Clericus 5. 12. Q. 1. c. Cui portio. 16. Canisius l. 1. H. 4. Tholosanus l. 16. Synagm. c. 1. n. 7. Anto. Canisius l. 1. Valentia To. IV. D. 9. Q. 5. pun. 2. Graff. Par. 2. l. 3. c. 1.*

II. A clericatu excluduntur I. feminae. *Glo. fin. ad c. Diaconissam 27. x. 1. S. Tho. n. 4. D. 25. x. 2. c. 1. Suav. V. De Censuris Disp. 52. init.* II. Hermaphroditi, nisi virilis sexus multum prevaleret. *Glo. in V. testimonium c. testis. Idem de Eunuchis dicendum. Silv. V. Hermaphroditus.* III. Illegitimi *c. presbyterorum & c. seq. Dist. 36. c. cum in cunctis. De elect. c. pervenerab*

A

lem

lem in fine Qui filii sint legitimi IV. Qui non attigerunt ætatem septem annorum completorum. c. Nullus de temp. ordin. in 6. Barb. de potest. Episc. Par. 2. alleg. 11. V. Qui Sacramentum confirmationis nondum susceperunt. Con. Tr. Sess. 23. c. 4. VI. Qui fidei rudimenta nondum edocti sunt. Ibid. VII. Qui legere & scribere nesciant. Ibid. Saltem vernacula lingua. v. Barb. De potest. Epi. Pa. 2. all. 11. VIII. De quibus probabilis coniectura non sit, eos non secularis iudicij fugiendi fraude, sed ut Deo fidelem cultum præstent, hoc vitæ genus elegisse. Con. Tr. l. cit. IX. Servi & mancipia, intellige, ex utroque parente. Nam ex patre seruo, sed matre libera natus ordinari potest. Barb. l. cit. allegat. 10. n. 45. X. Infames infamia juris vel facti. c. Omnipotens Deus. De accus. c. fin. de testib. c. Tantis Dist. 81. Barb. ibid. n. 40. XI. quilibet criminofus, qui permanet in peccato mortali. c. Ex tuarum. c. ad aures. de temp. Ordin. Barb. ib. XII. Solenniter pœnitentes c. Ex pœnitentibus. c. Illud. Dist. 33. XIII. Bigami, qui nimirum plures habuerunt uxores, sive eodem tempore sive diverso. Si contrarium fiat, & initientur, non possunt tonsuram & habitum clericalem deferre. c. Acutius d. 26. Barb. l. cit. n. 43. XIV. Coniugati quavis initiati contrahere Matrimonium possint c. fin. de temp. Ord. c. si quis eorum c. Lectores Dist. 32. c. à multu de eta & qual. Ord. XV. Homicida, qui per se, vel alium etiã consilio tantam vel auxilio aut quovis modo voluntariè, præter necessariam defensionem mortis alienæ causa fuerunt. Glo. in Clē. nu. de homic. XVI. Obligati ad rationes administrationis publicæ, nisi prius expeditis rationibus c. non fidat. D. 50. c. legē 3. d. 53. Henricus. l. 14. c. 5. Barb. l. cit. n. 47. XVII. Corpore vitiati vel mutili, ita ut cū

magna deformitate nulli muneri exequendo utiles putetur esse. 1. & 2. de corpore vitiatis. c. Illiteratos d. 36. v. Barb. l. cit. n. 48. f. 238. & c. illiteratos Dist. 36.

III. Clericus per primam tonsuram initiarur, detonsis ab Episcopo pauculis capillis, qui ritus reiectionem vitiorum, separationem, & contemptum rerum temporalium significat, ut ex Hieronymo Gratianus notat c. Duo sunt. 12. q. 1. & largius explicatur ab Isidoro l. 2. de off. eccl. c. 4. Catech. Rom. Par. 2. c. 7. Hinc quasi à præviã dispositione ad minores ordines fit transitus, quibus initiati vocantur Ostiarii, Lectores, Exorcista & Acolyti. Hi ordines quia sacri non censentur, permittunt nubere. Vnde clerici duplices existunt, alii cœlibes, alii coniugati: qui omnes, modo habitum & tonsuram ferant, & alicui ecclesiæ mandato episcopi seruiant privilegio Canonis & fori gaudent Co. Tr. 5. 23. c. 6. Tholosan. l. 16. c. 1. n. 28. & 33. Ign. Lopez in Practica Crim. Canonica c. 80. & BeMar. l. 2. de Monachis c. 40.

IV. In materia favorabili clericorum appellatione comprehenduntur Episcopi Religiosi, & Canonici: in odiosa verò nec Episcopi, neq; Religiosi, neq; Canonici, aut alii in dignitate constituti. Colligitur ex c. Quia periculosum de sent. exc. in 6. ubi dicitur Episcopos & alios Prælatos interdicti, aut suspensionis sententiã non teneri, nisi cùm de ipsis expressa mentio fit. Allegatur etiã c. Statutum de elect. in 6. & Glo. in Clem. 1. de supplendâ negl. Pralat. Rationem dant, quia in eiusmodi personis est qualitas eminentiæ & dignitatis, quæ in clericis minoribus non reperitur. Pari modo Ecclesiarum parochialium nomine non intelliguntur Cathedralis, quia qualitatem Collegij habent. Idem de Monasteriis dicendum quæ

quæ tamen Ecclesiæ nomine continentur in favorabilibus. Angelus verb. Clericus. n. 1. Silvest. Armilla. Rosella Zerola eod. Adde quod etiam Monachi & Clerici in favorab. populi nomine qui continentur, ut citati authores aut tradunt.

V. Per tonsuram à Clericis gestandam hodie Corona intelligitur quæ in raso vertice apparet. Olim crines circulariter tondebantur. c. Duo sunt 12. Q. 1. ubi de Clericis. Hi namq; reges sunt, id est, se, & alios in virtutibus regentes. & ita in Deo regnum habent. Et hoc designat Corona in capite, Hanc Coronam habent ab institutione Ecclesiæ Romanæ, in signum regni, quod à Christo expectatur. Rasio verò capitis est temporalium omnium depositio, & memoriam spinæ Coronæ salvatoris nostri excitat; quam ob causam à Petro Apostolo adhibitam Beda testatur l. 5. de gestis Anglor. perfectionis etiam nos monet, quia circularis figuræ est. Coronam hanc in hac vitâ qui negligunt, eam, quæ futuræ est, non mereantur. Alb. Troisiul. 2. de perfectione Clerico. c. 39. Lopez l. cit.

VI. Quod habitum attinet, loci attendenda honestas & consuetudo est Toga talaris maximè decens creditur, quæ minimum infra poplites dependeat. Color aut niger, aut nigro proximus apud nos laudatur. Aliud si locus & mos suadeat, excusamus, eos qui sequuntur. c. Clericus D. 31. Co T. 5. 23. c. 6. De pileo, quia nihil certi legibus constitutum est, consuetudo, quid eligendum, indicabit. Innoc. 111. in c. clerici De vi. & hon. cler. Mosconius l. 1. P. 2. Lopez c. 79. Bus. De statu clericor. 2. Zerola v. clericus n. 14. Regin. l. 30. Tr. 3. aliq; multi citati ad Conc. Trid. Sess. 23. c. 6. De Reformat. & Barb. De potest. Episcopi Par. 2. allegat. 9. Diaz in Praxi. c.

77. Az. 11. l. 7. c. 14. Q. 4. qui legendus. Barb. in c. Parsimoniam Dist. 41.

VII. Si quæris, quàm graviter peccet Clericus præsertim in minorib. & beneficio constitutus tonsuram & habitum Clericalem non ferens, respondet Panorm. in c. si quis. De vi. & hon. Cler. & Nau. c. 25. n. 110. mortaliter peccare quod etiã Sanch. l. 7. cons. c. 7. d. 49. n. 11. probat, allegans Constitutionē Pii IV. Pii V. & Sixti V. Motu proprio apud Piafeciū Par. 2. c. 3. n. 13. Hoc tamen Silvestro & aliis durū viderur, ac proinde limitat I. si excessus sit notabilis ultra consuetum. II. Si clericus in sacris constitutus, vel beneficiatus sit. Addit mortaliter peccare omnes, qui gestant vestem partitam, id est, diversi coloris aut tabardum (id est penulam seu viatorium amictum) modò beneficium habeant, quãvis solâ tonsurâ initiati essent. Excusantur tamen, qui secretò, vel ob timorem, aliamq; rationabilem causam eiusmodi habitum utuntur. v. Azor & Lopez su cit. in Pract. Crim. c. 79. Nau. c. 25. Avila P. 3. Disp. 5. d. 8. Casu XI. Layman l. 5. tr. 9. c. 12. Armilla v. Clericus n. 11. Rosella n. 2. Em. sa. n. 33. Tuschu. Concl. 395. Escobar Tract. 6. Exam. 1. c. 1.

VIII. Observatione dignum est, quod Conc. Trid. Sess. 14 c. 6. De reform. statuit. In sacris, inquit constituti & beneficiati, si postquam ab Episcopo suo etiam per edictum publicum moniti fuerint, honestum habitum clericalem illorum ordini & dignitati congruum & iuxta ipsius Episcopi ordinationem & mandatum non detulerint, per suspensionem ab ordinibus, ac officio & beneficio, ac fructibus, redditibus ac proventibus ipsorum beneficiorum, nec non si semel correpti denuò in hoc deliquerint, etiam per privationem officiorum & be-

beneficiorum huiusmodi coerceri possint, ac debeant; Secundum Constitutionem *Clem. V.* in Concilio Viennensi editam, quæ incipit *Quoniam innovando & ampliando l. 3. Clement. de Vi. & hon. cler. c. 2. Constit. Sixti V. cum sacro sanctam.*

Deniq; Clericatus probatur per literas primò, deinde per publicam famam: deniq; concurrentibus aliis indiciis per iuramentum. Ea enim, in quibus non agitur de præiudicio, iuramento probari possunt. *Piascius Par. l. c. 1. n. 54. Barb. in c. si iudex laicus de senten. excomm. in Præterm. Tuschus Concl. 378.*

§. II.

De Clericorum Obligationibus.

I. **C**Lericorum obligationes extrinseci capite manant, nimirum subiectione ad Magistratum suum, possessione beneficiorum, & Ordinibus sacris.

Primò igitur Clericus obedire debet episcopo suo, & cuicumq; superiori in ijs, quæ pertinent ad statum clericalem. Si noluerit, fieri potest, in re gravi, ut mortaliter peccet *c. Omnes 4. de Maior. & Obed. Barb. ibi* Obligatio hæc fudata est in 4. Decalogi præcepto *Honora patrem &c.* In particulari obedire debet I. Si Episcopus præcipiat, ut Romam eat pro negotijs Ecclesie: nec prodèrit excusatio, quod alij sint magis idonej, quia Episcopus non tenetur magis idoneos mittere. nec subditi suo iudicio stare II. si præcipiat resignationem beneficij quo indignus est, ut alteri conferatur. III. si præcipiat denunciare aliquem excommunicatum, quem tamen ipse noverit innocentem esse. Licebit tamen allatis probationibus

illius innocentiam tueri. Hoc autem ubi præstare non potest, præcipienti obediet. IV. Si iustis ex causis subsidium charitativum exigat Episcopus, tenetur pro viribus contribuere *c. Conquerente 16. de off. iud. Ord. Abb. Iun. Panorm. Felin. Ximen. Barbosa. Escobar Theol. Mor. Tr. 1. Exam. 6. c. 4.* De obligatione quam Beneficia adferunt, commodius in Tit. sequenti agemus. II. Quod Ordinem seu statum clericatus attinet, quamvis nullum ex Sacris Ordinibus necessariò exigat juxta §. *preced.* tenetur tamen quilibet Clericus coronam & habitum clericalem deferre. *c. clerici, de Vi. & hon. cler. Co. Tr. 5. 14. c. 6. de ref.* Præterea vitam, moresq; suos ita componere, ut habitu, incessu, gestu, sermone, alijsq; rebus omnibus nihil nisi grave, moderatum ac religione plenum appareat. *c. His igitur Dist. 23.* Nihil enim est, ut *Conc. Trid. Sess. 22. c. 1.* loquitur, quod alios magis ad pietatem, & Dei cultum assidue instruat, quam eorum vita & exemplum, qui se divino ministerio dedicârunt. Cum enim à rebus sæculi ad altiorem sublato locum conspiciantur, in eos tanquam speculum, reliqui oculos conjiciunt, ex ijsq; sumunt, quod imitentur. Singulis convenire meminerimus, quod Apostolus Timotheo præcipit *1. Tim. 4. Exemplum esse fidelium in verbo, in conversatione, in charitate, in fide, in castitate. Mosconius de mai. Eccles. l. 1. Par. 2. c. 2. 25. n. 110. Busæus c. 4. Henric. l. 13. c. 39.* De varietate formæ clericalis *v. Stengelium l. 4. Variar. c. 9.* Clericos non deferentes habitum clericalem, & tonsuram, quavis in minoribus tantum cum beneficio constituti sunt peccare mortaliter gravissimè: Auctores sentiunt, quibus subscribens *Sanchez l. 7. Consil. c. 7. Dub. 49. n. 11. c. oppo si*

oppositā gravi prohibitione probat. *Clem. Quoniam de Vi. & hon. cler. Co. Tr. S. 14. c. 6. Bulla. Pii IV. Pii V. & novissimē Sixti V. Moruproprio apud Praefecium Par. 7. c. 3. n. 13. In confirmationem allegantur Angel. V. Clericus IV. n. 1. Silu. §. 2. n. 2. Tabiena. §. 2. Q. 6. Armillan. XI. Lal. Zechus. Casu 4. n. 2.*

Quis verò clericalis habitus propriè sit, haec nemo determinavit. Laudatur niger, & in talos usq; protensus, argutia, & sordes pariter damnantur. A loci consuetudine, à viris prudentibus & piis probatā multum pender. Ego quidem ut peccati mortalis reum non facilè dixerim, qui absq; habitu conveniente procedit; ita graviter delinquere existimo, illos qui extra consuetudinem & necessitatem habitu induuntur, ut ex eo clerici, an laici sint, dignosci non possit. v. *Bonac. Tom. 1. p. 231. Domin. Soto. l. 10. de iustit. Q. 5. ar. 6. Zerola. par. 1. v. clericus. n. 14. Bann in 2. 2. Q. 12. ar. 1. Synodum Bamberg. Anno Chr. 1491. habitum, ubi in §. de Vi. & hon. cler. excommunicatio decernitur illis, qui indecentem habitum ferunt.*

III. Clericos, praesertim majores Canones volunt abstinere à negotiis saecularibus quæ hominem à divino obsequio avocant, maximè, quæ irregularitatem adferunt. Quo pertinet I. vilium & sordidarum artium usus. Nam clericum minimè decet lanionem, aut macellarium agere: multò minùs ludionem, aut histrionem. *Clem. 1. De Vi. & hon. cler. Pius. V. in Constit. Anni 1566. Nau. c. 25. n. 110.* II. Medendi ars, ubi ustio & sectio necessaria, multò magis armorum usus, c. 3. & ult. *Ne Clerici vel Monachi.* Possunt tamen interesse bello ob bonum finem: Item animare ad pugnam, non tamen ad occisionem aliquam in particulari. c. sen-

tentiam *Ne clerici vel Monachi c. Tuis nos D. homic. voluntar. Grass. l. 2. c. 6.* III. Judicium sanguinis omnesq; actiones eò pertinentes. *Lopez in Pract. c. 102. IV. Venatio, quæ fit cum clamore & strepitu. Aliæ quar. finis est honesta recreatio, vel valetudinis conservatio, permittuntur etiam Prælati & Episcopis, modò non fiant frequenter & cum detrimento aliorum negotiorum, quæ magis necessaria sunt. Glo. in c. Episcopum De clerico Venat. Barb. in c. Esau. dist. 86. Silu. V. Venatio. Grass. l. 2. c. 3. n. 2. si homicidium sequatur, ex prohibita Venatione, irregularis erit. IV. Deniq; omne officium, ex quo ius dicitur saecularibus: cujusmodi est Vice-Comitis, Vice-regis, & similis denominationis *Diaz c. 63.* Nec clericus in maioribus constitutus potest Procuratoris aut tabellionis munere fungi. c. *sicut ne clerici vel Monachi. Lopez. c. 60. & 61. Vallens. l. 30. H. 50. Mosconius in Par. 2. cap. 2. f. 410. & 412. Bonac. 40. c. 2. n. 336. Card. Tuschus Concl. 381. Iacop. de Grassis l. 2. c. 2. n. 17.**

IV. Singulari prohibitione vetita Clericis est negotiatio. c. *Negotiationem & seq. Dist. 88. & c. fin. de Vi. & hon. cler. Item c. Secundum instituta ne Clerici vel Monachi.* Est autem negotiatio, cum quis rem aliquam comparat eo animo, ut integram & non mutatam vendendo lucratur. Vox illa *Vendendo* accipitur generaliter ut etiam permutationem comprehendat. Nam apud nonnullos negotiatio permutatione conficitur. De hac igitur sequentia notanda sicut. I. Negotiationem Clericis ita prohibitam esse, ut in sacris constituti mortaliter peccent si diu multuq; inhæreant. *Medina C. de restitut. Q. 30. Less. l. 2. c. 21. n. 4. II. Posse nihilo minus comparare rem aliquam, ut in*

materia ex qua aliam conficiant & vendant quemadmodum Eremitæ olim corbes ac stercas. Negotiari item posse modo aliquo honesto, ad suam suorumque sustentationem tradit *Navar. c. 25. n. 34.* quod multi alii confirmant à *Barbosa* citati in *Prætermisissis ad c. Multa sunt. Ne Clerici vel Monachi.* Excusat ergo inopia & necessitas. *Glo. in c. Negotiationem D. 88. Filliuc. Tract. 35. c. 2. n. 19. Manrique Par. 1. q. 66. III.* Non peccare, si per alios negotientur, qui totam industriam præstent. v. g. dando pecuniam in societatem mercatorum, indeque suam quotam recipiendo *Medina supr. cit. Lessius c. 21. n. 6. IV.* Licere Monachis quoque conducere aliena prædia, cum sua ad alimoniam non sufficiunt, indeque fructus percipere, absumere, vel vendere. *Medina C. De rest. q. 30. Molina Disp. 342. Layman l. 3. tr. 4. n. 39. V.* Qui clericus negotiationem vel mercaturam exercet, vestigal solvere tenetur quemadmodum alii negotiatores: & quibusdam locis, maxime in galliâ, cum in commercio delinquant, coram sæculari Iudice conveniri, & puniri possunt; quamvis secundum Canones Iudici ecclesiastico foret dimittendus. *Bern. Diaz in Pract. c. 57. Azor. III. l. 5. c. 19. q. 4. Layman l. 3. tr. 4. n. 39. Diana Par. 1. tr. 2. Resol. 47. Mol. Disp. 339. Fill. l. cit. n. 27. Suar. V. Disp. 22. Sect. 1. Tuschus Concl. 381. Graff. lo. cit.*

V. Clerici obligantur etiam quoad vim directivam communibus sæcularium Magistratuum legibus, quæ non repugnant statui ecclesiastico, & pertinent ad bonam gubernationem, ac quietem reip. cuiusmodi sunt, quæ pretia rerum vendibilium constituunt, modum ædificandi præscribunt, & similes. Colligitur ex c. *Quia nonnulli de statu Regularium, ubi*

Barbosa in Prætermisissis. c. Ecclesia De Constitut. & c. 1. De novi operis nunciacione Ratione. quia clerici in civitate communiter viventes eiusdem censentur esse membra, & cives, æquum est igitur, ea, quæ ad communem gubernationem sunt necessaria præstare, quandoquidem *Turpis est omnis pars suo toti non congruens. S. Aug. l. 3. Conf. c. 8. Et qui sentit commodum, idem & onus sentire debet. Reg. Iur. 55. in 6. Tanner. 11. d. 5. q. 6. n. 29. Palao tr. 32. d. 5. pun. 4.* Hinc sequitur realia onera quoque ab iisdem ferenda esse, puta, quibus affecta bona temporalia erant antequam acquirerentur. *Glo. in c. sancitum. de Censibus. Abb. Felinus Imola. Piafeciis Par. 2. c. 4. n. 56. Dixi Quoad vim directivam.* eò quod clerus Magistratui sæculari quoad coactionem minimè sublit, nec ad illum leges spectant, quibus infirmantur contractus, aut personæ redduntur inhabiles in pœnam commissi criminis: at verò quæ formam præscribunt contractibus, aut testamentis conficiendis, ex communi Juris Canonici approbatione etiam Clericos comprehendunt. *Diana P. 1. tr. 2. Resol. 16. & 77. Barb. in Prætermisiss. c. Quia nonnulli de immunitate eccl.*

VI. Quærent aliqui, an clericorum obligatio ad obediendum politicis legibus quæ statui ecclesiastico non repugnant, oriatur directè ex potestate legislativâ civili, an potius indirectè tantum. Verior sententia est indirectè tantum inde oriri, directè verò ex æquitate naturali, quæ suadet illa media, sine quibus reip. pax & unitas conservari nequit. Sunt enim Clerici ab omni omnino laicâ potestate exempti, *iux. Conc. Lateran. sub Leone X. Sess. 9. in Constitutione superna dispositionis & Innoc. III. in c. Ecclesia De Constitut.* Quia tamen inter cives & cum civibus vivendum

dum est, eorumq; privilegiis utuntur Clerici, summi Pontifices iustas alioqui Principum leges approbârunt, & servandas omnibus præceperunt, imò secundùm illas in foro Ecclesiastico, ubi Canones deficerent iudicari voluerunt. *c. Innotuit. de arb. & c. de novi operis nunciatio ne. Glo. ibid. v. adiuvantur. Azor. II. l. 5. c. 12. q. 3. Vasqu. Disp. 176. c. 4. Suar. l. 3. de leg. c. 34. n. 12. & contra Bellarm. err. Angl. l. 4. c. 16. in Apol. con. regem Angl. Tannerus in Disp. de legibus, & privilegiis assert. 15. Laym. l. 1. tr. 5. c. 13. n. 6. & 7. Manrique. par. 2. q. 67.*

VII. Armorû gestatio & usus nulli Clerico licitus est. *c. Nimum 23. Q. 8. c. Non pilâ. l. clerici. c. Quicumq; ead. Causâ, & q. Az. II. l. 7. c. 15.* Excusare tamen potest necessitas, consuetudo, & dispensatio, quam tamen Episcopis impertiri non licet. Aliàs meminerint Clericorum arma lacrymas, & preces esse *c. Convenior. 23. q. 8. Azor. II. l. 7. c. 15.* An autem ferentibus arma contra prohibitionem auferre liceat Judicib. laici, *V. Covarr. l. 2. Var. c. fin. & Pract. c. 33. Farcinac. Par. 1. Q. 8. Diana P. 1. c. 2.* Facti potius, quam iuris esse *Manrique pronunciat in par. 1. qq. moral. q. 12.*

§. III.

De Cœlibatu Clericorum

HIC est lapis offensionis sectariorum nostri temporis primò, deinde quorundam etiam Catholicorum, qui continentiae jugum intolerabile, impossibile, & tyrannicum proclamant. *conf. Aug. & Apol. H. de coniug. Sac. Calvinus l. 4. Institut. c. 12.* Nec altius exurgunt, quia animales sunt. Igitur quàm pium Ecclesie & conveniens sit cœlibatus præceptum in sequentibus declarabimus.

I. Clerici minores Matrimonium licitè ineunt, eòq; utuntur. Constat ex Ecclesie praxi, & l. 3. Decret. H. 3. ubi *Alex. III. c. 1. sic ait. Si qui clericorum infra subdiaconatum acceperint uxores ipsos ad relinquenda beneficia ecclesiastica; & retinendas uxores districtione ecclesiasticâ compellatis.* Uxores igitur retinent, beneficia verò amittunt idq; licet matrimonium nondum consummatum sit: nee recipient beneficia, quamvis religionem sponsa profiteatur *c. 1. de cler. coniug. Abb. Imola. & alii apud Barb. in c. clericum. de cler. coniuga.* Perdunt similiter quælibet iura, ut regressus, accessus, ingressus ad beneficium ecclesiasticum. Idem de pensionibus multi affirmant *ap. Az. l. 13. c. 13. q. 8.* Nec proderit, si matrimonium ratione impedimenti alicuius canonici irritum sit, ut si consanguineam duxerit. Contrariù tamè de sponsalibus dicendum est, & matrimonio cum impubere contracto, quia hoc sponsaliorum vim, & naturam iure Canonico sortitur. *c. Tua nobis. de dispensat. impuberum. Navar. c. 25. n. 120.* Idem minores Clerici uxores ducere possunt etiam viduas, & corruptas absq; omni peccato. Patet ex Canon. *Apost. c. 25.* Ex his qui cœlibes in clerum pervenerunt &c. Neq; obstat *c. Seriatim Dist. 32.* ubi dicitur, Clericos tantùm Ostiarios, lectores, exorcistas, acolytos, si extra votum & habitum Monachi inveniuntur & continentiam profiteri noluerint, uxorem accipere posse cum benedictione sacerdotali, non autem viduam aut repudiatam. Non obstat, dico, quia mox subiungitur, eos, qui duxerint viduam aut corruptam, ad superiores ordines ascendere non posse, etiam post mortem uxoris, nec ad Clericorum ministeria redire, eorumq; privilegiis frui.

frui. Non possunt ergo simul viduam, & corruptam ducere, & privilegia sua retinere. Azor. l. 13. c. 14. Q. 14. Sanchez. l. 7. de Matrim. Disp. 31. Fill. i. tr. 9. c. 3. piasecius Par. 1. c. 1. n. 53. Vallens. l. 3. H. 3. §. 2. Silu. V. Clericus §. 3. n. 7. Zero Par. 2. eod. n. ult. Toletus l. 1. c. 67. Laym. l. 1. Tract. 5. par. 1. c. 3. n. 2. & l. 4. Tr. 2. c. 14. n. 7.

II. Clericis maioribus, quales sunt episcopi Sacerdotes, Diaconi & subdiaconi interdictum est iure ecclesiastico matrimonium. Hanc propositionem sectariorum nostri temporis contradictiones & calumniae illustrarunt. His enim excitati doctissimi viri accuratissimè explicarunt, & confirmarunt. Præ aliis Cardin. Bellarminus l. 1. de cler. c. 19. ex multor. Conciliorum authoritate & SS. Patrum testimoniis confirmat, quem secutus Becanus in Manuali suo cap. 13. probat. I. Apostolos servasse perpetuam continentiam partim consilio Christi, partim sponte. II. eosdem suavisse, & constituisse, ut alii deinceps ministri Ecclesie continentiam servarent. III. Continentiam, quam Apostoli præscripserunt, statim in Ecclesia servatam esse & postmodum lege ecclesiastica non semel, sed sæpius præscriptam & quidem dupliciter, Primum ut non liceat illis uxores ducere post susceptos ordines. Secundò ut si ante susceptos ordines duxerint uxores, & postea susceperint ordines, nõ licet uti illis, sed debeant perpetuam servare continentiam. Eiusmodi sunt leges. Concilii Elibertini Anno Christi 313. aut 315. Placuit in totum prohibere Episcopis, Presbyteris, Diaconis & Subdiaconis positis in ministerio abstinere se à coniugibus suis, & non generare filios. Quod quicumq; fecerit, ab honore clericatus exterminetur. 2. Concilii Carthag. II. circa Annum 396. Can. 2. Omnibus placet, ut episcopi, presbyteri, & Diaconi, vel

qui sacramenta contrectant, pudicitia custodes etiam ab uxoribus se abstineant, ut quod Apostoli docuerunt, & ipsa servavit antiquitas, nos quoq; custodiamus. Alludere videtur Concilium ad Canonem Apostolorum 25. Ex his qui cælibes in clerum venerint, iubemus, ut lectores tantum & cantores. si velint, nuptias contrabant. 3. Concilii Agathensis Anno 506. Can. 9. Placuit etiam, ut si presbyteri, vel Diaconi coniugati ad thorum uxorum suarum redire voluerint, Papa Innocentii vel Siricii episcopi, auctoritas, que est his Canonibus inserta, servetur. 4. Concilii Aureliensis III. Anno Christi 573. Can. 7. Clerici verò, qui cum uxores non haberent, benedictione suscepta coniugia crediderint eligenda, qui volentes abiq; ullâ reclamatione fuerint ordinati, cum ipsis mulieribus quas acceperint, excommunicatione percillantur. 5. Concilii Aureliani. IV. Anno Christi 347. Can. 17. Ut Sacerdotes sive Diaconi cum coniugibus suis non habeant communem lectulum, & cellulam, ne propter suspicionem carnalis consortii religio maculetur. Quod si fecerint, iuxta præcos Canones ab officio degradentur. Adde Concilium Aquisgranense tempore Ludovici I. circa Annum 828. celebratum. c. 6. & Vormatiense c. 9. Placuit ut Episcopi & Presbyteri, Diaconi & Subdiaconi abstinere se ab uxoribus & non generent filios. Deniq; Concilium Moguntinum sub Arnulpho Imp. circa Annum 895. c. 10. Statuit ut nulla penitus mulier ne soror quidem aut mater cum ecclesiasticis habitare permittatur. His similia S. Bonifacii tempore circa Annum Christi 740. constituta sunt in duabus synodis, de quibus Serarius in Hist. Mog. l. 3. c. 42. & Valentia To. IV. Disp. 9. Q. 5. pun. 5. §. 2. item lib. sing. de Cælib. 3. & 4. Ja n quod summos Põifices attinet,

§. III. DE COELIBATU CLERIC.

attinet, *Calixti II. in c. Presbyteris dist. 27.* verba sunt. Presbyteris Diaconis, Subdiaconis & Monachis concubinas habere, seu matrimonia contrahere penitus interdiximus. Sub idem tempus *Siricius Papa* (electus est anno 385.) in *epist. ad Himericum c. 7.* ait, Sacerdotes omnes atq; Levitæ insolubili lege constringimur, ut à die ordinationis nostræ sobrietati ac pudicitiae & corda nostra mancipemus & corpora: *Innocentius I. circa annum Christi 400. epistolâ ad Exuperantium c. 1.* scribit Proposuit, quid de his observari debeat, quos in Diaconi ministerio aut in officio presbyterii positos incontinentes esse aut fuisse generati filii prodiderunt. De his & divinarum legum manifesta est disciplina & beatæ memoriæ viri *Siricii* episcopi monita evidenter commendant, ut incontinentes in officiis talibus positi omni ecclesiastico honore privarentur, nec admitterentur accedere ad ministerium, quod solâ continentia oportet impleri *v. Barb. in dist. 28 cap. 1. & 2. Maxim. Sandeum in Hyperbole p. 310.*

III. Ex his manifesta sunt nostri temporis Sectariorum mendacia multa, & enormia, videlicet 1. Non à Synodis, sed contra auctoritatem Synodorum, à Pontifice legem coelibatus invecram esse. *Apolo. Conf. Aug. ait. de coniug. Sacerdotum.* Propria, ait *Melanthon* est hæc lex de perpetuo coelibatu huius novæ Pontificiæ dominationis. Cautior paulò *Calvinus l. 4. Inst. c. 12.* quia prædictos Canones negare non poterat, explodendos & abjiciendos dixit. 2. Ante annos quadringentos primum impositam esse Coelibatus legem in Germaniâ. In *Germaniâ*, ait *Melanthon* primum ante annos 400. Sacerdotes vocati sunt ad coelibatû. 3. Eam legem latam esse non religionis causâ, sed dominatio-

nis. Calumnia hæc immanissima est, quæ iudicium fert de intimis animi secretis, cum gravi iniuria summorum Præfulum Conciliorum, adeoq; ipsorum Apostolorum, à quibus factorum hominum & Ecclesiæ ministrorum coelibatus exordium habet. *iv. Joviniani hæretici*, *S. Hieronymi* tempore nondum fuisse cognitam coelibatus & continentiae legem. *v. Falsum esse, quod Calvinus scribit l. 4. c. 12.* Ea, quæ de continentia Sacerdotum à Conciliis & Pontificibus sancita leguntur, consilii esse, non præcepti. Nam comminationes & pœnæ adiunctæ contrarium indicant. *vi. Gregorium VII.* matrimonio Sacerdotibus severissimè interdicto dissoluisse iam contracta. *Funecius in Chronolog. l. 10. §. Caterum.* Nemo enim Sacerdotum in Occidentali Ecclesiâ aliquando verum Matrimonium contraxit, & si contraxit ullus, à nemine dissolutum, sed pro nullo habitum est.

IV. Præter legem ecclesiasticam Votum continentiae in ipsâ maiorum ordinu susceptione nuncupatur ab iis qui scientes volentes initiantur. Patet ex *Conc. Tri. sess. 24. c. 9.* ubi anathema declaratur, qui dixerit Clericos in sacris ordinibus constitutos posse matrimonium contrahere, contractumq; validum esse, non obstante lege ecclesiasticâ, vel voto. Idem antiqui Canones indicantur *c. presbyteris d. 27. & tota 27. q. 1. Item Extra tit. Qui clerici vel voventes. Conc. Carth. IV. c. 104. Conc. Matisconense c. 4. &c.* Dixi Quæ scientes, volentes initiantur. Hi enim soli explicitè vel implicitè Votum castitatis emittunt. Qui verò per vim aut metum gravem, vel absq; intentione votendi ordinantur, nullius voti vinculo ligantur: sed tamè castitatè profiteri coguntur secudùm legem Ecclesiæ, vel perpetuò altaris ab-

B

mini-

ministerio abstinere. Similiter pueri ante rationis usum, vel annos pubertatis temerè ordinati nec voto nec lege tenentur, nisi sponte quod factum est, approbent, & exequi potestatem acceptam velint. *Sanchez de Matrim. l. 7. d. 27. Emm. Sa. V. Ordo n. 22.*

V. Continentiæ Votum, de quo hic, solenne est, & iure divino Matrimonium contrahendum impedit: contractum verò dirimit, non iure divino, sed ecclesiastico tantum, quandoquidem ex naturâ rei inter promissionem Castitatis quamque & vinculum Matrimonii nulla repugnantia est, sicuti neq; inter Sacerdotium & coniugium, ut ex consuetudine Græcorum liquet, qui uxores ante sacerdotium nuptas retinent, nec propterea ab Ecclesiâ damnantur. *S. Th. 4. dist. 37. q. 1. a. 1. Bonau. art. 1. q. 2. Alb. Dur. Paludan. & innumeri alii apud Sanchez. de Matrim. l. 7. d. 28. n. 11. & seq. Filliuc. tract. 10. c. 4. n. 120. Toletus l. 7. c. n. 3. Em. Sa. V. Impediunt Matrim. dirim. n. 3.*

VI. Si invitâ uxore maritus ordinetur, eum repetendius habet uxor: & ipse quidem perere debitum non poterit, reddere verò tenetur. *Abb. in c. Quidam de con. conjug. ubi redire ad uxorem iubetur, qui illâ invitâ monasterium intravit. Idem iuris manet, si uxor vel metu gravi impulsâ, vel dolo capta, vel ex ignorantia consentit. Idem dicendum videtur, si eum sciret, neq; aperte contradixit, neq; consentit, sed dissimulavit. S. Thom. addit. ad 3. p. q. 43. art. 4. Filliuc. tr. 10. c. 4. n. 147. Azor. 1. l. 13. c. 14. q. 1. Barb. in c. Quidam intravit. de convers. coniug. Item c. conjugatus eod.*

VII. Divortio per legitimam auctoritatem facto propter solius uxoris adulterium, ipsâ invitâ potest maritus sacros

ordines suscipere. *Abb. in c. Constitutus. de conv. coniug. contra Innocentium, Ostiens. & quosdam alios, quia eidem adulterâ, quamvis non ordinaretur, posset negare debitum. Dixi. Propter solius uxoris adulterium. Nam si maritus quoque adulter sit, compensata iniuria creditur, nec uxorem deserere, sed de reconciliandâ cogitare debet. Soto in 4. dist. 36. q. 1. art. 5. Az. l. cit. q. 13. & Sanchez. l. 10. de matrim. d. 11. n. 16. ubi hanc regulam præscribit. Quoties licet viro ad religionem transire, uxore adulterâ renitente, licet similiter sacris ordinibus initiari.*

VIII. Qui post matrimonium ratum non consummatum sacros ordines recipit, si invita uxor fuerit, religionem aliquâ intrare debet secundum quosdam ut voto satisfaciatur. *Ostiens. Archidiaconus. Astensis. Antonin. 3. p. tr. 1. c. 8. solus verò cum nonnullis in 4. dist. 38. Q. 2. art. 1. putat, iure non cogi. Sed tutâ conscientiâ consummare Matrimonium posse non quidè petendo, sed reddendo debitum. Verum prior opinio præferenda videtur. Quod si consenserit uxor, nihil iuris in maritum retinet, sed eo ipso quòd annuit, castitatis Votum suscipere compellitur. Filliuc. cit. n. 148. Palud. in 4. dist. 38. q. 3. art. 3. Astensis. Ostiensis. Sily. V. Matrimonium 7. q. 1. Azor. 1. l. 13. c. 14. q. 2. Sanchez. l. 7. de Matrim. d. 39. Bonacina 10. 3. pag. 331. Barb. in c. significavit. de convers. coniug.*

XI. Clericus voti castitatis transgressor, quocunq; luxuriæ actu duplex peccatum committit, nimirum contra temperantiam, & contra virtutem religionis. In fornicatione altâ simplici incontinentiâ cum sacrilegio coniuncta est: in adulterio etiam iniusticia reperitur. Vicia enim & malitiæ multiplicantur secundum diversitatem virtutum, seu honestatis cui ad-

versantur

verfantur. ex recepta Theologorum doctrina. *Vasq. l. 2. d. 98. c. 2. Less. l. 4. c. 3. d. 12. Sanch. de Matrim. l. 7. d. 27. n. 20. Filliuc. Tr. 24. c. 10. n. 266. & Tr. 30. c. 2. n. 54. Bonnac. to. 2. p. 117.*

X. Neq; una clericum in sacris constitutum, si incontinens fuerit, pœna manet. Propter fornicationem aliàs simplicem, olim deponeretur. *c. presbyter d. 82.* Propter stuprum similiter, additâ quoq; si ita videatur, pœna pecuniaria, vel graviore. *V. Panor. in c. Non debet de conf. & Affin. Notorius fornicator secundum antiquos Canones ipso iure suspensus est. Si vis adhibita est, depositus in Monasterium vel arctum carcerem detrudi potest. Quin verò dotaret oppressam debeât, extra controversiam est. Adulterii reus ab officio deiectus in Monasterium toto vitæ suæ tempore detruditur. *Frid. sess. 24. c. 8. c. si quis clericus d. 81. Glo. in c. Lator 2. q. 7.* Præterea infamis efficitur. *Abb. in c. at si clerici §. de adulteriis. de Concubinariis V. Conc. Deniq; clericum Sodomitam degradandum & Judici sæculari tradendum esse Pius V. constituit Anno 1568. ut videre est apud Navarrum c. 27. n. 249. cuius moderationem seu limitationem de eo, qui quasi usu quotidiano flagitiû illud exercet, meritò rejicit Lopez in annot. cap. 88. Bern. Diaz Comitulus l. 1. q. 57. & 58. item l. 6. q. 42. Menoch. casu 288. Clarus §. Fornication. 3. Barbosa in c. cit. Espencaus l. 2. de continens c. 6. Lop. c. 82. & seq. Tholos. l. 36. c. 7. Zerola v. Concubinariis. Filliuc. Tr. 30. c. 8. n. 160. Azor par. 11. l. 7. c. 18. Tolet. l. c. 47.**

XI. Causa prohibiti sacris hominibus coniugii, Sacerdotibus nimirum, Diaconis & Subdiaconis plures sunt. Prima Ne Sacerdotes à laicis vilipendantur, ut pote non multò maiores & excellentio-

res, sed eodem miseræ servitutis iugo alligati. *Secunda*, ut possint hospitalitati vacare, quod ab Apostolo commendatur *1. Tim. 3. v. 2. ad Titum cap. 7.* *Tertia*, ne reditus & bona ecclesiastica alienentur & transferantur in filios Secerdotum, quos aliter dotare non possunt. *Quarta* & potissima, quia valde indecens est, uxori simul & divina rei vacare: quod ipso naturæ lumine videtur notum.

At *inquiunt*, matrimonium sanctum est, & ipsius usus Deo gratus. Nemo id Catholicorum negat: illud tamen omnes agnoscere debent, quod mentem ab oratione, sacrificio, aliisque piis operibus avocet iuxta illud *1. Cor 7. Qui habet uxorem divisus est. & sollicitus qua sunt mundi, quomodo placet uxori.*

Plura *Bellarmin. l. 1. de clericis c. 19. Valentia l. de Cœlibatu c. 5. Hofius in confess. fidei c. 88. Espencaus l. 4. de continentia c. 10. Harmonia augusta. confess. Fabricii ad art. de coniug. Sacerd. pag. 359. Costerus de cœlibatu c. 19. Barb. in c. cum olim. de cleric. coniug. & in c. aliter. dist. 31.*

§. IV.

Satisfit Obiectionibus

Obi. I. Subdiaconi non videntur voto aliquo, vel lege obligati, quia de solis Presbyteris & Diaconis loquuntur iura ut patet ex *citatu n. 11. & c. 6. dist. 60.* ubi dicitur. Nullus in Episcopum eligatur nisi in sacris ordinibus religiosè vivens fuerit inventus. Sacros autem ordines dicimus Diaconatum, & Presbyteratum. Hos siquidem solos primitiva legitur habuisse Ecclesia. *R.* Aliqui putant Subdiaconatum primis Ecclesiæ annis inter sacros ordines, non fuisse numeratum, ut

verba citata *Vrbani Papa* indicant. Sed illis aduersatur *canon. 26. Apostolorum.* ubi Matrimonium permittitur iis taneum qui constituti in minorib. ordinibus sunt. Alij igitur dicendum censent, fuisse quidem ab initio Ecclesie sacrum ordinem, sed pro tali non semper agnitum, idq; propterea, quia Subdiaconi non ordinantur per impositionem manuum, ut Presbyteri, & Diaconi. *c. presbyter de sacram. non iterandis.* Presbyter, & Diaconus, cum ordinantur, manus impositionem tactu corporali recipiunt. Hic nulla Subdiaconorum mentio fit. Igitur usq; ad ætatem *Vrbani II.* qui electus est Anno 1088. Subdiaconis licuisse matrimonium verisimile est, & exinde prohibitum. *c. Erubescant. d. 32. Urbanus II. Dominico patriarcha Gradensi. Azor l. 1. c. 12. q. 4. Vasq. de ord. d. 2. 4. c. 3. Mosconius parte 2. c. 1. Barbin c. nullus d. 62.*

Obj. II. *Conc. Nicanum Anno Christi 330. cælibatum Sacerdotibus liberum reliquit, teste Socrate. l. 1. c. 8. & Sozomeno l. 1. c. 22. cum enim de illo præcipiendo ageretur, Paphnutius confessor sanctitate vita, & miraculis clarus surrex. it in medium, dixitq; nuptias honorabiles & castas esse. nec offerendam cuiquam fornicandi occasionem; quam sententiam tota synodus approbavit. R. Paphnutii testimonium Lutheranis nihil prodesse, quia suasisit non permittendum Sacerdotibus, ut post ordinationem suam nubant, quod tamen Lutheranis omnibus permittunt. Deinde credendum non est Socrati, & Sozomeno, ut mendacibus. Certè S. Greg. l. 6. ep. 31. Sozomeni historiam reprobat, quia, inquit, Multa mentitur. Socrates autem l. 5. c. 21. tria mendacia manifesta habet. Insuper suspectam Sozomeni de Paphnutio narrationem facit, quod *Conc. Nicanum can. 3.* prohibet Episcopo, Presbyteris &*

Diaconis, ne ullam domi mulierem habeant, præter matrem, sororem, & amitam. Si uxores permittæ sunt, cur nullarum mentio fit? Hoc argumento convictus *Lutherus in l. de Concil. parte 1.* fatetur Patres noluisse Paphnutii sententiã approbare. Alibi tamè cõtrariũ affirmat. Verũm sint ista, ut feruntur, aliud nihil probant, quã Paphnutium alterius & mitioris sententiæ fuisse, idq; apud Græcos, ubi hodièq; Sacerdotes mariti tolerantur *Barb. in c. Nicana synodus dist. 31.* Ecclesia Occidentalis, & Romana aliud semper docuit & serua vit, non quod nuptiæ impuræ, & abominandæ sint, sed quia à muneribus ecclesiasticis retrahunt, & minus idoneos reddunt ad ministrandum Domino. Nam qui habet uxorem diuisus est & sollicitus quomodo placeat illi.

Obj. III. Centuriatores Magdeburgenses non uno loco repetunt historiam quandã de sex millibus infantum capitibus in piscinã quadam repertis qui omnes ex occultis sacerdotum fornicationibus nati, & suffocati fuerint. Allegatur in eũ finem S. Valrie i epistola, quam ad Nicolaum I. Pontificem scripserit. R. Si epistola illa falsa & fictitia est, ut benè monstrat *Card. Bellarminus l. 1. de Cler. c. 22. Alanus Copus in Dial. 1. c. 22. Valent. tr. IV. d. 9. q. 5. p. 5. Gretser. l. 2. Apol. con. Misenum pag. 391. Franti Costerus c. 19. de Cælibatu Gretserus, & alii,* nihil ad nos pertinet. Si autem vera, multũ prodest, quia fatetur *Primò* à Pontifice cogendos esse Presbyteros & Monachos, ne uxores ducant, & si post continentię votum duxerint, separandas esse. *Secundò*, Pontificẽ omnium fidelium caput esse, cui obedientiã, & subiectionẽ debeãt. Pudeat novi Evgelii præcones carnis suæ desideria & insulas opiniones eiusmodi somniis ac deliramentis stabilire velles.

Obj. 46.

Obj. IV. Multi sunt ad ministeria ecclesiastica idonei, qui tamen non habent continentiae donum: unde sequitur, aut ecclesiam privari bonis ministris, aut laqueum conscientiae injici illis qui quia continere non possunt, per luxuriam diffluunt. R. Ut Ecclesia necessariis ministris abundet, curae erit Christo ipsius sponso, & protectori: nec defuerunt hactenus, quamvis nulli indultum sit matrimonium. Falsum praeterea est quod passim inculcant evangelici buccinatores caelibatum seu continentiam esse speciale Dei donum quale est, linguarum & miraculorum, quod ne quidem serid & multum perentibus detur. *Ac inquit, non omnes capiunt verbum hoc Matth. 19.* Ideo non omnes vocantur ad sacerdotale munus Quos vero Deus vocat, eos confirmat, & castos reddit, modo velint, ut SS. Patres magno consensu docent. Sed negligenda non sunt media, Orationis studium, ieiunia, periculorum & occasionum fuga. Haec quoniam parvi aestimant Novatores, mirum non est, carnalibus desideriis aestuare, & difficilem a Venereis voluptatibus ab continentiam experiri. *Bellarmin. l. 1. de cler. c. 27. §. sed dices. Lorich. Specul. Haeres. v. continentia.*

Obj. V. Ecclesia non habet potestatem prohibendi matrimonium, quia Deus id vel mandat, vel saltem permittit. R. Ecclesia nulli volenti nubere, continentiae legem praescribit. Nubat qui nupturus est, modo in Domino: sed in ministris suis, qui altari servire volunt, hanc conditionem requirit, ut caelibes sint. Si quis autem continere non potest, aut non vult continere, aliud vitae genus, in quo se exerceat, deligendi potestatem habet. An non milites alicubi ea lege scribuntur, ut absque uxoribus, quas domi relinquunt in cam-

pum prodeant, & aliis, ne quas militiam alant, associent sibi?

Obj. VI. Testimonia quaedam S. Scripturae allegantur, & exaggerantur, quorum depravata expositio risum potius, quam responsum meretur, cuiusmodi est Apostoli *Tim. 3.* ubi vult episcopum unius uxoris virum esse; quasi vero ulli unquam Christianorum duas habere licuerit, & aliis imperavit *Paulus*, quod nec ipse servavit, nec *Timotheo* aut *Tito* episcopis, ut servarent, iniunxit. Nullum in tota antiquitate episcopum legimus uxoratum fuisse. Quis credat ab illis voluntatem, vel mandatum Pauli Apostoli in re tam facili & appellibili non intellectum aut neglectum fuisse? Mens igitur Apostoli est, ut nemo sacerdos initiatur, qui secundas nuptias expertus est. *Extra de bigamis non ordinan. per totum & dist. 33. tota & aliis locis.* Plura invenies apud *Valentiam l. de caelibatu c. 4.* *Bellarmin. l. 1. de cler. c. 20. & sequentibus.* *Frant. Costerum. c. 19. de caelibatu. & Barbof. in c. Nicana synodus dist. 31.* Qui addit, multos eorum, qui de Graecorum Sacerdotum coniugio scripserunt, summorum Pontificum nimiam benignitatem notasse, qui morem illum tam diu tolerarint. Quod vero *Cassander* in consultatione sua ad *Maximilianum Imperatorem*, a quo de dissidio Religionis consultus fuerat, his temporibus expedire scribit, continentiae legem pro sacerdotibus tollere, quasi alia huius, & veteris aevi necessitas sit, nihil aliud est, quam os suum in caelum ponere, & prudentiae carnis spiritum subijcere velle, quod impium est.

S. V.

De Privilegiis Clericorum.

Abb. Panorm. in c. 1. Episcopus, de prabendis. generaliter affirmat, omnia militum privilegia clericis congruentia habere illos, quia ut illi milites Imperatoris sic isti milites sunt Dei. Alii apud Silvestrum 14. privilegia numerant. Ut evitemus confusionem, adhibenda distinctio est.

I. Clericorum privilegia ad duo genera revocantur. Alia enim sunt spiritalia, alia temporalia. Illa quia ad jus Canonicum spectant *Canonis* dicuntur. Hæc comprehendunt immunitates & exceptiones à judiciis, muneribus & oneribus civilibus, & quia forum externum respiciunt *Fori* appellantur. Eorum, quæ primi generis sunt, quædam consistunt in bonorum acquisitione, cuiusmodi sunt beneficia & officia ecclesiastica: quædam actò in depulsione malorum, quale est illud *cap. si quis suadente diabolo* 17. q. 4. ubi excommunicatur, quicumq; violentas manus in clericum iniecerit. Posterioris generis censentur, quibus illi censuris & pœnis ecclesiasticis subjiuntur, qui immunitates & privilegia clericorum violare præsumpserint. *Reginald. l. 9. c. 24. n. 368*

II. Privilegium Canonis notissimum, & accuratè explicatum est à *Coninck de Sacram. disp. 14. de Excom. dub. 25.* ut qui videntes manus in clericum, suadente diabolo iniecerit, excommunicatus sit excommunicatione summo Pontifici reservatâ. Sic *Innoc. II.* in Synodo Lateran. sanxit 17. q. 4. c. *si quis* & confirmavit *Alex. III.* relatus in c. 5. de *sent. excomm.* Non

dubium est, inquit, quin hi qui violentas manus in clericos vel canonicos aut cuiusvis religionis conversos inijciunt, ex constitutione Concilii Lateran. sententiam excommunicationis incurrunt, nec nisi in articulo mortis sine Romano Pontifice absolutionis possunt beneficium impetrare. *Piassec. in Praxi par. 2. cap. 1. pag. 85. Silv. v. clericus §. 1. n. 5.*

III. Hoc Canonis privilegio gaudent omnes clerici, quamvis prima tantum tonsura initiati dummodo *Conc. Trid. decretum* fervent, ut n. 6. dicemus: præterea. Monachi, Moniales, Conversi, & Novitii. c. *cum contingat de ata. & qual. c. un. de cler. coniug. in 6.* ubi in clericis requiritur, ut habitum, & coronam ferant: cum unica & virgine matrimonium contrahant. *E contra non gaudent I. Rea- liter degradati II. Incorrigibiles c. Cum non ab homine de iud.* post trinam scilicet monitionem prælati, in duobus potissimum casibus, si nimirum clam arma gestent, vel absq; habitu ecclesiastico incedant. III. Qui per annum sunt histriones, aut ioculatores. IV. Qui neglectis divinis officiis negotiis sæcularibus occupantur, si iter moniti non abstant v. Qui publicè & per se exercent officium macellarii aut tabernarii, si post trinam monitionem non cessent. Et bigami quidem privantur omnino, si ve habitum ferant, si ve non. *Covar. l. pract. qq. c. 31. Bellarm. d. 2. de cler. c. ult. Buseus q. 7. Coninck de sacram. disp. 14. de excom. d. 25. n. 156. Comitol. l. 6. q. 20.*

IV. In causis merè ecclesiasticis liberi sūt cleirci à potestate Magistratus sæcularis, idq; iure divino. *Glo. in c. Tributum* 23. q. 8. & c. *quamvis de censib. in 6.* Glossæ multi Canonistæ adhærent: alii cum Theologis

logis quibusdam aliter sentiunt apud Bell.
l. 1. de Cler. c. ult. & Covarr. l. pract. quest. c. 31.
 At nostræ assertionis fundamentum est
 in dispositione Christi, qui oves suas, id
 est, fideles, ad eum; rotam ecclesiam S. Pe-
 tro tradidit & subiecit, à quo pascendi,
 & iudicandi sunt. *Hinc. ad Cor. 6.* Pau-
 lus iubet lites etiam civiles Christiano-
 rum non deferri ad tribunal gentilium,
 & Concil. Milevitanum can. 19. statuit,
 ut quicumq; ab Imperatore cognitionem
 iudiciorum publicorum petierit, honore
 proprio privetur. Concilium Matisonense
 primū cano. 5. vult. ut nullus clericus ad Ju-
 dicem sæcularem quemcumq; alium fra-
 trem de clericis accusare, aut ad causam
 dicendam trahere quocumq; loco præsu-
 mat, sed omne negotium clericorum aut
 in Episcopi sui, aut in Presbyteri, aut
 Archidiaconi præsentia finiatur. Non
 mirum igitur, si quod Sulpitius *l. 2. sacra hi-
 storia* commemorat, S. Martinus exclama-
 vit, novum esse, & inauditum nefas, ut
 causam Ecclesiæ iudex sæculi decernat, S.
 Ambros. quoq; ep. 78. & August. ep. 162. illos
 reprehendunt qui causas Ecclesiæ terre-
 nis iudicibus dijudicandas exponunt. v.
 Bozium *l. 1. de iure status. c. 9. & l. 6. c. 2.*
 Dixi, in causis merè ecclesiasticis: Nam sub-
 esse legibus civilibus, quæ non repugnant
 ecclesiastico statui supra diximus, *s. 2. n. 5.*
 & nemo nõ agnoscit. Bellarm. *l. 1. de cler. c.*
28. Adamus Corzen *l. 6. Politicor. c. 8. Becan. in*
Manualic. 19. q. 3. Bannez q. 67. art. 1. pag. 268.
 V. Neq; in causis civilibus neq; crimi-
 nalibus, & capitalibus clerici à iudice sæ-
 culari iudicari & puniri possunt. Ita san-
 xit Concil. Chalcedon. primū can. 1. Si cleri-
 cus adversus clericum habet negotium,
 non relinquat episcopum suum, & ad sæ-
 cularia iudicia non recurrat. Concil. Aga-

thense can. 32. Clericum nullus præsu-
 mat apud sæcularem iudicem episcopo
 non permittente pulsare. Idem reperies
 in Concil. Carthag. III. Toletano III can. 13.
 Matisonensi c. 8. Adde Pontificum decre-
 ta. Caius Papa ep. ad Felicem episcopum ne-
 mo, ait, episcopum, aut reliquos clericos
 apud iudicem sæcularem accusare præsu-
 mat. Marcellinus in ep. 2. Clericum cuiusl.
 ordinis absq; Pontificis sui permisso nul-
 lus præsumat ad sæcularem iudicem tra-
 here. S. Greg. *l. 11. ep. 14. ad Ioannem Defen-
 sorem* De persona presbyteri hoc atten-
 dendum est, si quam causam habuit, non
 ab alio teneri, sed episcopum ipsius adire
 debuit. Idem inculcatur tota q. 5. causa
 21. ubi insuper excommunicatio fertur in
 illos, qui confugiunt ad iudicem sæcula-
 rem, & in hunc si receperit ad se confugi-
 entes. Idem in Bulla c. d. repetitur. can. 19. de
 quo V. Comitoli. *l. 6. q. 21.* Imperatores de-
 neq; suis constitutionibus declararunt
 immunes clericos & Monachos ab in-
 quisiitione & punitione sæcularium iudi-
 cum saltem in causis civilibus. Viderunt
 enim parum conveniens esse, ut ab ovibus
 pastores iudicentur V. Iustin. Novell. 79. 83.
 & 123. Bozium de iure status lo. cit. Farina-
 cium *l. 1. q. 8. n. 1. & seq. Tanner. l. 1. de libert.*
ecclesiasticā 7. Covarr. l. pract. qq. c. 31. n. 3.

VI. Fori privilegio non gaudet, mi-
 norum ordinum clericus, nisi qui benefi-
 cium ecclesiasticum habet, aut clericalem
 habitum ac tonsuram deferens alicui ec-
 clesiæ ex mandato episcopi servit: vel in
 Seminario Clericorum, aut in aliquâ
 schola, vel universitate de licentiâ
 episcopi quasi in viâ ad maiores ordines
 suscipiendos versatur. In clericis verò
 coniugatis servanda est Constitutio Bonifa-
 cii VIII. quæ incipit clericis qui cum unice c. 1.
 de cler.

de cler. coniug. in 6. ut fori privilegio gaudeant, si alicuius ecclesie servitio vel ministerio ab episcopo deputati eidem ecclesie serviant, & clericali habitu ac tonsura utantur. Co. Tr. 5. 23. c. 6. Declaravit autem Congregatio ut clericus fori privilegio gaudeat requiri & sufficere ea, quae ex praedictis sigillatim sunt annotata. Si vero quae in aliquo ex istis capitulis comprehensa sunt in clerico concurrat, sed aliquam occasione habitum a se gestari solitum ad breve tempus deposuerit, non ideo fori privilegium amittere. An vero habitus sit clericalis, ad iudicis ecclesiastici cognitionem pertinere. Quibus autem calibus clericus ex Decreto Concilij fori privilegio non gaudet, nullam requirit monitionem, ut illud amittat. Congreg. Card. declarat. n. 4. Zerola Par. 1. v. clericus. Piafec. par. 2. c. 3. n. 14.

VII. Clericorum bona omnia tam temporalia, quam spiritualia, seu ecclesiastica libera sunt a tributis Principum saecularium. Ita Conc. Lateran. sub Alex. III. excommunicationis sententiam pronuncians in omnes laicos, qui post Canoniceam monitionem non cessant a clericis tributum exigere. Alterum Lateranense Concilium sub Innoc. III. omnes Constitutiones Laicorum contra hanc libertatem ecclesiasticam inanes, & irritas esse decernit. Idem a Clemente V. in concil. Vienn. & demum Tridentino factum est. Sess. 25. c. 20. Quin etiam Imperatorum legibus ita sancitum legimus. l. 16. C. Theodos. r. 1. & Cod. Iustiniani l. Sancimus de sacrosanctis ecclesiis. Aequum sane est hominibus Deo consecratis eiusmodi immunitatem largiri, cum in Aegypto legamus, eandem gratiam Sacerdotibus a Josepho indultam fuisse. Sed quaeri potest de bonis, quae antea laicorum fuerunt, an postquam eccle-

sia aut ecclesiasticis personis cesserunt, libera & immunita censeantur. Distinguunt meliores Theologi & Canonistae inter onera, quae debentur ratione contractus, & conventionem dominorum ipsis rebus inhaerentia, & inter illa quae ex vi legis, & regiae iurisdictionis generaliter bonis imponuntur, veluti gabellae. In his valere sententiam eorum, qui liberam pronunciant ecclesiam; in illis vero minime. Verum si usum & pacem attendas, in Imperio Rom. videbis prevalere illam civilis fori maximam, Res cum onere transit ad novum dominum: l. si convenerit ff. de pignor. act. quod minimum intelligi debet de onere perpetuo, & invariabili iuxta mentem Panormitani in c. 12. de vi & hon. cler. Tholos. de Rep. l. 3. c. 7. n. 43. & c. non minus de immun. eccl. Azor Tomo III. l. 5. c. 19. Suar. l. 4. cont. error. angl. c. 19. Barb. in c. Tributum 23. q. 8. Tanner l. 2. de libert. eccl. c. 13. Comitoli l. 1. q. 94. Reginaldi l. 9. c. 25. n. 380. Piafecii par. 2. c. 4.

VIII. Clerici coniugati, quamvis unicam & virginem sibi matrimonio iunxerint, ferantque coronam & habitum clericalem, & alicui ecclesie serviant non gaudent immunitate rerum, & honorum suorum neque ab onere tributi eximuntur. Abb. in c. Ex parte de cler. coniug. & c. ex litteris de vi & hon. cleric. Bald. in marg. Innoc. in v. clerici coniugati. Dynus in c. nemo n. 4. de Reg. iur. in 6. Glo. in c. Cum audiss. de rest. spol. Azor l. citato. q. 4. Zerola v. clericus Ad nonum. Less. c. 33. dub. 5. n. 40. Cum enim eiusmodi Clerici vitam saecularem amplexi sint, merito privantur illis bonis, & privilegiis, quae clericorum statui continentium concessa debeantur Sily. v. clericus 1. n. 6. & alii communiter V. Barb. in c. cit. clerici. Idem neque ad sacros ordines, & administrati-

mes ecclesiasticas admittuntur, neq; jurisdictionis ecclesiasticæ capaces sunt. *Glo. in c. un. de cler. coniug. in 6. Laym. l. 1. tr. 5. c. 3. n. 2.*

IX. Exemptio clericorum in rebus civilibus, tam quoad bona, quam quoad personas, non est divini, sed humani iuris. Colligitur ex illo *ad Rom. c. 13. v. 1. Omnis anima potestatibus sublimioribus subdita sit.* Et infra *Ideo tributa præstatis. Sub omni animâ includi clericos etiam testatur S. Chryf.* Unde sequitur illa simul de iisdem dici. *Ideo tributa præstatis.* Ut ergo non præstent, liberandi sunt privilegio Regû & principum. consentit *Vrbanus Papa relatus 23. q. 8. ubi cap. 22. Tributum inquit in ore piscis inventum est, quia de exterioribus suis, quæ palàm cunctis apparent, Ecclesia tributum reddit. Et paulò post. De exterioribus Ecclesiæ, quod constitutum antiquitus est, pro pace & quiete, quâ nos tueri, & defendere debent, Imperatoribus persolvendum est. Idem agnoscit S. Ambr. in Orat. de traden. basilicis. si tributum petit Imperator non negatur Agri ecclesiæ solvunt tributum. S. Greg. l. 11. ep. 54. nò aliter probat, ad tribunal Iudicis sæcularis non esse trahendos Sacerdotes, quàm quia sic ordinavit Iustinianus Imperator. Aliter argumentandum erat, si Iuris divini est exemptio, & pro eâ allegandâ S. Scripturæ testimonia, quæ huc usq; desiderantur. *Decianus l. 4. c. 9. Covar. l. pract. 99. c. 31. Sigism. Staccia de iud. caus. civil. l. 7. c. 11. Sanch. l. 2. consil. c. 4. d. 55. Suar. l. 4. con. err. Angl. c. 20.**

Neq; obstat illud, si Principum gratia, & privilegio liberi sunt clerici, per eosdem privari iterum posse, sublatis privilegiis: quia non à solis illis profecta sunt,

sed Concilia & Pontifices idem sanxerunt. Orbis quoq; totus qua Catholicam fidem profiteretur acceptavit, & approbavit. Ac proinde non licet uni alicui Magistratui tollere, quod communiter indultum esse constat. *Valentia To. IV. diff. 9. q. 5. puncto 4.*

At, inquis, multis in locis, non sæculares tantum Principes, sed Ecclesiastici quoq; & Episcopi vectigal & tributum à clericis exigunt. Id enim verò tribuendum consuetudini, vel necessitati, vel quia alias communis per se omnium immunitas nunquam recepta & usurpata, vel tacito consensu abolita est. Interdum summi Pontificis indulto decimæ & collectæ à Regibus indicuntur & exiguntur. *v. Sanchez lo. cit.*

Quod verò *Bonifacii VIII. in c. quanta de Censibus* dicit iure humano & divino liberos esse clericos ab exactioibus, contrariam opinionem multis persuasit, quos allegat *Barbosa* in prædicto capite. Sed ita accipiendum est ut ly divino sumatur largius, quasi dicat, exemplo divino, quod nimirum *Genes. cap. 47.* extat. Vel certè ea opinione imbutus fuit *Bonifacius*, quam hodieq; multi *Canonistæ* sequuntur. *v. Bellarm. l. 1. de cler. c. 28.* ubi cum in *Propost. 5.* dixisset, exceptionem clericorum quoad bona introductum esse iure divino, subiungit, per jus divinum à se non intelligi præceptum divinum propriè dictum, sed quod ab exemptis, vel testimoniis testamēti Veteris, aut novi per quandam similitudinem deducî possit. Indeq; putat conciliari posse *Théologorum & Iurisperitorum* diversas sententias. *Reginald. l. 9. c. 25. n. 380. Medina de restit. q. 15. Comitatus l. 1. q. 93.*

C

Sotus

Sorus in 4. d. 25. q. 2. Az. III. l. 5. c. 19. ubi alios quoq; reperies. Less. c. 33. dub. 4.

X. Prædictis addi possunt alia privilegia, quæ Angelus, & Silvester enumerant. I. Clericus vindicare potest rem concessam ecclesiæ ante traditionem l. fin. C. de sacrosan. eccles. c. ex litteris de Consuetudine.

II. Facientes statuta contra clericos sunt excommunicati c. eos. de immun. in 6.

III. Soli clerici obtinere possunt beneficium ecclesiasticum, c. ex litteris de transact.

IV. Per literas contra laicum impetratas cum clausula generali, conveniri non potest. c. sedes. de rescriptis in Gloss. v.

Non tenetur sportulas dare c. cum ab omni de vi. & hon. clericor.

VI. De acquisitis etiam sub patria potestate liberè disponit. Auth. Presbyteros C. de Ep. VII.

De rebus suis recuperandis agere potest sine consensu patris. Auth. Presbyteros C. de ap. & cler.

VIII. Clerici facere possunt Collegium, quod laicis non licet argum. c. fin. De relig. domib. Card. Tuschus conclus. 45. 6. 1. x.

Familia clerici eodem fori privilegio gaudet c. clericum II q. 7. ubi Glossa referens se ad 6. indicatum est. d. 89. Maranta par. 4. dist. 11.

pag. 98. Rodrig. To. III. q. 41. ar. 7. x. Clericus inops non tenetur bonis cedere propter debita, neq; propterea in carcerem mittendus est. Abb. Imola. Ancharanus & alii in c. Odoardus 3. de solutionibus.

Non potest enim conveniri, nisi quatenus facere possit, deductis necessariis alimentis, ut ex cit. c. DD. communiter docent. Tuschus conclus. 376. Barb. in C. Odoardus de solutionibus. Maranta par. 6. §. tertius actus n. 56.

XI. Renunciare privilegiis suis clerici non possunt Innoc. III. c. si diligenti de fo. comp. Manifestè patet, quod non solum

naviti, sed etiam voluntariis pacifici non

possunt, ut læcularia judicia subeant: cùm non sit hoc beneficium personale, cui renunciari valeat, sed potiùs toti Collegio ecclesiastico sit publicè indultum, cui privatorum pacto derogari non potest. Nec juramentum licitè servari potuit, quod contra statuta Canonica illicitis pactio-

nibus informatur. Ex hoc cap. & aliis apud Laymannum citatis tr. de legib. c. 23. n. 20. sumitur generalis regula Privilegium in unius tantum personam collatum eiusdè renunciatione extinguit: illa verò minime, quæ principaliter in favorem Ecclesiæ, vel alicuius communitatis data sunt. Ita Innoc. Hinc neq; Capitulum, neq; Conventus renunciare potest juri acquisito per consuetudinem, Statutum, aut Privilegium, si tale jus Ecclesiæ sit utile, aut honorificum: His adde, quòd exempti privilegio exemptionis renunciare non possunt, quia id cederet in præjudicium Papæ, vel Principis, qui liberos ab alterius jurisdictione suæ protectioni & potestati immediatè subesse voluit. Unde colligitur. I. Si in percussione suam clericus consentiat, non propterea excommunicationem vitari ab eo, qui percussit, quia ut vidimus, ex Innocentii III. verbis canon iste in gratiam totius ordinis ecclesiastici conditus est, cui nullius privati hominis temeritas obesse potest. Colligitur II. Si Iudicis laici sententiæ contra se latae Clericus consenserit, non idèd privilegium fori amittere: imò, quod summè norandum monet Bern. Diaz. c. 74. si coram læculari Iudice, ne repellatur à lite, finxerit se laicum esse, re comperta iudex ecclesiasticus illum eripere è manibus iudicis laici poterit, ne eiusmodi technis jurisdictione ecclesiastica lædatur. Hinc merito impro-

batur.

batur.

batur.

hæc illud Gallia arrestum, cuius Rebutus meminit, quod clericus à sæculari iudice damnatus ad honorabilem emendam non possit executioni opponere primæ tonsuræ exceptionem. *Zerola V. clericus ad 12. Piafec. par. 2. c. 4. n. 24. §. neq; spsemet.*

§. VI.

Satisfit Dubiis.

Dub. I. An summi Pontificis permittu Laici possint esse iudices Clericorum, eosq; punire? R. *Segura Davalos in Directorio Iudicum ecclesiast. par. 1. c. 11.* Summum Pontificem spirituales causas Laico committere posse. *Glo. in c. 1. dist. 94. c. clericum nullus 11. q. 1. c. plures 16. q. 1. c. decernimus de iudiciis, ubi Barb. plures DD numerat.* Habet enim Papa absolutam potestatem in omnibus causis ecclesiasticis: ac proinde cum res & ratio exigit, Laico dare facultatem potest de clericis iudicandi. Non potest tamen jurisdictionem ordinariam principibus sæcularibus dare adversum clericos. *Menoch l. 3. de testib. §. 22. n. 61.* Illud enim non in ædificationem, sed destructionem cederet ecclesiasticæ disciplinæ. *Alu. Pelag. l. ar. 1. 44. Farinac. l. 1. q. 8. Salas de legib. q. 96. disp. 14. n. 103.*

Dub. II. An Laici per consuetudinem acquirere possint jurisdictionem in clericos? Causarum aliæ sunt merè spirituales, aliæ merè temporales, aliæ mixtæ seu quasi spirituales, qualis est, cum agitur de

recuperanda possessione beneficii ecclesiastici, qua per Laicum injustè spoliatus es. *Hoc posito.* R. Fieri potest, ut alicubi consuetudo vigeat eiusmodi mixtas causas apud iudicem sæcularè agendi & definiendi. Nam ad Magistratum & Principes laicos pertinet cura conservandi pacem & tranquillitatem reip. Ac proinde si quis civium clerico injuriam faciat, in simili materia iudicare & vindicare possunt. Quod si summi Pontificis consensum requiris, dicent adesse virtuales seu tacitam. Sic esse morem in regno Neapolitano testatur. *Covarr. l. 99. pract. c. 35.* In Gallia quoq; iudicari de eiusmodi causis etiam cum inter solos clericos agitur, testes sunt *Guido Papa, Aufrerius & alii apud Covar. lo. cit.* Contrarium tamen plures asserunt, prædictam consuetudinem omninò reprobantes ex communi sententia Doctorum in c. Clerici de Iud. eò quod potestas iudicandi clericos juris divini sit; & nulla consuetudo vim habeat contra libertatem ecclesiasticam. *c. Noverunt. de sent. excomm. c. clericus. Auth. Cassa C. de sacrosan. ecclesiis Tul. clarus l. 5. §. ult. q. 36. n. 3. Azor l. 1. l. 5. c. 12. Tuschus. concl. 9. Baldus in c. clericus de iudic. Butrius Decius. Panormitanus Filliuc. tract. 16. c. 10. n. 263 Felinus in c. 2. de maj. & obed.* Nam laicus, aiunt, incapax est jurisdictionis spiritualis, ac proinde nullo tempore eam præscribere potest. *c. causam de prescriptionibus.* Adde, quod in Rota & Curia Romana, *Azorio teste,* quotidie contradicitur, præfatæ consuetudini, quam in Hispaniâ & Galliâ prætendunt.

Dub. III. An familia episcopi laica fori privilegio exempta sit à iudicio

C 4

dicio

dicio seculari? R. esse, ut DD. magno numero allegati apud Barb. colligunt ex c. Dilecto. de off. Archidiacon. Et confirmatur auctoritate congregationis super negotiis episcoporum & regularium. Cum enim Episcopi Sorani capitaneus in carcerem à magistratu seculari coniectus esset, censuit prædicta congregatio non iure factum esse, actaq; irrita declaravit. Eadem congregatio episcopo Vasonens. An Camerarius suus fiscalis, eiusq; familiares privilegio fori & immunitate ab oneribus personalibus gauderent, respondit gaudere & ad subeunda personalia civitatis munera minimè teneri. Et hoc extendi debet ad familiam episcopi titularis tantum, ita tamen, ut illorum famuli ac familiares ab episcopo loci ordinario puniantur. Idem de familia Vicarii episcopi, imò cuiuscunq; ecclesiastici, ac clerici saltem quoad servos perpetuos etiam Mauros &c. dicendum, modò non obstant statuta particularia, vel consuetudo loci.

Porro ad familiam episcopi non tantum maiores illi Præfectus Cancellarius, Camerarius, fiscalis, secretarius, & similes, sed etiam Notarii, Carcerarii, lictores aliiq; ministri pertinent Barb. ló. cit. Diana v. Eccles. Privileg. fori. n. 31. Zerolam. par. 1. v. Episcopus n. 11.

Dub. IV. An clericorum coniugatorum uxores privilegio fori gaudeant cum maritis suis. R. Ext. clerici, qui cum de cler. coniug. in 6. ubi privilegium illud clericis conceditur, adeoq; colligunt, etiã ad illorum uxores extendi. Diana tr. 1. de immunit. escl. resol. 41. Avilés, Perez. Barb. l. cit. repugnante Sanchez l. 7. de Matr. d. 47. led ad civiles causas extendi non debet propter

manifesta illa textus citati verba pro illorum excessibus vel delictis, quæ indicant, causas contractuum & negotiorum civilium excludi. Quo etiam pertinet illud. In ceteris autem quemadmodum Barb. notat.

Unde sequitur, prædictos clericos coram seculari iudice de debitis pecuniariis, pactis, & similibus conveniri posse, & ab eodem pro merito puniri. Quod verò aliqui de concubinis clericorum, quasi eodè favore fruatur, apud Zypaũ c. 13. dicunt, evanidum est, nisi de punitione intelligatur. Nam quia cum personæ DEO consecratis peccant, ratione delicti ecclesiastico iudici subiiciuntur, quemadmodum Luc. de Grass. q. 2. c. 10. n. 17. & Barbosa in c. eos qui dist. 32. fufius declarat, de filiis autem clericorum nemo dubitat, ut nec de iis, qui sub obedientia in monasteriis, & cœnobiis serviunt. V. Conc. Tr. sess. 24. c. 11. Sanchez ló. cit.

Dub. V. An Magistratus laicus cognoscere & iudicare possit de causis clericorum, quando ecclesiastici Prælati negligentibus sunt?

Affirmant ex recentioribus aliqui Covarruviam secuti, his rationibus inducti: 1. Quia aliter resp. salutis & incolumitatis parum consulitur, dum Magistratus ecclesiasticus dormit, & secularis non potest punire delicta, quæ leges impunita esse non permittunt. 11. Ex c. filiis vel nepotib. 16. q. 7. constat Archiepiscopis & episcopis negligentibus punitionem eorum rectorum, qui bonis ecclesiasticis abutuntur, licere patronis ecclesiarum Regem adire, ut illi malo medeatur 111. in c. Principes 23. q. 5. insinuat, sæculi Principes eam potestatem habere, ut super

superborum cervices comprimant, & quod fieri non potest per ecclesiasticam disciplinam, ab ipsis iuxta disciplinam reip. utilem executioni mandetur. *iv.* Non est maior ratio, cur negligente iudice civili ecclesiasticus locum illius suppleat, quàm è contrario: Sed Canones prius illud admittunt. *c. Licet. 1. & c. ex renore. c. ex transmissa de fo. com.* ergò etiam posterius permitti debet. *Deniq; in c. Principes & c. filiis, & nepotibus. Item c. administratores 23. q. 5.* sancitum est, administratores secularium dignitatum, qui ad ecclesiarum tuitionem, pupillarum ac viduarum protectionem rapaciumq; refrenationem constituti esse procul dubio debent, quoties ab episcopis & ecclesiasticis viris conventi fuerint, eorum querimonias attendere audiant, & examinent, ac diligenti studio corrigant. *Item in c. si quis cum clerico 21. q. 1. Auth. & clerici:* ut apud proprios episcopos primum conveniantur. *Collat. 6.* planè habetur, episcopo negligente, aut recusante, quia non vult, aut quia non potest, ad civilem iudicem veniendum esse. *Ita illi non absere.* Non patetis tamen videtur probabilius eam licentiam laico Magistratui non competere. *Ita Gofr. Archid. Ioan. Andr. & Abb. in c. Qualiter, & quando de iudicis, ubi manifestè Innot. III. definit,* Ne pro defectu iustitiæ clerici trahantur à laicis ad iudicium sæculare: quod omnino fieri prohibemus. Neq; idèò impunitas scelerum crecet, quia si inferior Magistratus indormiat, adeundus superior est, utq; dum ipse Pontifex consulatur. Inter non Catholicos & infideles autem quid, inquit fiet? Id nimirum, quod rectè suader ratio, quia necessitas legem non agnoscit. Ad Canones in con-

trarium allatos, dicendum, abrogatos esse illos, qui mitigationem non recipiunt. Neq; id mirum videri debet, quia dies posterior magister est præcedentium: & non pauca olim permissa fuerunt, quæ certis & iustis de causis postmodum immutata fuerunt. *V. Az. 1. l. 5. c. 14. q. 2. Reginald. l. 9. c. 26.*

Dub. VI. Virum à Laicis, capi, includi ac detineri aliquando possent clerici, & in quibus causis, vel casibus? *R. Menochius in casu 180. ex Phil. Decio tres assignat, quorum Primus est:* Si Laicus videat necessarium hinc & nunc detineri, ut Iudici ecclesiastico sistatur puniendus. *Abb. in c. cum non ab homine de iudic. Secundus.* Quando necessarium videtur ad obvian- dum alicui delicto, vel damno, quod timeretur. *Decius in c. cum non ab homine. Tertius.* Si post commissum facinus suspectus sit de fugâ *Bart. in l. 1. si quis in servit. ff. de furtis. Zypaus de iurisd. eccl. l. 1. c. 16. Navarrus c. 27. n. 82,* Casus exemptos ab excommunicatione numerat 8. I. repellere & verberare clericum invasorem. II. Detinere fugientem propter debita, ut Præ- lato suo præsentetur. III. Capere deprehensum in flagranti. *iv.* Inventum noctu, cum præsumptio est, aliquo delictis meditari. *v.* Alcere & impedire volentem delinquere. *vi.* Auferre enses paratos ad nocendum, aut cogere, ut equo descendat. *vii.* Ladere vel mutilare repertum inhonestè agentem cum uxore, matre, vel sorore. *viii.* Detinere inventum domi, & colloquentem cum uxore quavis honestè, si monitus non abstinat. Licetbit autem detinere non amplius, quàm 20. horarum spatio, ut Magistratui suo sistatur. *V. Armillam. V. excom-*



municatio? Pari modo excommunicatio-
nem non incurrit i. percutiens clericum,
qui miles factus est, vel se immiscet enor-
mitatibus. ii. eum, qui publicè exercet
officium cauponis, vel lanii. iii. Eum, qui
mimicam exercet. iv. Eum, qui bigamus
est. v. Si turbam summovendo simul im-
pellat aut tangat clericū multitudini im-
mixtum, modò absit animus offendendi.
Bonac in ff. tr. Ecclesiastica libertas. Riginaldus
l. 9. c. 26. Sayrus l. 3. c. 28. Toletus l. 1. c. 24.
Piascius par. 2. c. 4. num. 25. Tuschus
concl. 386. & alii apud Barb. in c. cum non
ab homine. de sent. excomm. & c. si quis.
suadente 17. q. 4.

Dub. VII. Antonius à iudice laico
captus clericum se esse clamat, & remitti
ad iudicem ecclesiasticum flagitat, at lai-
cus iudex non esse clericum putat, quid
facto opus? R. Si Antonius captus ha-
bitum defert, aliasq; qualitates clerico
necessarias exhibet, in dubio ad iudicem
ecclesiasticum pro decisione litis remit-
tendus est. *Iul. Clarus §. fin. q. 36. n. 24.*
Covarr. practica. c. 33. Rebuff. in tract. except.
n. 200. Menoch. de presumpt. l. 6. de presumpt.
76. Zerola par. 1. v. clericus Farinac. in praxi
q. 8. n. 33. Diana p. 1. tr. 2. resol. 27. Ratio,
quia status alicuius videtur esse, in quo
d.prehenditur, donec de contrario ha-
beatur cognitio. Sic enim pro ingenuo
habemus, qui talis apparet, donec al-
liud exploretur. Nihilominus aliam o-
pinionem & praxin tinentur Lusitani
& Galli, ut supra ex Covarr. indica-
vimus Dubio 111. Ajunt namque quæ-
stionem facti esse, cuius cognitio non
sit à foro sæculari aliena, & consue-

tudine iam diu obtentum, ut Magi-
stratus sæcularis de quæstionibus facti
etiam circa materiam aliàs spiritualem
cognoscat, ut si de matrimonii con-
tractu, an unquam celebratus sit,
controversia incidat, vel de legitima-
tione filiorum, & aliis multis simili-
bus, quæ explicat *Bart. in l. Omni no-*
vatione C. de sacrosan. eccl. Menoch. concl.
366. & alii. Verum illis omnibus re-
sistit textus in *c. si index laicus de sent.*
exc. in 6. cuius auctoritate commu-
nem esse ptiozem opinionem agnoscit
Covarr. pract. q. 33. Maranta. lul. Clarus
& alii in Remissionib. allegati Conc. Trid.
sess. 23. c. 6. An verò consuetudo aut
privilegium aliquod serviat Hispano-
rum, & Gallorum praxi alterius con-
siderationis est. *V. Cardin. Tuschum. v.*
clericus conclus. 385. & 386.

Dub. VIII. An statutum Magistra-
tus vel reip. civilis & laicæ, ne immo-
bilia bona vendantur aut alienentur
cuiquam extra familiam, &c. Cleri-
cos liget? *Andr. Gail l. 2. Obsent 32. n. 5.*
in quibusdam Germaniæ locis esse sta-
tuta affirmat, quibus eiusmodi alie-
natio prohibeatur etiam clericis qui pa-
trimonialia possident: Item alia sta-
tuta, quibus prohibentur subditi in
specie alienare res immobiles in eccle-
siasticas personas: eaq; statuta, si re-
ctè considerentur, non esse adeo ex-
orbitantia, neque contra libertatem
ecclesiasticam, sed magis ad publicam
utilitatem & conservationem familiæ,
atque agnationis spectare: *text. in l. 1.*
§ fin. C. de caducias tollendis l. Utilitas C.
de Prj.

de Primipilo. Ita sentire etiam per multas rationes Signorolum de Homodeis consil. 21. quod nimirum dispositio illa non sit censenda contra libertatem ecclesiasticam, cuius auctoritate aggravatur persona ecclesiastica, publica utilitate hoc exigente: imò non gravatur persona ecclesiastica, sed potius subditorum potestas limitatur l. ad instructiones. C. de sacrosan. eccl. c. Pervenit. extra de immun. eccl. Baldus in c. Ecclesia S. Mariae n. 8. ubi dicit valere statutum factum in favorem reip. etiam si sit contra clericos: Multa enim favore reip. conceduntur, quæ alias non concederentur l. utilitas l. ita veneratus v. multa autem. ff. ad leg. Aquil. Ita Guil. addens in Camera Spirensi quoque approbari eiusmodi statuta, quibus clericis in acquirendo prohibetur alienatio honorum extra familiam. R. Eiusmodi statuta clericos non ligare, propter defectum potestatis in Magistratu seculari. Cum enim clerici Magistratu ecclesiastico tantum subsint, & propterea immunes sint ab omni onere, quo vel personæ vel bona illorum gravantur, cessat omnis Questio an statutum de non alienandis bonis, eo modo, qui damnosus est ecclesiasticis, respectu illorum vim ullam habeat. Baet. Epo. l. 1. de iur. sacro c. 2. n. 178. Martinez in 12. S. Tho. q. 96. a. 5. novissime Tho. del bene de comitis sect. 16. dub. 4. & alii apud Barb. citati in Prætermisssis ad c. Ecclesia S. Mariae de constitut. Vnde sequitur Andr. Guillelmus cum suis in favorem reip. magis quam Ecclesie propensos scripsisse, quod po-

liticis, non verò, ecclesiasticis doctoribus convenit: quia in dubio causa Ecclesie fovorabilior censei debet. Nec rationes illorum aliud probant, quam conveniens rationi & æquitati esse, ut clerici, quia in eadem reip. aut civitate continentur, ut cives communium onerum participes fiant: quod minimè negamus. Magna reip. utilitas aut necessitas facere potest, ut sine respectu omnibus imponatur, statutum vel onus aliquod: quamvis consultum est, in eiusmodi eventibus absque Summi Pontificis consensu nihil decernere. V. Covarr. in relect. c. possessor. par. 2. §. 4. cir. finem. Layman. l. 1. tr. 4. c. 13. numer. 4. & Azor l. 1. c. 13. ubi plures in particulari questiones movet.

Dub. IX. Quando amittat privilegia sua Clericus. R. Præterea, quæ §. 5. n. 3. diximus amittere i. Quando se enormitatibus miscet, cuiusmodi est professio lenonum, proditio patriæ, Societas latronum, parricidia, & his similia. ii. Cum deprehenditur in crimine flagrante, vel periculo proximo. iii. Cum neque tonsuræ, neque habitu statum clericalem proficitur, quasi nolit, vel pudeat: nisi post trinam monitionem resipiscat. iv. Cum impunè grassatur, in eadem laicorum, & Magistratus ecclesiasticus non adhibet remedium. v. Si per Assassinos quenkam occiderit, quo eventu capi à quolibet, verberari & occidi potest. vi. Si Sodomita fuerit, non tantum amittit privilegia sua, sed

sed etiam beneficium, & officium, & dignitatem iuxta *extrav. Pii V* apud *Navarr. c. 27. n. 219.* Illud quoque à *Laymanno l. 1. Tr. 5. par. 2. c. 5.* bene notatur clericos in sacris ordinibus constitutos non amittere privilegium fori, nisi eo propter crimen

aliquod, per Iudicis sententiam priventur. *Covar. l. 7. var. c. 20. Silv. v. clericus 113. Barb. in c. præterea de apostat. Item in c. clericis de cler. coniug. Zerola v. clericus. n. 16. Fachioneus l. 9. c. 28. Jacob. de Grass. l. 2. c. 3. n. 4. & seq.*

TITULUS II.

De Beneficiatis.

Rostquam in communi vere Clerici deseruit, (tempore *Silvestri I.* ut *Carolus à Mansfeld post alios docet c. 6. militia sacra*) sua cuique portio in alimoniam tributa est, quæ Canonica portio primùm, mox Beneficium ecclesiasticum appellata est, cuius quia non unum genus est, magnam differendi materiam Canonum Doctoribus attulit. Quæ igitur in rem nostram, breviter examinabimus.

§. I.

Quid Beneficium, & quoruplex?

I. Beneficium ecclesiasticum nihil aliud est, quam *Ius perpetuum percipiendi fructus ex bonis ecclesiasticis propter aliquod officium spirituale, auctoritate Ecclesie constitutum.* Explico Dicitur.

1. *Ius perpetuum.* Intellige, per se & ex natura sua. Aliunde enim fieri potest, ut non sit perpetuum. Bona & fructus Ecclesie non vocantur beneficia, nisi materialiter, seu objective, quemadmodum Ecclesia subinde appellatur ædes sa-

era II. *Ex bonis ecclesiasticis, quæ nimirum Deo consecrata, & Ecclesie donata sunt.*

- III. *Propter officium aliquod spirituale.* cuiusmodi est cura animarum, chorus, lectio horarum canonicarum, &c. Unde illud vulgò receptum, *Beneficium datur propter officium.* Videlicet, ne Ministri necessarii desint. Et *Calvinus dixit l. 4. instit. c. 3.* longè absurdissimum esse, quòd pueri quoque vix decennes Papæ concessione episcopi facti sint. Hi enim, ut maxime velint nullo fungi ecclesiastico munere possunt.
- IV. *Additur Auctoritate Ecclesie constitutum.* ne quis fortè divino iure putet constitutum esse contra communem Doctorum sensum, fundatum in *c. 1. & 2. dist. 22.* ubi dicitur à Romano Pontifice institutos esse Archiepiscopos, Episcopos, & alios dignitatum gradus. *Canis in Reg. 1. iuris in 6. Layman l. 4. tr. 2. c. 1. Barbosa in c. omnes dist. 22.*

II. Beneficiorum genera permulta sunt, Nam. 1. *ex c. cum de beneficio tit. de præbendis in 6.* colligitur, alia esse Regularia, alia Sæcularia. Regularia vocantur, quæ illis solis conferri possunt, qui sub regula aliqua solenni Religionis voto astricti sunt. Sæcularia, quæ participant omni

vot

voto, & regula soluti. Hinc Regulare beneficium habet Abbas & Prior: sæculare verò Canonici, Vicarii Paroхи & similes. II. Sæculare beneficium aliud est simplex, id est, nulla iuris qualitate affectum, quemadmodum, promissio, pactum, aut votum simplex appellatur, quod nulla iuris solenni forma afficitur. Aliud non simplex quod contrario modo aliqua iuris speciali ac solenni forma decoratur, Eiuscemodi forma seu qualitas est *Dignitas*. *Gubernatio*, *Parochia*, *Cura animarum*, *Jurisdictio*, *Administratio rerum ecclesiasticarum*, *gradus honorabilis in choro*, & *Collegio clericorum*. III. Aliud beneficium est *Curatum*. Aliud non curatum. Cura animarum habet in foro externo quidem, cui iurisdictio in alios competit. In interno autem, cui potestas data est administrandi Sacramenta. Hisce qui caret, simplex & non curatum beneficium obtinet. IV. Dividitur in *Dignitatem*, *Personatum*, & *Officium*, sive *Administrationem*. Dignitas est illius, qui habet administrationem rerum ecclesiæ, & simul iurisdictionem in clericos. *Personatum* habere dicitur, qui in Ecclesia, cui ascriptus est, gradum honorificum tenet, quo aliis clericis supereminet, v. g. in choro Sædem altiorem, vel locum ante alios, aut in ferenda sententia præfertur, ita tamen, ut omni administratione & iurisdictione careat. *Officium* in illis cernitur, qui rerum ecclesiasticarum administrationem aliquam habent. *Tholos. l. 1. loc. 1. t. 27. c. 2. v.* Aliud beneficium est *Manuale*, quia ad nutum collatoris revocari potest: aliud non Manuale, sed *Titulare*, quia non nisi certis ex causis in iure permisis adimi solet *Rodrig. to. 1. q. 34. art. 2.* VI. Aliud beneficium *Electivum*, aliud *Collativum* est. *Ele-*

ctiva per electionem. cõceditur *Collectiva* per simplicem, & liberam voluntatem. Quamobrem *mixta* appellare licet, quæ nominante patrono, & episcopo instituentem conferuntur. *Layman tr. 2. c. 10. VII.* Alia sunt *Patronata*, alia non *Patronata*. Hæc sine cuiusquam præsentatione conferuntur: illa præsentationem patroni requirunt cum institutione episcopica. *cum laicis c. nullus de iure patronatus. VIII.* Alia sunt *Collegiata*, eorum videlicet, qui Collegium constituunt, alia non *Collegiata*, quæ conferuntur illis qui non constituunt Collegium. Collegii nomine intelligo Cœtum clericorum habentium *Sigillum*, & *arcam communem*, vel qui habet *Capitulum*, & prælatum Capituli caput *Tuschus conclus. 458.* IX. Alia sunt *Patrimonialia*, quæ ex patrimonio fundantur, & in eadem familia manent. Alia non *Patrimonialia*, quæ aliunde fundationem habent. X. An beneficia sint *Pensio*, *Portio*, & *prestimonia*, dubitatur. Pro resolutione inspicienda singulorum qualitas est. *Pensio* definitur *Ius percipiendi fructus ex alieno beneficio*. Ex suo enim ut nemo usum fructum, sic pensionem nemo habere potest. Dividitur variè. Alia est temporalis, alia spiritualis, alia mixta, Temporalis datur propter ministerium aliquod temporale præstitum, ut viro illustri, aut Principi spiritualis è diverso propter ministerium spirituale datur v. g. *Concionatori*, *Adjutori Episcopi*, aut *Parocho*. Media seu mixta fundatur in solo statu spirituali, non tamen in præstando officio spirituali, qualis est, quæ tribuitur parocho seni, aut clerico pauperi, ut inde alatur. II. Alia datur cum clausula transferendi, alia non. *Clausula transferendi*

D

rendi

rendi est potestas pensionem relinquenti alteri auctoritate alicuius personæ constituta in ecclesiastica dignitate. III. Alia datur cum regressu ad beneficium; alia sine illo. Regressus illius propriè est, cui post resignationem, beneficii pensio tributa fuit. *Portio* removendo latiore significationem, propriè dicitur stipendium, quod illis datur, qui Canonici & Vicarii non sunt, choro tamen serviunt cantando, aut administrando. Olim *congiarii* vocabantur, quibus Imperatores in alimoniam *Congiarium*, id est, munus aliquod donabant. His *portionarii* similes videntur, clerici nimirum annuè percipientes aliquam reddituum partem unde vivant *Præstimonialia* quoque, non unius generis sunt. Aliquando enim clericis in subsidium dantur, ut commodius vivant: aliquando studiosis pauperibus, ut inchoatum literaturæ cursum facilius absolvant, cum obligatione recitandi quotidie aliquas preces. Ex his facile est discernere num prædictum jus, & reditus propriè beneficia sint, examinando secundum definitionem n. 1. datam. Nam si vel perpetua non sunt, vel propter temporale obsequium dantur, vel absq; Ecclesiæ auctoritate constituta sunt non nisi impropiè beneficia appellatur. *Azor II. l. 8. c. 5. Zerola par. 1. v. beneficium n. 1. & seq. Navarr. 10. 1. consil. 52. Barb. prax. exig. pensiones. Reginaldus l. 30. tit. 3. c. 8. inter beneficia impropiè dicta numerat commendam non perpetuam, Coadiutoriam, Hospitale, & prabendas instabiles. Garcia par. 4. c. 4. n. 6. Navarr. l. 3. consil. 9. & Man. c. 25. n. 103. Laym. c. 1. n. 2. & 6. 5. q. 6. Less. c. 34. d. 30. Arragon. 22. q. 100. ar. 4. Rebuffus de pacificis possess. n. 105. Scaphileus de iur. expectativ. r. 1.*

de qualitate beneficior. §. 1. n. 5. Franc. Leopard. 2. c. 27 Tholos. l. 1. r. 1. 26. c. 6 Fagundes de prac. Eccl. par. 1. l. 2. c. 4. ubi recitat motum Pii V. Anno 1571. præcipientis, ut clericus cui præstimonialis portio datur *Offic. parvum B. M. V.* recitet. Quam constitutionem hodiè in viridi observantia esse apud Hispanos idem Auctor affirmat. *V. Valens. de benefic. l. 1. r. 1.*

§ II.

De requisitis ad Beneficium.

I. **A** Beneficii ecclesiasticis jure naturali & divino. I. *Fæminæ* excluduntur. II. Nondum baptizati. III. Infantes & amentes. IV. Surdi, muti, aut aliquo aliorum membrorum, seu potentiarum destituti, quia ad obeundum munus, propter quod beneficium datur, inhabiles sunt. V. Hermaphroditum, nisi fortè virilis sexus multum prævaleat *c. sacratas d. 25. Azor II. l. 6. c. 2. Valens. l. 1. tit. 14. n. 1. 2. 3. & l. 3. tit. 7. 5. 3. Less. c. 34. d. 17. Zerola. V. beneficia. Silv. V. beneficium. III. n. 1.* Atamen debilitas, aut vitium corporis superveniens, ex quo ad officium præstandum has invalidus, non privat beneficio obtento. Verum si cura animarum conjuncta sit, Vicarius substituendus erit. *c. 1. c. 13. & c. 17. causa. 7. q. 1. Silv. V. Vicarius. Armilla eod. v. tit. 11. §. 4. de Coadiutore Parochi.*

II. Jure ecclesiastico à beneficiis excluduntur I. Qui nondum primâ tonsurâ initiati sunt. II. Illegitimè nati, nisi in aliquâ Religione professi sint, vel ab habente potestatem legitimati. Potest autem Episcopus promovere spurios ad primâ tonsurâ.

tonsuram, minores Ordines, & beneficia simplicia tantum. III. Filii hæreticorum, vel credentium hæreticis, fautorum, receptorum, ac defensorum: nepotes item qui hinc filiorum nomine comprehenduntur IV. Qui matrimonium contraxerunt licet nondum sit consummatum. V. Bigami, quia Ordinum incapaces sunt. Dispensare tamen episcopi possunt quoad minores ordines, & beneficia simplicia. VI. Qui carent legitimâ ætate. Pro beneficiis omnino simplicibus, maximè si pro minoribus fundata sint, anni septem sufficiebant olim, nunc verò, quemadmodum pro quocunq; etiam Canonicatu necessarii sunt 14. anni, saltem inchoati, *Conc. Tr. sess. 23. c. 6.* Pro beneficiis, quæ maturitatem iudicii, & prudentiam deponunt, vel curam animarum annexam habent, anni viginti quinque, minimum inchoati. Ad dignitates & personatus, quibus non adjectet animarum cura, requiritur ætas annorum viginti dùm h. e. ut completi sint. Deniq; pro episcopatu triginta anni completi exiguntur. In his tamen & similibus multis non raro dispensatur cum filiis Regum & Principum. *Azor II. l. 6. c. 5. Silv. V. benefic. 111* Deniq; ad beneficium regulare requiritur, ut sit eiusdem Ordinis protestus, vel certè promittat, se intra præfixum tempus suscepto habitu professionem editurum. *Armillæ 1. n. 80. Silv. n. 11. Azor II. l. 6. c. 4. Less. c. 34. d. 17. Laym. l. 4. tr. 2. c. 8. Zerola par. 1. v. beneficium ad octavum ubi sic præfatur. Habeantur pro non dictis, quia non obli-*

vantur.
III. Nemo beneficium validè acquirit, qui vel conjugatus est, vel excommunicatus, suspensus, interdictus, irregularis, si-

lius hæretici intrusus, simoniacus, vel qui ad preces hæretici alicuius præsentatur. *c. Postulasti de clerico excomm. c. dilectus de consuet. c. 1. de postulat. Pralat. c. quicunq; 2. c. statutum 15. de heret. in 6.* Ad pleniorè doctrinam spectant ea, quæ à DD. annotantur, videl. 1. Non tantum collatio beneficii, sed etiam præsentatio, postulatio, & resignatio in favorem excommunicati, suspensi & interdicti irrita est. *Covarr. in c. alma 1. p. §. 7. n. 1. & 2. Glo. in c. postquam 3. de elect. Rebuffus §. formula dimissoriarum. V. par. 111. tt. 16. §. 2. n. 7.* II. Quorundam opinio non omnino rejicienda est, suspensione vel interdicto non ita reddi indignos, ut collatio sit ipso iure irrita, sed quod irritanda sit, & antequam hoc fiat, retineri beneficium posse, *Silv. V. Episcopus IV. n. 4. Suar. V. disp. 26. sect. 3. & disp. 27. sect. 5. n. 25. Tanner. 22. d. IV. q. 6. 175. 111.* Si alicui ante excommunicationem facta sit collatio, in excommunicatione verò acceptet, valida erit. *Covarr. l. 3. Var. c. 16. n. 4. 1v.* Idem dicendum, si quis in excommunicatione electus aut præsentatus sit, & acceptet, post absolutionem *Innoc. Ostiens. Felinus & alii apud Sanchez l. 8. de dispensationib. disp. 7. n. 12. v.* Si quis ignorantia probat ignoret, se excommunicatum esse, & beneficiū acceptet, talis acceptatio valida erit: quod etiam de electione & præsentatione dicendum est. *Navarr. in c. fratres de penitentia dist. 3. n. 45. Glo. in c. Apostolica. 9. de clerico excomm. Felinus. Cardin. Less. c. 34. n. 117. Azor II. l. 6. c. 7. Zerola par. 1. V. beneficium tertium dubium. De pensione ecclesiastica quid dicendum V. par. 111. tt. 16. §. n. 7.*

IV. Ad beneficii consecutionem scientia requiritur juxta uniuscuiusq; qualita-

tem & exigentiam. *c. cum in cunctis de elect.*
Co Tr. sess. 22. c. 2. in assumendis ad cathedr.
ecclesias exigit, ut sit Doctor, aut Licentia-
tus in Theologia vel jure Canonico, vel
saltem publico alicuius Academiae testi-
monio ad alios docendos idoneus osten-
datur. Eadem doctrina requiritur in
Archidiaconis, & multò magis in Cardi-
nalibus, qui sunt velut oculi in mystico
Ecclesiae corpore. V. Co. Tr. f. 24. c. 12. ubi
non verbo præcipiendi, sed hortandi uti-
tur V. Vallens. l. 1. de benef. tr. 16. Præter
hæc examine prævio opus est, exceptis
quos ad beneficia non parochialia Uni-
versitas aliqua præsentat, sine quo irrita
potest esse institutio. Hæc autem in ipsa
electione & institutione quo modo ser-
ventur, viderint illi, quorum interest.
Azor II. l. 6. c. 6. Zerola par. 1. v. beneficium
ad quintum Vallens. l. 1.

V. Non minus necessaria est inten-
 tio, seu certa voluntas ecclesiastici status,
 vel ordinis muneri suo necessarii. Ac
 Primò quidem Beneficium curatum,
 cuiusmodi est Parochia eo animo suscipere
 debet unusquisque, ut intra annum Sa-
 cerdotio initiatur, aliter qui faciunt,
 mortali peccato obstringunt se, & resti-
 tuere fructus tenentur, nisi per idoneam
 substitutum manus suam obierit. Secundò,
 qui beneficium curatum ita suscipit, ut
 dubitet, an Sacerdotio intra annum ini-
 tiari velit, si non initiatur postea, fructus
 restituendorum reus est. *c. Commissa de*
ele. in 6. Sylv. V. beneficium III. q. 23. Tertio
 Ad beneficium simplex sufficit intentio
 conditionata sacrum ordinem suo tempore
 assumendi, inq; eo statu permanendi, do-
 nec mutatio aliqua, vel circumstantia
 vel circumstantia aliud suadeat. Nam

in hoc modo procedendi nulla apparet
 fraus vel iniquitas *Navarr. c. 25. n. 118. &*
seq. Quarto Si beneficio simplici, seu non
 curato annexa est ordinis sacri obligatio,
 tu verò intra tempus præscriptum non vis
 te habile efficere, mortaliter peccas, non
 tamen ad restitutionem fructuum obligaris
 quia Canones in curatis tantum, eiusmodi
 restitutionem exigunt. *Quinto* Cum nulla
 est sacri ordinis suscipiendi obligatio, nõ
 peccat suscipiens animo quidem in clericali
 statu vivendi, sed absq; facto ordine. *Sexto*
 Beneficium simplex absq; onere sacrum ordi-
 nem suscipiendi, qui eo animo obtinet, ut
 fructus lucretur suo tempore dimissurus,
 & ad sæcularè statum reversurus, si inter-
 rea muneri suo satisfaciatur, non censetur
 peccare saltem mortaliter, quia Canones
 eiusmodi beneficiatis permittunt liberum
 reditum ad priorè statum, imò nuptias quo-
 que, ut colligitur *ex c. Ioannes, & c. diversis*
de cler. coniug. Dixi Non peccare saltem mor-
taliter, quia non omnino laudari possunt,
qui retrò respiciunt, contra quam benefi-
ciorum institutio & natura exigit: qua-
mobrem ab omni omnino culpa non vi-
dentur esse liberi. c. commissæ de elect. in 6. u-
bi Barbosa plures. Doctores allegat. v. Lessium
c. 34. dub. 26.

VI. Opus est deniq; Canonica institu-
 tione. *Reg. lu. 1. in 6. ad quam teste Cacerano*
tria requiruntur 1. ut conferatur ab eo,
qui potestare habet, videlicet Magistratu
ecclesiastico. Nam recipiens à laico ipso
jure inhabilis est. 11. Vt modo debito cõ-
feratur, non per simoniam, fraudem &c.
111. Vt habilis sit accipiens, non irregula-
ris, suspensus, iuxta n. 3 supra positum. c. ex
frequentibus de institutionibus. ubi multa per
Barbosam cumulantur. Vallens. l. 3. tit. 7.

§. 1. Frans.

§ 1. *Franc. Leo par. 4. c. 32. n. 1. Layman c. 1. n. 3. & c. 14. Silv. l. cit.* Non obstat quorundam Regni consuetudo, qui beneficia quaedam ecclesiastica suo arbitrato conferunt. In eo enim quasi Papae delegati operantur *Az. II. l. 6. c. 25. Tholos. l. 17. Syntagm. 6. 9.*

VII. Cæterum Canonicam institutionem vocamus eam, quæ secundum Canones & formam ab ipsis præscriptam sit. Estque triplex. Nam aliquando ipsa beneficii collatio liberè facta, institutio nuncupatur, ut ferè in *t. 7. de institutionibus l. 3. Decretal.* Aliquando immisio, seu deductio in possessionem beneficii collati, quæ jure communi ad Archidiaconum spectat, quando nimirum collatio, vel institutio collativa, seu auctoritabilis præcessit. *c. 7. de officio Archid.* Hodie verò & in nostra Germania, ubi vix auditur nomen Archidiaconi, à Capitulis ferè, Decanis, aliisque Ecclesiæ præfectis fieri solet & in multis ab Episcopo. Denique institutio pro collatione non libera sumitur, qualis est, quæ fit ad præsentationem patroni, & specialiter institutio appellatur, eique similis est ea, quæ fit ad nominationem vel mandatum alterius, puta Principis, aut Pontificis. Similiter illa, quæ non sine opprobrio Religionis Catholice exigitur ab hæreticis Collatoribus, à quibus nominatus & præsentatus Verbi Minister pro ecclesia aliàs Catholica ab Episcopo vel Vicario generali approbatur, & confirmatur *c. ex frequentib. de institutionib.* ex cuius textu (vel officialium suorum) Doctores multi colligunt apud Barb. Vicarios Generales ex vimuneris sui, absque alia speciali commissione posse instituere ad præsentationem patroni, sicut etiam confirmare electos, quia non libertate exercere, sed ex

necessitate facere dicuntur *Abb. in c. auctoritate de institut. Az. II. l. 22. Reginald. l. 30. tr. 3. n. 239. Cucchus l. 1. instit. t. p. 10. Barb. de potest. episcopi parte 3. allegat. 72. Zerola l. v. beneficii § ad secundum. Lancelotus l. 1. t. 1. 28. Canisius l. 2. t. 1. 29. de Reg. iur. in 6. Dynus in reg. beneficii eccl. Vallès. l. 1. de benef. t. 1. 6. & 9.*

VIII. Quia institutio beneficii à collatione & præsentatione eiusdem distincta est, si coniungat à Pontifice mandati, ut de beneficio ad Petri collationem pertinente provideatur Paulo, non poterit providere Petrus de beneficio ad institutionem vel præsentationem suam, si eûtante, nec è converso. Nam uno aliquo expresse mandatum ad alia extendi non debet. Institutio enim de beneficio ab episcopo fit, cum juris patronatus est, præsentatio à patrono, collatio à quocunque, qui conferendi potestatem habet. *Anto. Cucchus l. 2. instit. t. 1. 6. §. alii similes casus f. 191. Plura v. apud Az. l. cit.*

IX. Beneficium, legitime obtentum non tollit superveniens excommunicatio, vel alia inhabilitas. *Henriq. l. 13. c. 56. Suarez v. disp. 13. sect. 1. n. 1. Em. Sa. v. beneficium n. 13. Navarr. c. 27 n. 251. Lopez par. 2. c. 93. cir. sin Tannerus. disp. 14. q. 6. n. 177. Zerola par. 1. v. beneficium §. ad tertium dubium.* Cuius rei sufficiens ratio datur, si nullibi in jure exprimitur eiusmodi privatio. Non convenit enim ea nos ampliare, quæ odiosa sunt. *Reg. 15. iur. in 6. odia restringi, favores convenit ampliari.*

X. Quamvis in jure constitutum sit, aliquem beneficio suo legitime adepto privatum esse ipso facto, absque alia mentione aut declaratione: tamen sententiam judicis tamen possessione & administratione beneficii non privatur, nisi fortè peculiariter in lege exprimat.

Molina l. tr. 2. disp. 96. Azor. l. 1. c. 8. Soto
1. de iust. q. 6. n. 6. Less. c. 29. d. 8. Zerola par. 2.
v. clericus Tanner. lo. cit. quamvis alii con-
tradican cum Nav. c. 25. n. 118. & Carbo
qu. 61. de restitutione. Patet 1. Ex com-
munione illâ sententiâ, de quâ in Pro-
legom. nostris §. 8. Quod leges pœnam fan-
cientes non obligent ante sententiam ju-
diciis declaratoriam, nisi aliud in ipsa lege
exprimatur. V. Tolet. l. 8. c. 20. II. Re-
pugnat aliter facta executio justitiæ Chri-
stianæ, quæ lenimento Charitatis & man-
suetudinis temperanda est, iuxta illud
Matth. 18. v. 33. nonne oportuit & te misereri
conservi tui, sicut ego tui miserus sum?

XI Idem dicendum est, de his, & si-
milibus. Fructus non faciat suos, ipso
facto fructibus aut proventibus privatus
sit, careat, amittat, &c. Navarr. c. 25. n. 121.
Henr. l. 13. c. 56. n. 2. & 3. Azor & Less. sup.
citati Zerola par. 1. v. Privatio. Nam eius-
modi verba non necessariò inferunt obli-
gationem dimittendi jam perceptos fru-
ctus, esto dominium amittat. Neq; enim
repugnat aliquem fructus etiam non suos
conservare, iis uti, & frui, quemadmo-
dum Usuarii solent. Addit Tann. l. cit. n. 183.
probabile videri, nec post sententiam cri-
minis declaratoriam beneficium relin-
quendum, & fructus restituendos esse, an-
te peculiare mandatum, & executionem
judicis. Covar. de matrim. par. 2. c. 6. §. 8.
Azor & Less. citati. V. par. III. st. 16. §. 2.

§ III.

De Residentiâ, & Horis Canonicis.

Quicumq; habent beneficium cu-
ratum, jure divino residere de-

bent, & per se obire munus suum. Colli-
gitur ex c. 12. Jerem. c. 3. Ezech. c. 10. & 21.
S. Ioann. & c. 20. Act. Apost. quibus con-
sonat. c. ad hac. c. extirpanda. de praben. c. quia
nonnulli de cler. non residentib. & c. licet de
elect. in 6. Quos Canones Conc. Trid. sess. 23.
c. 1. acceptat, & confirmat. Cum, inquit,
præcepto divino mandatum sit omnibus,
quibus animarum cura commissa est, o-
ves suas agnoscere, &c. declarat sacro-
sancta Synodus omnes patriarchalibus,
Primalibus, Metropolitanis, ac Cathed-
ralibus ecclesiis quibuscunq;, quæcunq;
nomine aut titulo præfectos, etiamsi S. R.
E. Cardinales sint, obligari ad persona-
lem in sua Ecclesia vel diocesi residentiâ,
ubi iniuncto sibi officio defungi tenean-
tur, neq; abesse posse, nisi ex causa & mo-
dis infra scriptis. Et post alia quædam. Quoniam
autem, qui tantisper tantum abeunt, ex
veterum Canonum sententia non viden-
tur abesse, qui statim reversuri sunt, sacro-
sancta Synodus vult illud absentia spaci-
um singulis annis sive continuû, sive in-
interruptum extra prædictas causas nullo
pacto debere duos aut tres menses exce-
dere, & haberi ratione, ut id ex causa fiat.
Ita Conc. Trid. Nav. c. 25. n. 121. Silv. V. resi-
dentiâ. Catharin. in tract. de resid. Tanner III.
d. 14. q. 6. n. 187.

II. Idem de iis dicendum qui benefi-
cium non curatum, sed simplex obtinent,
quodvis tenue, requiri videlicet, si jus cõ-
munespectes, alsidua commorationem
seu residentiâ. Abb. in c. conquere. & to-
to serè titulo de cler. non residentibus, ubi
Barbosa. Verùm id ex jure Canonico &
humano tantum provenire probabile est,
& horum temporum consuetudo obti-
nuit, ut abesse liceat saltem in quibusdam.

Imò

Imò quoad Curata, & Dignitates maiores, nec non Canonicatus ecclesiarum Cathedralium in Germaniâ nostrâ juris rigorem temperavit usus. *V. declar. Co. Tr. n. 27.* Quamobrem uniuscuiusq; regionis, ac diœcesis statuta, & ulu probabili recepti mores attendendi sunt. *Innoc. in c. si. de cler. non resid. Glo. in extrav. Tonn. XXII. suscepti de electione in v. residentia. Ost. Io. Andr. Panorm. Navarr. c. 25. n. 121. Barb. in c. pervenit de appell. Azor. II. l. 7. c. 7. Comitulus l. 1. q. 61. quin. 4. addit, peccatum esse mortiferu canonicis, si non conveniant in templo ad canendas divinas laudes; idq; ex gravitate pœnæ collegi, quæ sit depositio c. ult. dist. 92. Præterea nondum consuetudine impetratum esse, ut Canonici per aliû inservire possint. Quod maiori dîtquisitione & declaratione indiget.*

III. Qui absq; legitimâ causâ absunt, fructus beneficii non faciunt suos, isq; privandi sunt causâ prius examinatâ c. ex parte 1. & seq. de cler. non residentib. *Conc. Trid. sess. 23. c. 1. ubi indicatur, curatos, qui non resident, tutâ conscientiâ usurpare & retinere fructus non posse: quod aliqui putant in eo rigore receptum non esse, dummodo per Vicarium, absque damno administraretur officium, quod curandum utiq; semper ab iis, qui quarumq; ex causâ à loco residentia suæ recedunt. Lancelotus l. 11. 19. Mosconius l. 1. c. 21. ci. fin. Franc. Leo parte 3. Thesauri eccles. c. 132. Laym. l. 4. tr. 2. c. 6. Ign Lopez in pract. c. 54. Lud. Lopez par. 2. instructorii c. 98. Silv. V. residentia n. 6. Armilla 20d. n. 3.*

IV. Causæ excusantes à continua residentia generatim quatuor sunt, puta, Charitas, Necelsitas, Obedientia, & evidens Ecclesiæ, vel reip Utilitas. Ad Charitatem spectat amor sublevandi proximû

in rebus adversis, componendi lites, & reparandi amicitias, sublevando inopes, afflictos & opressos. Ad Necelsitatem aer, infectus, ægritudo, inimicitia capitales, lis de beneficio mota: quin etiam pro peregrinatione aliqua ab episcopo impetrari licentia potest. Obedientia causa abesse potest Beneficiatus mandato Papæ, vel occupatus servitio Curia, Apostolica. Verum maior aliquanto in Curatis causa requiritur. Deniq; Ecclesiæ utilitati serviunt negotia expedienda, Synodus ecclesiastica, vel Imperatoria: docere vel addiscere Theologiam, Philosophiam, & jus Canonicum, Qui Theologiae aut iuri Canonico student, abesse possunt etiam sine speciali licentia annis quinque secundum iura: alii tamdiu, donec cursum absolverint. Illis verò, qui docent ac profitentur, nullum tempus definitum est. Excusantur quoque duo Canonici, & inter præsentibus numerantur, qui episcopo adsunt, & interserviunt, ac multo magis qui summo Pontifici, modo id fiat principaliter ad serviendum, non verò ad procuranda beneficia secundum Angelum. *v. clericus 7. §. 2. Navarr. c. 25. n. 121. Barb. l. 3. vot. decis. dub. 2. Lud. Lopez p. 2. instruct. c. 98. No. 1. Quod de Canonicis episcopo assistentibus dicitur, non de solis Cathedralibus intelligendû esse ex c. de cetero de cler. non residentibus, sed etiam ecclesiarum Collegiatarum, quia nullum inibi verbum est, quo excludantur. No. 11. Licet eiusmodi absentes non percipiant distributiones quotidianas ordinariè, si tamen in his solis redditus contineantur, earum participes fore ne privilegium juris inutile reddatur.*

datur. *Garcia c. 2. Monet. q. 8. Barb. inc. de catero l. 6. annotationes ad c. 1. sess. 23. Conc. Trid. de necessitate residendi.*

V. Beneficiarius, cuius reditus ad vitæ sustentationem quocunq; modo sufficiunt, ad legendum Horas Canonicas tenentur. Sic enim ex *c. Elcutherius c. Presbyter manè & c. clericus victum dist. 91.* colligimus, & supponitur à Concilio Lateran. sub Leone X. ubi *sess. 9.* privantur fructibus suis, qui Horas Cano. non legunt. *v. Bellarm. l. 1. de bonis operib. c. ult. Bonart. l. 2. de Hor. Can. c. 4. Dixi.* Cuius reditus sufficiunt. Nam si aded tenues fuerint, ut non nisi tertiam partem necessariæ sustentationis, adferant, non videntur obligati quibus obveniunt, saltem ad omnimodam & plenam recitationem. Octo aureos non sufficere putant aliqui, ut *Sorus l. 10. q. 5. art. 3. alii 16. ut Sanchez & alii apud Fagund. de prec. Eccl. pag. 92. alii 20. ut Ledesma:* nec quisquam, nisi in pacifica possessione sit, obligari videtur. *Siv. n. 3. Armilla n. 1. Less. c. 34. d. 31. Bonacina to. 1. pag. 51. Reginaldus l. 30. tr. 3. c. 4. Tolemus l. 2. c. 12. Sanch. l. 2. Conf. d. 62. pag. 246. Diana p. 2. tr. 12. res. 9. & p. 5. tr. 5. resol. 25. Layman. l. 4. tr. 2. c. 5.* Caterum valdè conveniens est tum Ecclesiæ, & fundatorum intentioni, tum ipsius beneficiarii conditioni & tacitæ promissioni ut si, tenues reditus percipiat, saltem aliquoties per annum, puta, festis diebus, prout pia ratio dictaverit, preces horarias persolvat.

No. Prædictam exceptionem de tenui beneficio, maior Theologorum pars, & si *Fagundez pag. 93.* credimus, communis juris Canonici interpretum schola nō admittit, à qua sibi ipse putat non esse

recedendum: quia in *c. clericus dist. 91.* statuitur, ut clericus, qui ab ecclesia sua commode non alicur, quærat artificiorum aliquid, ex quo victum & vestitum parat, vel ex agricultura post sui muneris & officii pensum persolutum. Adde, quod accessorium sequitur principale, hoc autem est spirituale jus ad colligendos fructus, quamvis tenues: ergò obligatio recitandi horas, tanquam accessorium debet sequi. Præterea qui sciens ac prudens pauperem uxorem duxit, alere tenetur & subire omnia matrimonii onera: Item qui militiæ nomen dedit pro exiguo stipendio tenetur militare pro illo. Deniq; hic non intervenit propria commutatio unius rei æqualis pro alia, ut in cæteris contractibus: ac proinde non licet ita argumentari: Beneficium est tenue, & quod percipio parum est, ergò vel nihil, vel parum pro eo orandum est. Ita ferè *Fagundez*, qui non facile persuadebit, nisi manifestè doceat, mentem ecclesiæ esse, ut pro parvo & magno proventu idem onus portetur. Deinde quid fiet nobilibus, an quia non sufficiunt reditus, artificium vel agriculturam exercebunt? Maneat igitur prior opinio probabilis, etsi posteriorem ut magis piam suadeamus.

VI. Qui horarum lectionem absq; iusta causa negligit, duplicem reatum contrahit, nimirum peccati mortalis, & restituendi fructus pereceptos. Est communis opinio, supponendo Decreta summorum Pontificum recepta esse. Equidem de peccato sic intelligi debet, ut aliis in rebus, peccatum fore mortiferum, si notabilis pars omittatur, qualis est Vesperarum v, g. aut Completorii: nec ad sit
alla

ulla causa, quæ excusare queat.

De restitutione fructuum extat *Decretum Conci. Lateran. sub Leone X. sess. 9. Can. 9.* ut nemo beneficium habens, qui elapsis 6. mensibus ab eius consecratione, sine legitimo impedimento officium divinum recitare omiserit pro tempore, quo non recitavit, fructus suos faciat: imò teneatur eos, tanquam rem injustè captam impendere in fabricam beneficij, aut in elemosynas pauperum. Idem statuit *Pius V. in bullâ relata à Navar. c. 25. nu. 122.* Vbi DD. duo notanda movent. *Primum est*, non requiri sententiam declaratoriam Iudicis, sed ipso facto restituendos fructus esse: quòd dicat, *ut iniuste perceptos* retineri non posse. *Alterum*, restitutionem faciendam pro ratâ omissionis, hoc est, ut quanta fuerit omisso, tanta sit restitutio pro neglectu omnium horarum unius diei, redditus illi tempori respondentes, pro dimidio die dimidiam partem, & sic consequenter. Verùm, quod aliqui urgent, contra iustitiam peccare omitterentem, adeoque ex naturâ rei & jure naturali ad restitutionem teneri, nondum satis exploratum est. De restitutione quoad proportionem, seu *pro rata* verum est, si Canones cum isto rigore recepti sunt. Certe usus, & praxis horum locorum aliud indicare videtur: cum videamus ab episcopis neminem conveniri, aut puniri propter neglectum horar. Canonicarum, licet, multos esse reos planè manifestum, & notorium sit.

Quod verò *Reginaldus n. 44. cum Suario* dicit ab hominibus doctis, & piis non dubitari, quin Bulla Pii V. ita sit usu recepta, ut obliget, vel supponit ubique promulgatam & notam esse, vel sufficere promulgationem Romæ factam: quod utrumque

incertum est, cum multi Religiosi, adeoque publici professores ignorarent citatam Bullam, nisi in libris aliorum editis legissent. Probabile igitur est, quod etiam *Hermannus Busenbaum* novissimè scripsit in *Medulla Theologia moralis*, ubi Bulla Pii V. non est recepta, beneficium ad dictam restitutionem non teneri. Unde ulterius sequitur, non committere duplex peccatum, videlicet contra Iustitiam, & contra Religionem simul: sed contra Religionem tantum. *Diana p. 2. tr. 12. Resol. 22. Silv. V. Clericus IV. §. 23. Zerola Par. 1. v. Beneficia. pag. 93. Escobar Tr. 5. Exam. 6. c. 13.*

Non deerunt, scio, qui hanc opinionem laxitatis accusent, quibus, quæ *Sanchez tradit l. 2. Consil. D. 82. à n. 2.* oppono. Decretum hoc (: *Concilii Lateran.*) quidam dicunt non esse usu receptum, & sic ex vi illius non obligari beneficiarios non recitantes restituere fructus. Ita nonnulli valde docti recentiores Magistri in suis scriptis *Et Simancas l. 1. Inst. Cath. tt. 9. nu. 208.* dicit, dubitari probabiliter posse, an hæc pœna obliget omnino in foro conscientiæ, quia hoc decretum usu non est receptum, & paucis innotuit. *Et Soto l. 6. q. 1. a. 6. ad 1.* dicit nondum planè sciri, an fuerit usu receptum. Alij verò dicunt, statutam in hoc Decreto magis videri pœnam, quæ iustè à Prælati imponi potest, quàm ut quis ad eam per se teneatur. Sic *Petrus Soto l. de instit. Sacerd. Tr. De Vita Sacerdotum lect. 4. v. Nec illud. Et nõ abhorret ab hoc Medina l. 1. instr. Conf. c. 14. §. 11.* Nam inter solutiones quas adhibet ad motum proprium Pii V. qui est confirmatio Conci. Lateran. altera est, quod sit pœnalis, & obliget post Iudicis sententiam: Alii verò dicunt decretum Concilij Lateran. obligare, sed non eo ri-

E
gore,

gore, quo sonat. Non enim tam rigidè usu receptum est. Vnde beneficiarius qui unâ vel duabus diebus non recitat, non est cogendus ad fructuum restitutionem, qui correspondent illi diei, quia beneficium non tantùm datur pro horis recitandis, sed etiam pro aliis officiis &c. Ita Sanchez.

VII. Iusta causâ & legitimam impedimentum excusans omittentem Horas à culpâ & pœnâ restitutionis ex communi sensu DD. censetur I. Oblivio involuntaria II. Inculpabilis inadvertentia III. Ignorantia inculpabilis, ut si quis à viro docto vel Confessario audierit, se non teneri ad recitandum primo anno obtenti beneficii, cum decessori suo fructus persolventur, aut quid simile IV. Impotentia loquendi, cæcitas, carentia libri. Nam Concilii Lateranensis mens, ut ex verbis Decreti satis apparet, non punit nisi culpabiliter omittentem, & fructus beneficii ob id iniuste percipientem. Vnde etiam requiritur culpa mortalis. Sic ferè Bonartius De obligationar. Canonic. l. 2. c. xi. pag. 387. addens, dictam Concilij legem non videri tam strictè, ut sonat, ubique obligare. Nam Sotus pro omissione totius diei nihil putat restituendum: Medina verò pro diebus octo nihil restituendum: quin etiam si toto anno omittatur, non esse totum integrè & exactè solvendum, sed mediocrem partem fructuum posse reservari. Quæ opinio ut non recipiatur, recipi tamen alia aliorum potest, qui existimant Episcopum vel parochum Horas Cano. omittentem uno die, tantum obligari ad restituendam quintam partem fructuum, retentis quatuor pro aliis oneribus: Canonicum verò satisfacere, si quartam partem restituat; alios si tertiam, quia nimirum præter offi-

cij horarij obligationem alii labores subeundi, ut in Curatis & Parochis manifestum est. Bonar. loc. cit. Bonacina tom. 1. pag. 540. Zecchus De beneficiis cap. 3. Conradus Q. 240. in add. Tol. l. 2. c. 12. Henr. l. 3. c. 13. Sa. V. Beneficium. n. 58. Less. D. 32 n. 177. Rodrig. in sum. c. 146. n. 4. Layman. c. 5. n. 1. Escobar Tr. f. Exam. 6. c. 10.

VIII. Canonici, & alii omnes Choro addicti divinum officium per se in Ecclesiâ iuxta receptam & approbatam consuetudinem persolvere debent, nisi aliud postulet necessitas; consuetudo, vel fundatio. Hinc Concil. Trid. Sess. 24. c. 12. loquens de Canonici & aliis Beneficiariis Choro deputatis. Omnes divina per se, & non per substitutos compellantur obire officia, & Episcopo celebranti, aut alia Pontificalia exercenti assistere & inservire: atque in choro ad psallendum instituto hymnis & Canticis Dei nomen reverenter, distinctè, devote que laudare. Ita Conc. Atque hæc videtur prima & radicalis causa chori instituendi fuisse, à quâ, immane quantùm, hoc ævo defecimus. Caiet. V. Hora Can. Silv. eod. §. 3. Nau. De horis Can. c. 16. n. 5. Et de orat. c. 10. nu. 47. Roder. in sum. p. 1. c. 145. Zecch. de rep. Christiana c. 24. Az. l. 10. c. 11. q. 11. Less. c. 34. n. 184. Suarez 11. de Relig. l. 4. c. 12. Laym. l. 4. tr. 2. c. 7 Arragonus Q. 83. art. 13. pag. 641. Barb. De Canonici c. 34.

§. IV.

De fructibus beneficiorum, & aliis bonis.

I. **F**RUCTUUM nomine continetur, quicquid ex re percipitur, deductis expensis. Nam quicquid percipitur ex re, est in fructu, seu redditu Abb. in c. Pastoralis

floralis. De Decimis n. 9. l. si à Domino §. fructus
1. De hered. inst. Non omnia tamen, quæ ex
bonis ecclesie proveniunt, fructus appel-
lantur, uti distributiones quotidianæ: eò
quòd id nominis propriè vendicent sibi
quæ domum reducuntur etiam absente
Domino. Glo. in c. càm olim. de mai. & ob.
Franc. in c. Generaliter de ele. in 6. n. 8. Oldrad.
Consl. 118. n. 39. Mend. in Reg. 32. q. 2. Vivius in
Opin. 214.

Fructuum duo genera sunt, alii natu-
 rales, alii Civiles nuncupantur. Civiles
 sunt pensiones domorum, navium, & si-
 milium, quia ex provisione hominum
 proveniunt. Naturalium alij sunt purè ta-
 les, ubi nulla industria cernitur, uti arbor-
 um, vitium, & simil. *l. fructus ff. de usuris*
Glo. in l. sequitur §. fructus ff. de Vsup. Alij
industriales simul, circa quos operatur hu-
mana industria, ut segetes, frumenta & si-
miles qui nisi seminantur, vix proveniunt.
Abb. in c. Gravis de rest. Spol. n. 2. Menoch. Ca-
su 210. Jam quia præter beneficiorum suo-
rum proventus, alia quoque bona possi-
dere solent Beneficiati ab his primùm or-
diamur.

II. Ecclesiasticorum bona triplicia sunt.
 Patrimonialia, Quasi patrimonialia, &
 ecclesiastica. *Navar. in Apol. de re dit. bene-*
ficiar. Q. 1. Monito 21. & ante illum Felinus in
c. Ecclesia s. Maria n. 7. Patrimonialia cen-
tur, quæ aliunde, quàm ex beneficijs pro-
veniunt, vel eorum intuitu, ut quæ per
successionem, aut industriam, aut ex testa-
mento, vel contractu sunt acquisita. Quasi
patrimonialia quæ acquiruntur ratione of-
ficij seu ordinis clericalis ex salario, aut
honestâ elemosynâ oblatâ. Ecclesiastica,
quæ ad servitium Ecclesie, & eius rector-
is sunt deputata, & ad sustentanda Sacra

ex S. Thom. 22. Q. 99. a. 3. Vel aliter.
Merè ecclesiastica bona sunt, quæ titulo ali-
cuius beneficij ecclesiastici sive majoris si-
ve minoris acquiruntur. Hæc iterum tri-
plicia sunt. Alia enim divino sacrificio de-
putantur: Alia sunt immobilia, ex quibus
nascitur tertia species fructuum, seu redi-
tuum annuorum. Quid juris in ista bona
habeant ecclesiastici, magnis viribus, &
opinionibus disputatur. Fill. Tr. 31. c. 40. n.
100. Azor 11. l. 7. c. 8. Dom. Bannez in 22. Q.
32. a. 6. pag. 1159.

III. Ecclesiastici & beneficiarij bono-
 rum suorum patrimonialium domini
 sunt, habentque liberam potestatem suo
 nomine & auctoritate de iis disponendi,
 quod voluerint. Est communis opinio, &
 manifesta Ratio, quia beneficiorum pos-
 sessio, & status ecclesiasticus non privat
 quemquam illis, quæ iure naturali aut ci-
 vili debentur: alioqui deterioris conditio-
 nis essent, quàm sæculares. Quocirca le-
 ges, quæ alienationem bonorum ecclesia-
 sticorum prohibent, ad propria & patri-
 monialia non sunt extendenda. *Iess. l. 2.*
cap. 4. Dub. 6. Valentia III. Disp. 5. Q. 10.
pun. 2.

IV. Beneficiati reddituum suorum, quos
 ex beneficio ecclesiastico capiunt, nō sunt
 domini absolutè & simpliciter, sed usu
 fructuarii tantum, ita ut tuta cōscientiâ nō
 possint retinere aliquid aut disponere de
 eo, quod ipsis ad commodam sustentatio-
 nem non est necessarium. Pro hac opinio-
 ne allegantur triginta quatuor Auctores,
 inter quos præcipuus *Navarrus*, qui eam
 multis rationibus confirmat. *Tract. de redd.*
eccles. Q. 1. Monito 21. Ex recentioribus ple-
riq̄ue fatentur esse admodum confor-
mem. Iuri Canonico. Nam Clemens l. 2.

Apost. Const. manifestè testatur, esse decimas ad clericos & pauperes alendos ab ecclesiâ institutas, ac proinde vocat patrimonium clericorum, & pauperum. Addit, Episcopos bonorum ecclesiæ dispensatores & administratores esse. In eundem sensum loquitur *Vrbannus I. si. 1. Concil. & c. Res ecclesiæ 10. q. 1.* Res ecclesiæ, inquit, non quasi propriæ sed ut communes & Domino oblatæ cum summo timore non in alios quàm in præfatos usus sunt fideliter dispensandæ. Idem alij Patres & Concilia dicunt: *Causa 12. per tot. Adde Dist. 68. c. Quorum vires.* ubi Episcopi patres vocantur. Et *16. q. 1. c. 63.* mandatur episcopis, ut in quatuor partes divisis ecclesiæ bonis, ex his quartam clericis assignent, secundùm Dei timorem & discretionem. Ex quibus omnibus colligitur, fideles olim non alio fine bona sua ecclesijs donasse, quàm ut inde clerici alerentur suâ parte contenti, ita ut superesset pro satis tectis sacrarum ædiû, & sustentatione pauperum. *Parm. c. Cùm secundùm de præbend. Archid. & Dom. c. Statutum §. assessorem. de refer. Felinus c. Postulati de refer. Covarr. in c. Cùm in officiis de test. n. 2. Molina l. 2. de primog. c. 10. n. 52. Bonac. tom. 1. pag. 750. ad Tannerum l. 2. de libertate eccl. c. 10.* Atque hæc opinio haud dubiè melior, & securior est, adeoque omnibus studenda, qui de patrimonio clericorum, & pauperum vivunt. Sed metuendum, ne aures multorum cupiditas & præiudicium occluserit.

V. Probabile est nihilominus, post certam unicuique beneficiario portionem assignatam, & constitutos diversos titulos, quemlibet acquirere dominium omnium fructuum suorum, ita ut contra iustitiam non peccet, neque ad restitutionem tenea-

tur, si malè consumperit, aut expenderit. Ita ferè huius ævi DD. apud *Molinam Tract. 2. Disp. 144.* Fieri absolutè dominos, colligitur. *ex c. un. de Cler. non resid. in 6.* ubi dicitur. Qui divinis officiis non interfunt (absque iusta causâ nimirum) non sunt domini quotidianarum distributionum, neque faciunt eas suas, sed ad restitutionem sic perceptorum obligantur. Si distributionum quotidianarum Domini sunt, & non sunt, quid ni aliorum quoque reddituum? cùm etiam isti propter divinum officium dentur. Dicunt aliqui dominos vocari, quoad fidelem administrationem. Sed hæc glossa peregrina est, ex quâ sequitur, Abbates quoque suorum proventuû dominos esse. Colligitur 2. *ex Conc. Trid. quod Sess. 22. c. 3. & Sess. 23. cap. 1.* privando clericos absentes dominio fructuum, qui tempore absentiae respondent, satis indicat, beneficiarios, qui officio suo satis faciunt, dominos fieri omnium reddituum suorum. Deinde contra iustitiam non peccare, qui malè expendunt bona suorum beneficiorum, sequitur ex dictis. Nam si domini sunt reddituum suorum malè utendo illis nulli iniuriam faciunt, neque ad restituendum obligantur. Vnde *S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 7.* De his, inquit, quæ sunt specialiter suo ului deputata, videtur esse eadem ratio, quæ de proprijs bonis, ut scilicet propter immoderatum affectum, & usum peccat quidem, si immoderata sibi retineat, & alijs non subveniat, sicut requirit debitum charitatis. Hic deesse videtur ista verba. *Non tamen ad restitutionem teneatur: ut oratio compleatur. Dom. Soto l. 10. q. 4. ar. 3. Turrecr. i. si privatum 12. q. 1. Bellamerra. c. cum venerabilis de except. Silv. Restitutio III. q. 5. Covarr. in c. cum in offic. Sarmenus*

par. 4. Binsfeldius. Maldeus. Bonacino Azor. 22. l. 7. c. 8. q. 2. Bānez 2. 2. q. 32. fol. 1165. Layman. l. 4. tit. 2. c. 3. Less. l. 2. c. 4. D. 6. Lugo Disp. 4. Sect. 1. & 2. Busenbau pag. 442. Filliut Trac. 31. c. 4. nu. 101. Hinc sequitur, eos, qui à beneficiatis aliquid acceperunt etiam contra honestatem, & bonos mores, dummodò ipsi ab iniurià aliter sint, ad nullam restitutionem teneri vel ecclesiæ prælatis, vel pauperibus: cum nulla his iniuria fiat per alienationem quæcumquè aut dissipationem reddituum ecclesiasticorum.

VI. Beneficiati ex præcepto Charitatis, & Ecclesiæ tenentur de superfluis fructibus subvenire pauperum inopiæ magis, quàm sæculares, & non beneficiati superflua possidentes. Nam ut ex c. Concesso. c. quatuor. 12. q. 2. constat, ex bonis ecclesiæ quarta pars pauperibus debetur, quam obligationem divisio portionum, quæ nunc obtinet, minimè extinxit. Quocirca Beneficiati omnes, ex iis, quæ commode sustentationi superflua manent, succurrere pauperibus tenentur non tantùm in summâ & gravi, sed etiam communi necessitate. Vnde fieri potest, ut aliquando sæculares vel minùs, vel omnino non peccent, non elargiendo elemosynas, beneficiati verò peccent, ed quòd cum onere subveniendi beneficiorum suorum fructus percipiunt. Navarr. Q. 1. de redd. eccl. à Monito 19. Molina Tr. 2. D. 144. Bānez. 2. 2. Q. 32. art. 6. pag. 1165. Valen. pu. 4. Azor 11. l. 7. c. 8. Reginald. l. 33. Tract. 3. c. 7. n. 79. Soro l. 10. q. 4. 22. 4. Less. l. 1. c. 4. Dub. 6. n. 47. Em. Sa. V. Elemosyna n. 3. Filliuci. Tract. 28. c. 3. n. 64. Sanch l. 2. Consil. c. 2. D. 38. & seqq.

VII. Cùm pauperes desunt, in alia pia opera expendendi sunt superflui redditus, ut ex citatis n. 4. Canonibus colligitur, &

insuper *Ratione*. Imprudenter enim, & minus providè Ecclesiæ faceret, tam amplos redditus concedendo, si pro libitu suo quis, que illos insumere posset. Sic enim superbia luxus & luxuria aleretur, fundatores & benefactores intèrione & exspectatione sua fraudarentur: qui eiusmodi abusum si prævidere potuissent, bonorum suorum alios hæredes nominassent. Adit Domin. Bānez loc. cit. inter Beneficiatos ad exemplum episcoporum (qui nimirum maximè obligantur) magis teneri Sacerdotes Parochiales. Hi namque si pinguiores habent annuos redditus, tenentur ex charitate pauperibus parochiæ suæ specialiores elemosynas distribuere. Quod autè nominatus Auctor de episcopis, mihi de ecclesiasticis curatis & non Curatis multis dici posse videtur, doctrinam hanc de benigna elemosynarum largitione ab eorum oculis absconditam esse. V. Aluar. Pelag. de planctu Eccles. l. 2. Artic. 28.

VIII. Ut autem cognoscatur & definiatur, quænam sit sufficiens & congrua pars sustentationi necessaria, considerandæ quoad fieri potest, omnes circumstantiæ erunt: puta dignitas personæ, conditio loci, consuetudo, labores, industria, & merita. Ubi necessariò reperitur magna diversitas & latitudo inter summos, medios, & infimos. Ad praxin sei vire possunt sequentia.

1. Dignius & pinguius beneficium obtinens maiorem familiam alere potest, ita ut communiter Canonici; quia maiores redditus habent, quam Vicarij nihil peccent, si lautiorè mensam instruant.

2. Ad congruam & decentem sustentationem pertinent etiam convivia moderata, vel amicis vel hospitiis exhibenda,

prout ratio, benevolentia, & charitas postulat. Neque solius hic necessitatis, sed urbanitatis quoque ratio habenda erit secundum loci probatam consuetudinem.

3. Permittuntur etiam munera & donationes, non solum remuneratoriae, sed merè gratuita, & liberales. Hoc enim exigere videtur conditio & status. Qui contrarium sentiunt, ut Navarrus, de immodicis loquuntur.

4. In his omnibus attendenda est doctrina *Conc. Tr. Sess. 25. c. 8.* ubi commendatur hospitalitas. *Et Sess. 22. c. 1. Item sess. 25. c. 1.* ubi modestia praescribitur, luxus & ostentatio vituperatur *V. Remiss. ibid.*

Denique si magnus sit pauperum numerus, qui praeter solitum egeant, vel Ecclesiae fabrica subsidium postulet, de his omnium primò cogitandum erit. *Zerola V. Fabrica Bonac. to. 1. pag. 351. & seq. Torres Instit. Sacerdot. Par. 2. §. 11. Reginald. l. 20. nu. 69. Tymp. in speculo clericor. signo 71. & 96.* Quod Parochos attinet, in congruam illorum sustentationem *Piescius par. 2. n. 22.* centum ducatos assignat, ita ut neque pensio imponi possit, super Parochiali, nisi remaneant centum pro rectore. Pro Vicarijs perpetuis non minorem 50. scutis, nec majorem 100. exigit. *Franc. Leo in Thes. eccl. Melius fortè sit totum hoc arbitrio virorù prudentium relinquere. V. Cardin. Lugo. de iustit. Disp. IV. Sect. 4. Az. II. l. 6. cap. 10. tt. 8. Zypaeum in Enarr. analyt. l. 3. q. De praebend. n. 3.*

IX. Si Beneficiarius ex necessariâ sibi alimonâ, & sustentatione parciùs vivendo aliquid seposuerit, de illo ad libitum, modo excipias illicita, disponere potest, in va-
re, & augere consanguineos suos. Nam *Conc. Frid.* quod obstare aliqui putant, nõ

prohibet aliud, quàm studium augendi, & locupletandi consanguineos, ac familiares suos de redditibus ecclesiasticis. *Studium* verò significat cupiditatem iusto maiorem. Adde quòd, quæ per parsimoniam servantur, desinunt habere rationem fructuum, & bonorum ecclesiasticorum, quia per industria appropriantur. *Sanch. l. 2. Consil. cap. 2. D. 43 Navar. de re dit. eccl. Monico 26. & 43. Zerola Par. 1. V. Distributiones. §. ad quintum. Item Par. II. V. spolium. §. secundò.*

X. Qui beneficiatus filios habet legitimos vel illegitimos, indigentibus illis potest alimenta tribuere ex redditibus beneficij sui non minùs, quàm alijs pauperibus, vel etiam consanguineis. Ita ex iure communi DD. omnes tradere videntur, nominatim *Abb. in c. Pervenit. de arb. Barb. in c. Per tuas Qui filij sint legit.* Alij colligunt ex *c. Cum haberes. de eo. qui duxit. in ux. quã polluit.* Ius Civile quidem in detestationem criminis alimenta spurijis non concedit. *Tholos. l. 41. c. xi. nu. 7. Andr. Gaill. l. 2. Observat. 88. n. 6. & sequ.* Canonicum verò, quod juri naturali conformius est, ne graviora mala sequantur, permittit. Vnde sequitur, dotem quoque sorori, & filiae spuriae dari posse, si aliunde obtineri nequeat. *Lud. Lopez Par. 2. Instructorii c. 12. Nec obstat Pii V. Extra. Quæ ordini ecclesiastico &c.* ubi videntur irritari omnis licentiae privilegia, & indulta condendi testamenta, & donationes illegitimis factæ: quia non censetur tollere ea, quæ iuris communis sunt, sed facultates, & privilegia specialiter concessa ut contextus indicat, & fusiùs explicat. *Azorius II. l. 2. c. 4. Reginald. l. 33. Tract. 3. nu. 102. Bonac. To. 1. pag. 725. quib. favet. & Decisio Rota 505. Par. I.*

XI. Beneficiarius non licet testari de iis, quæ ex fructibus beneficiorum suorum congruæ sustentationi supersunt ne quidem ad pias causas. Patet ex c. *Quia nos. c. Relatum 2. & c. cum in officiis de testam.* ubi ex *Con. Later.* dicitur, antiquis Canonibus inhiberetur esse, ne de bonis per ecclesiam acquisitis clerici testentur *Tholos. l. 42. c. 7.* At *Covarr.* in expositione dictorum capitum *n. 23.* moribus receptum esse dicit, ut solis episcopis testandi licentia sit necessaria: & omnes alios clericos liberè testari de iis, quæ ex redditibus ecclesiasticis adepti sunt, & in iisdem parentes, fratres, cognatos succedere intestatis. Vnde colligitur antiquo iuri derogatum esse per legitimam consuetudinem, quæ tamen non ubique eadem, sed alibi alia, & certis limitibus definita. *Nau. de re dit. eccles. Q. 1. Monito 53. Em. 54. V. clericus num. 25.* Monendi autem sunt Beneficiati omnes, non licere cuiquam in causas profanas relinquere fructus beneficiorum suorum, & secus agentes mortaliter delinquere, nisi fortè materiæ parvitas excuset. An verò dispositio in profanas causas nihilominus valida sit, quæri potest? Vt validam admittunt *Covar. Valentia, Fachinam Azor. Tom. II. l. 7. c. 9. Less. c. 19. Dub. 4. Regin. l. 33. tr. 3. m. 112.* quia reddituum suorum dominus est Beneficiatus ut *n. 5.* probavimus. Mirum sanè est consuetudinem illam liberè testandi de bonis ecclesiasticis tamdiu assidue & impune exerceri, si iniqua est, cum ex multâ delinquentium Fiscus non modicè auferri & locupletari posset. *V. Par. II. tit. 4. §. 2. nu. 2. Sanchez l. 2. Consil. c. 12. Dub. 50. & sequentib. Tolet l. 4. c. 5.*

XII. De fructibus, qui pendent tempore mortis controversa est, num ad hære-

des, vel successorem aut creditores spectent? Dividendos cenfeo inter hæredes & successorem defuncti pro ratâ anni parte, ita ut si Beneficiarius initio anni mortuus est, parum hæredes, aut Creditores accipiant, multum verò successor. E converso si circa finem anni expirarit, successor minus accipiat, reliqui plus. Ita colligitur ex *l. Divortio ff. soluto matrimo.* Sunt autem ante omnia expensæ deducendæ & attendenda particularium locorum consuetudo. Nam ubi annum gratiæ habent defuncti, ex integro pertinent ad hæredes: ubi verò non habent, & statuta volunt, ad ecclesiam omnia pertinebunt. Denique in his & similibus ambiguis controversiis si suam quisque consulere conscientiam sincerè voluerit, absque Doctoribus extraneis inveniet resolutionem.

XIII. Spolia Clericorum vocantur bona ab intestatis Clericis relicta, sive licite, sive illicite acquisita fuerint. Hæc ad Cameram Apostolicam devoluuntur, in Italiâ potissimum, ubi non permittuntur testari. Alias iure antiquo penes ecclesiam propriam manere debent. *c. Cum in officiis de testam. & c. Quicumque 12. q. 5. Auth. de ecclesiis §. Interdiximus c. 1. de successor. ab intestato Innoc. in c. cit. cum in off. Az. II. l. 7. c. 9.* De his, quia nos parum contingunt, consule. *Fræc. Leonem in Thes. eccles. Parte 2. c. 34. Zerolam Par. 2. V. spoliium. & Azor Tom. II. l. 8. c. 1. & sequentib.*

XIV. De præsentis & Distributionibus quotidianis libera potestas est disponendi in Vtus aliâ non prohibitos. Dantur enim, & percipiuntur propter servitia personalia, nec facile excedunt proportionem debitæ mercedis, nec in valore beneficii computantur. Vnde *Cardin. Bellarm.*

Vi 14.

(*Vi. l. 4. c. 1. 3^a* aureorum pecuniâ, quam singulis mensibus in choro lucrabatur, suam esse dicebat, & ab aliis separatam pauperibus elargiebatur; alios redditus non tam sponte, quam ex obligatione dari in eleemosynam existimans. *Covarr. l. 3. Par. c. 13. Em. Rod. III. Q. 74. ar. 4. Barb. inc. Licet. De præb. Idem juris est de iis quæ Beneficiari acquirunt ex Capellaniis, quæ sunt ad nutum revocabiles. Idem de distributionibus, quæ ex anniversariis exequiis defunctorum acquiruntur. Zerola Par. 1. V. Distributiones. Azor. To. II. l. 7. c. 7. & c. 9. p. 10. Gutier. Consil. 2. n. 2. Nec obstat, quòd Distributiones quædam sumuntur ex decimis aut primitiis frugum, quia non dantur ut fructus, sed ut stipendium pro labore vel ministerio ecclesiastico, adeoque mercede Operarij debitæ comparantur.*

Nota. Quamvis Distributiones propriè debeantur iis, qui corporaliter in ecclesiâ præsentibus sunt dantur nihilominus aliis quibusdam, quos excusat vel infirmitas etiam per propriam culpam contracta, vel absentia propter evidentem ecclesiæ utilitatem. *Piasac. Par. 2. cap. 3. pag. 135. Navar. Consil. 10. de Resid. Barb. inc. Ex parte. de cler. non resid.*

XV. De pensionibus, quæ ex alterius beneficio quotannis proveniunt, *Navar. de redd. eccl. Monito 32.* existimat iudicandum, ut de fructibus beneficiorum, quia loco beneficii tribuuntur. Alii melius censent, eiusdem generis esse cum Distributionibus, ac proinde in arbitrio positorum, quomodo eas impendere velit Pensionarius, modo in usus licitos, ita ut non teneatur restituere, si malè impèderit, nec inter spolia computentur, quando superfuerint. *Covarr. de testam. c. cum in officiis.*

Quæ opinio huius ævi moribus, si non legibus, magis accommodata videtur, cum aliter neminem sentire, aut loqui videamus.

XVI. Si Regularium quisquam sæculare beneficium habeat, puta Parochi, vel Episcopi, non fiet quidem dominus reddituum. ut nec alij regulares, sed eorum plenam administrationem sibi vindicat, adeoque ad libitum in usus permissos disponere potest. Quod si parcius vivendo seposuerit aliquid, in quascunque causas donare & absumere licebit: *testari* autem non poterit, nisi Pontifex indulerit. *Barb. inc. Quorundam. de testam. nu. 7. Addit Navar. Tract. de relict. eccles. Monito 8. & 33.* Regularem beneficiatum omnium quoque aliorum ex quibuscunque causis acquiritorum liberam, quamdiu vivit, administrationem habere & absque licentiâ Prælati de illis liberè disponere posse. Verùm hinc attendenda consuetudo est, & pacta specialia inter Prælatos, & subditos inita de modo vivendi & fruendi redditibus beneficiorum alii enim, ut animadverti, nullam fructuum administrationem & usum permittunt, sed ex aratio monasterij victum, & amictum præbent, alij eam partem relinquunt, quæ necessaria videtur: alii denique contenti sunt, si quotannis Ecclesiæ, vel monasterio alicuius momenti ac pretii monumentum attribuant, puta vestitum sacerdotalem, imaginem, vel statuam. *V. Less.*

c. 41. dub. XI. Suar. IV. de Re- lig. l. 3. c. 19. n. 12. & ult.

§. 3.

De unione & pluralitate beneficiorum.

I. Unio beneficiorum vel ecclesiarum fieri dicitur, cum duo beneficia vel ecclesie uniuntur in perpetuum, vel ad tempus exigente aliqua necessitate, vel manifesta utilitate. Fit autem tribus potissimum modis. 1. ut non coalescant, sed una maneat superior, alia inferior & subiecta. Et tunc in inferiore constitui potest Vicarius, qui munus consuetum obeat. c. *Extirpanda* §. *Qui verò De prebend.* 2. Cum duæ ecclesie quasi in unam coalescunt, ita ut una potius, quam duæ vocari queant *Gloss. in c. Decimas* 16. q. 1. 3. Cum ita conjunguntur, ut neutra alteri subijciatur nec ambæ in unum quasi corpus coeant, sed titulum proprium & gradum retinent & propterea idem utrique minister præficitur. c. 1. *Ne sede vacante &c. Et temporis* 16. q. 1. Unde efficitur, ut singulis sua iura & consuetudines separatæ maneant: quod etiam in Episcopatibus, quando uni plures committuntur, fieri solet. *Rebuff. in praxi de union. Laym. l. 4. tract. 2. c. 9.*

II. Potestas uniendo beneficia & ecclesias primario est in summo Pontifice, cui in omnia beneficia plena ex munere administratio competit c. 2. *de prebendis in 6. & Clem. 1. Lite pendente.* Deinde Episcopi ecclesias, & beneficia suæ diocesis ex jure communi unire possunt c. *sicut unire de excess. Pralari.* ubi simul indicatur, non licere Metropoli tan & Archiepiscopo coniungere beneficia Suffraganeis Episcopis subiecta. An verò Legatus à latere eam potestatem habeat intra provinciam sibi commissam, in dubio est: crediderim posse ne minorem episcopis auctoritatem habere videatur. Vicario Ge-

nerali omnino negatur: Collegio Canonicorum sede vacante permittitur. Neque obstat, quod beneficia conferre nequeat quia conferre beneficia ad liberalitatem pertinet, unire verò ad necessitatem. *Az. 2. l. 6. c. 28. q. 7. & seq. Tamb. De off. legati. l. 5. Barb. inc. sicut unire De excess. Pralat. Xypaus in Enar. anal. 3. tt. De preb.*

III. Ut duo beneficia, vel ecclesias uniat episcopus, Collegij Canonicorum Cathedralium consensus requiritur. *Clement. si una ecclesia de reb. eccl. non al.* Censetur autem adesse consensus, quando non apparet contrarium. Quod si causa justa fuerit & Canonici nolint consentire, ad id compelli possunt, & ipsis iuris unio perfici. Quin etiam sufficit consensus, qui unione iam factâ impetratur. *Reginald. l. 30. Tract. 3. n. 299.*

IV. Irrita est beneficiorum & ecclesiarum unio Primo, si fiat non vocatis illis quorum interest, & qui jure vocari debent, ut colligitur ex *Reg. Cancell. Rom. 21. Secundo, Cum* inferiores papæ uniant Beneficia vel Ecclesias causis non expressis, quemadmodum in citata Regula præscribitur. *Rebuff. in praxi Benefic. par. 1. n. 43. Clem. si una. De reb. eccl. n. 43. al. Clem. ne in agro §. ad hoc de statu Monach. Laym. l. 4. tract. 3. c. 9. n. 9. Azor. II l. 6. c. 28 q. 13. & 14.*

V. non licet Episcopis beneficia ecclesiastica unire mensæ suæ, hoc est, adiungere illis unde sustentatur familia sine expressâ summi Pontificis licentia *Clem. si una, de reb. eccl. non alien.* Quod si Episcopus sui etiam Capituli accedente consensu, mensæ suæ, vel ipsi Capitulo aliquam duxerit ecclesiam unendam, hoc irritum esse decernimus & inane.

F

con.

contraria quavis consuetudine non obstante. *Reginald. lib. cit. Laym. l. 4. tr. 2. c. 9. n. 6, Garz. part. 2. c. 12. n. 68. & 169.*

VI. Iure novo *Concilii Trid. sess. 7. c. 6.* Vniones perpetuæ ab annis quadraginta citra factæ examinari ab Ordinariis tanquam sedis Apost. Legatis possunt, & quæ per surreptionem vel obreptionem obtentæ fuerint, irritæ declarantur. Illæ verò quæ à dicto tempore citra concessæ nondum in toto vel in parte sortitæ sunt (scilicet), & quæ deinceps ad cuiusvis instantiam fient, nisi eas ex legitimis aut alias rationabilibus causis coram loci Ordinario vocatis, quorum interest, verificandis factis fuisse constiterit, per surreptionem obtentæ præsumantur: ac proinde nisi aliter à Sede Apostolica declaratum fuerit, viribus omninò careant. *Sanch. l. 7. Mor. c. 29. n. 178. V. Barb. in Clem. 2. de reb. eccl. non alien. Laym. lo. cit.*

VII. Quod attinet pluralitatem beneficiorum nullo iure licet duo simul possidere, si utrumque continuam residentiam exigat, uti sunt Parochiæ, Abbatia, & Episcopatus: Dignitates quoque & Canonicatus: quæ beneficia ob eam causam vocantur *Incompatibilia*. Idem dico de beneficiis quibuscunque si unus reditus ad sustentationem vitæ sufficiant. Est doctrina hæc per se nota. Quis enim non videat & agnoscat tum pietæ voluntati benefactorum, tum naturali æquitati repugnare, ut sine causa & emolumento bona Deo & Ecclesiæ consecrata superflue & improvidè distribuantur, & dissipentur? Quamobrem ne summus quidem Pontifex dispensare, nisi in gravi necessitate potest, ut mox dicemus. Nec immeritò beneficiorum pluralitas omnì tempore, & bonis om-

nibus odiosa fuit c. *Sanctorum D. 70.* ubi hæc multis ignota, & invisâ legimus. Omnino in duabus ecclesiis aliquem titulari non liceat, sed unusquisque in qua titulus est, in eâ tantum Canonicus habeatur. Licet enim Episcopi dispositione unus diversis præesse possit ecclesiis, canonicus tamen præbendarius, nisi unius ecclesiæ, in qua conscriptus est, esse non debet. *Idem statuit Conc. Lateran. sub Alex. III. c. 13. Greg. IX. in c. Dudum de elect. Innoc. III. c. De multa. de præben. 101. an. XXII. in. Extract. Execrabilis X. de præben. Con. Tr. sess. 7. c. 4. Abb. in cap. ad hæc. de præben. Silv. IV. Benefic. q. 1. c. al.*

VIII. Tribus ex causis aliquando dispensari & permitti potest, ut uni plura beneficia dignitates, vel episcopatus conferantur. Prima est Ecclesiarum necessitas, si desint idonei, si periculum sit, ne Hæretici manus injiciant: quod nimium quantum experta Germania, & vicinæ provinciæ suat. Cuius rei causa hodie plures episcopatus uni alicui Principi etiam nullis sacris initiato in manus dantur, non tam regendi, quam protegendi. *Secunda causa* est utilitas Ecclesiæ; ut si unus aliquis, (quod rarum) doctrinâ & prudentiâ alios omnes longo intervallo superet. Quis autem hic, & laudabimus eum? *Ravinantes in gurgite vasto.*

Tertia causa insignis meritorii prærogativa: quod in Archiepiscopatu Coloniensi accidisse cernimus. Cum enim in manifesto periculo esset, ne capite iam infecto in hæreticorû potestatem totus redigeretur à Baviaræ Ducibus strenuè & feliciter conservatus est circa *Annus sal. 1583.* à quo tempore ex solâ illâ familiâ Electores & Archiepiscopi præfuerunt.

runt. *Abb. in c. cit. Multa. Lal. Zecchus de rep. eccl. c. de benef. n. 4. Garcia p. 11. c. 5. Manrique pa. 2. q. 4. n. 3. Less. c. 34. dub. 28. A. 20r. 11. l. 6. c. 10. q. 10. Tol. l. 5. c. 81. Armilla n. 46. Zypus in Enar. analyt. l. 3. st. de cler. non residentibus.*

IX. Qui beneficium curatum, dignitatem, vel personatum habet quamvis sine animarum cura, si alterum simile recipiat, primum ipso jure amittit: quod si retinere contendit privandus est etiam posteriori *c. Cum singula de prabendis in 6. & Extrau. Execrabilis.* Quæ omnia confirmat *Cont. Trident. sess. 7. c. 4.* Felix enim censendus ille est cui unam ecclesiam bene ac fructuose & cum animarum sibi commissarum salute regere contigerit. *V. Ferdin. ab Ifferen in Manuali polit. l. 4. pun. 8. No. Cum in citatis juribus mentio tantum fiat beneficiorum curatorum, Dignitatum, & Personatum, non extenduntur ad alia beneficia V. G. ad Curatum cum Canonicatu simplicis, vel duo simplicia, quorum utrumque residentiam exigit. Hæc enim quamvis simul obtineri absque dispensatione nequeant, non tamen ipso jure vacat primum quando secundum additur. Satis est dimittere ex duobus, quod volueris. Zerola par. 1. V. Benef. Conc. 8. Armilla n. 44. Tuschus Concl. 69. Ancharan. Consil. 59. Oldrad. Consil. 155.*

X. Non licet Episcopo ullum beneficium suscipere quamvis omnino simplex irritaque erit collatio *c. Cum nostris de concess. prab. & c. Cum in cunctis. de elect.* ubi dicitur vacare omnia beneficia electi in episcopum post illius confirmationem, & pacificam possessionem. *c. Cum nostris de concess. prab. & c. Cum in cunctis. De elect.* ubi dicitur vacare omnia beneficia electi

in episcopum post illius confirmationem, & pacificam possessionem. *c. Cum nostris. de concess. prab.* Excipe 1. nisi episcopus pauper, & ære alieno gravatus sit: Tunc enim obtinere poterit ex compatilibus unum vel alterum. Excipe 2. Episcopos titulares, qui non amittunt priora beneficia sua, nec prohibentur alia suscipere, ut quotidiana experientia docet & notatur *Navarro l. 1. Consil. 14. A. 11. l. 6. c. 16. Garcia par. 11. n. 24. Abb. in c. c. n. 15. Layman. l. 4. Tr. 2. c. 8. n. 4.* Non enim per illos stat, quo minus possessionem adeant dignitatum, ad quas electi sunt. *Barb. in Præterm. c. Cum in cunctis de elect.*

XI. Nemini licet sub eodem tecto, i. e. eadem ecclesia duo beneficia uniformia V. G. duos Canonicatus possidere: & adeptione secum si statim vacat primum. *c. literas de concess. prab. & Clément. ult. de. prab.* ubi dicitur, quod adeptus pacificè dignitatem v. g. Archidiaconatum, cui præbenda annexa est, eam amittat ipso facto: at vero qui beneficium curatum, puta, personatum cum cura habeat, non prohibetur simplex beneficium v. g. Canonicatum accipere, cui conjuncta est ecclesia parochialis, quam deinde per Vicarium administrat *c. super eo de prab. in 6. No. Uniformia beneficia dicuntur, quæ sunt instituta ad unum eundemque finem, ad eadem munera, & ad faciendum unam congregationem, puta duo Canonicatus simplices in eadem ecclesia. Navar. Consil. 16 de prab. Zerola pa. 2. pag. 48.*

XII. Nec duo beneficia regularia eiusdem ordinis aut Monasterii idem obtinere aut possidere potest. *c. Cum singula 32. de prab. in 6.* Addunt Interpretes, nec Capellam pensionem aut portionem mo-

nachalem una cum beneficio eidem tribui posse, quia in regulari incompatibilia censentur. Nec summus Pontifex dispensare solet, ut habeat duo in titulum, sed unum in titulum, alterum vero in commendam: nisi unum beneficium alteri unitum sit, ita ut pro uno reputetur. Si autem beneficia compatibilia sint, & unius redditus non sufficiant ad sustentationem, duo vel plura eidem conferri poterunt. *Roderic. com. 1. q. 34. art. 8. Vivianus in Ration. l. 3. pag. 91. Alagon. Compend. pag. 394. Barb. in c. cit. Cum singula. de praeb. in 6. Tuschus conclus. conc. 66.*

XIII. Dubium est, an consuetudine obtineri queat, ut plura beneficia iure communi incompatibilia, fiant compatiblea, & eidem homini conferantur. pro negativâ parte facit *c. 1. de consuet. in 6.* ubi talis consuetudo reprobatur etiam immemorialis, eò quod minuat cultum divinum, & numerum clericorum ecclesie servientium, quod in eadem ecclesia haud dubie magnum incommodum est. Nihilominus affirmant aliqui cum *Navar in Man. c. 25. n. 25 glo. in 6. dudu. de cle.* per consuetudinem immemorialem obtineri posse, ut obligatio residendi tollatur aut minuatur, substituto Vicario, & sic absque dispensatione plura beneficia per se incompatibilia, nisi jus naturale resistat, possideri posse, Certè in Germania nostra id passim videmus, & nullo scrupulo praticari: imo vidisse memini, qui tredecim simul possidere dicebatur. Excessum hic nemo non agnoscat. *Azor. II. l. 6. c. 12. q. 8. Regin. l. 30. c. 19. n. 237. Card. Tuschus concl. 574.*

XIV. Alias iure communi solus pontifex dispensat in pluralitate beneficiorum, quæ per se incompatibilia sunt, ut colli-

gitur ex *Clem. I. ut lice pendente*, quæ affirmat, summum Pontificem omnium beneficiorum plenam ac liberam potestatem habere. Item *c. de multa extra de praebend.* ubi post explicatam prohibitionem plurium beneficiorum circa finem additur. Circa sublimes tamen, & literatas personas, quæ maioribus beneficiis honorandæ sunt, cum ratio postulaverit, per sedem Apost. dispensari poterit. *V. Fræ Leon. p. 1. c. 12. n. 26.* ubi Papam vocat omnium beneficiorum dominum, deque illis arbitrio suo disponere. *Nota.* Quamvis ad dispensationem etiam à summo Pontifice impetrandam legitima causa requiratur. si tamen eà posthabita dispensaverit, validam dispensationem fore provisos tamen in conscientia obligatus est, ea quæ statui suo necessaria non sunt, vel in quibus iusta dispensationis causa defuit, resignare. Quod si interea temporis officio suo satisfecit per se, vel per alium, perceptos fructus retinebit. *Innoc. in c. Cum ad monast. de statu. Monach. Silu. IV. n. 5. Bonac. ro. 2. pag. 58. Regin. l. 3. n. 289.*

XV. Habens beneficium sufficiens ad vitæ sustentationem, si impetravit aliud per dispensationem Papæ, non est in conscientia tutus, sed graviter peccat, nisi forte non suam, sed ecclesie utilitatem intendat. *Panorm. in c. dudum 54. de electione. Vallès de ben. l. 3. c. 1.* Est enim contra jus naturale in quo Papa non dispensat: neque patrimonium Christi ita dissipandum est: nulla quoque consuetudo in contrarium valet, quia à jure naturali & divino reprobatur. *Barb. in c. cit. cum aliis multis.*

XVI. In quinque casibus plura beneficia, vel ecclesias etiam absque dispensatione

satione per concessionem scilicet juris naturalis & positivi habere licet, quemadmodum ex *summa Pisana Sylv. colligit. V. Beneficium. §. 4. n. 3. 1.* est cū ecclesiā, vel beneficiat tam macilēra sūt, ut neutrū per se sufficiat ad sustentationem, intellige si utrumque simplex est, nec exigit residentiam. *Co. Tr. 5. 24. c. 17. 2.* Si una ecclesia ab alia pendeat. 3. propter raritatem & defectum clericorum. 4. si ecclesia est annexa præbendæ vel dignitati, quo in casu provilus tenetur maiori ecclesiæ personaliter inservire, & in ecclesia parochiali constituere Vicarium cum congruâ portione. 5. Si una intitulata, alia commendata sit, quanquam Archid. intelligi velit de ecclesiis non habentibus curam animarum, & de præbendis in ecclesiis diversis. *V. Regim. l. 30. c. 19. n. 275. Valens. de benef. l. 3. tt. 8. Zyppaum. in enarr. analyt. tt. de Clericis non residentibus Escobar. Tr. 6. exam. l. c. §. 8. Less. c. 34. du. 27. n. 147.*

XVII. In quæstionem trahunt aliqui, an tutus in conscientia sit, cui iam habenti beneficium sufficiens Pontifex aliud proprio motu concedit. *Glo. affirmativè respondet ex Clem. si Romanus de præb. ubi legimus. Si Romanus Pontifex de beneficio alicui motu proprio provideat, de beneficiis, quæ obtinet, non habet mentionem, provisionem seu gratiam huiusmodi fore validam declaramus, qualiacunque fuerint beneficia dignitates aut personatus cū curâ vel sine cura & in numero, quantumcunque habebat, cū sibi provisio facta fuit. Hæc tam larga declaratio non habet locū in ijs, qui priorum beneficiorum incapaces sunt, aut propter quemcunque defectum illa*

malè possident, quia eiusmodi defectus præcedens per gratiam subsequenter nō corrigitur. *c. si motu de præb. in. 6. Azor. 11. l. 6. c. 10. Quares. 5. Tabien. V. Beneficium. n. 28. Armilla n. 50. Less. lo. cit. dab. 28. n. 151.*

XVIII. Non est valida collatio secundi beneficii, quod Titius dolo malo impetrat, tacendo videlicet prius, quod actū habet. *c. Proponente c. si motu proprio de præb. in 6. ubi Bonif. VIII. Si motu proprio alicui obtinenti aliquod beneficium conferamus aliud, de illo nō habita mentione, nō ob hoc gratia huiusmodi, quæ de nostra meraliberalitate processit, invalida volumus reputari; secus, si ad petitionē illius vel alterius pro eodē oblatâ gratiam huiusmodi facimus, Tunc enim quantumcunque modicum beneficium taceatur in ea, ipsam velut surrepticiam vires nolumus obtinere. Motu quoque proprio tunc solū gratia fieri censeatur cū hoc expresse cautū fuerit in eadē. *Barb. in c. Cū de rescript. & Beneficia de præb. Canonis l. 2. tt. 28. Tabien. V. Beneficium. n. 28.**

XIX. De commendis speciale dubium est, an quemadmodum alia beneficia simul cum titularibus obtineri nequeant pro cuius rei intelligentia sciendum est, olim moris fuisse, ut quando ecclesiæ vel monasteria suo capite viduata essent, & differretur electio, alicui gubernanda ad sex menses commendarentur. Inde neque illi jus tribuebatur quasi proprio prælato, neque sibi fructus acquirebat ultra necessariam alimoniam pro cura, & labore suo. *c. Nemo deinceps de el. in. 6. successu temporis autem invaluit consuetudo, quam hodieque multum censant, ut episcopatum, vel monasterium, cum aliis simul prælaturis in commendam habe-*

ant, fructus inde amplissimos percipiant, adeoque monasteria capite suo, & bonâ gubernatione perpetuò careant. Quæritur itaque, an modus iste Sacris canonibus conformis sit? R. non esse quod in *c. Nemo deinceps de el. in 6.* prohibetur, ne quis commendam quamvis ritè factam ultra Semestris temporis spatium obtineat, idque evidenti necessitate, vel utilitate ipsius ecclesiæ tuadente. Quod saluberrimum decretum renovans, & confirmans *Conc. Trid. sess. 7. c. 4.* ita loquitur quicumque de cætero plura curata, aut aliàs incompatibilia beneficia ecclesiastica sive per viam unionis ad vitam, seu commendæ perpetuæ, aut alio quocunque nomine & titulo contra formam sacrorum Canonum, & præsertim Constitutionis *Innocentii III.* recipere, ac simul tenere præsumplerit, beneficijs ipsis ipso jure, etiam præsentis Canonis vigore privatus existat. *Item Sess. 24. c. 17.* statuit, ut qui plures Parochiales ecclesias, vel unam Cathedralè, & Parochialem obtinent, cogantur omnino quibuscunque dispensationibus, ac unionibus ad vitam non obstantibus unâ tantum parochiali, vel solâ parochiali retentâ alias parochiales intra spatium sex mensium dimittere. Hæc aliqui ita interpretantur, ut liceat nihilominus duo simul beneficia obtinere, quamvis incompatibilia, titolare unum, & commendatum alterum: quos redarguit manifesta ratio, quodæ tituli & commendæ nomen naturam beneficij non mutant, ita ut cum omni obligatione suâ veniant in manus beneficiati. Vnde manifestè sequitur, contra jus naturale ac divinû facere, qui duo beneficia simul obtinet, quorû utrumque personalem residentiam exigit. Rectè igitur

tur *Mandofius in Reg. 32. Cancell. Apost. q. 7.* Commendæ perpetuæ inducunt incompatibilitatem, vel inter se, vel quoad alia beneficia in titulum.

Hilce contrarium qui faciunt, ut non sine piorum admiratione multi faciunt, vel aliâ sententiâ, quam sibi probabilem imaginantur, vel dispensatione, aut juris divini interpretatione se tuentur. *Card. Tuschus Concl. 475. Zerola P. 1. V. Beneficium n. 21. Azor. II. l. 6. cap. 10 Q. 11. Sylv. V. Commenda. n. 7.* ubi multis modis in hac materiâ peccari demonstrat.

§. VI.

De Vacatione Beneficiorum.

I. **B**eneficium vacare dicitur, quando nullum possessorem habet, quemadmodum Vacans locus dicitur, qui caret corpore, quo repleti potest, & viduam vocavit *Martianus* vacantem in *l. qui catu §. ult. ff. ad leg. Juliam de vi publ.* Igitur mortuo beneficiario non perit beneficium aut extinguitur, sed vacat. Econtra Pensio post mortem pensionarij non vacat, sed finitur, ac desinit, quemadmodum usufructus. *Glo. in Extrau. Ne sede vacante V. Vacantium. Vallensis l. 12 tt. 23. Reginald. l. 30. Tr. 3. c. 22. n. 30. 4. Laym. in Defensione iusta. & 4. pag. 248.*

II. Beneficium in jure dicitur vacare aut factò tantum, aut iure tantum, aut utroque modo. Factò solum, cum quis amittit possessionem non verò titulum: jure tantum quando auctoritate Canonis privatur quis beneficio, ita ut Ordinarius alteri illud conferre queat, quamvis adhuc de factò possideat, qui privandus est. Factò & jure

& jure simul, cum beneficiatus moritur vel sponte deponit, & nondum alteri collatum est. *Escobar Tract. 6. Exam. 1. c. 1. §. 9. Az. 11. l. 7. c. 16. Regin. l. cit. Sect. 2. n. 308. Tuschus concl. 69 & conclus. 71. Laym. l. cit.*

III. Tres modi sunt, quibus Beneficium ipso jure vacat. Velenim vacat ex delicto, vel ex quasi delicto, vel sine delicto. *Glo. in c. si propter tua de rescr. in 6. octo.* modos numerat, quibus Beneficium ipso jure vacat puta 1. per mortem naturalem 2. per mortem moralem, seu ingressum religionis 3. per promotionem ad aliud beneficium incompatible. 4. Cum quis intra annum non est promotus ad Sacerdotium, quod requiritur. 5. per translationem ad aliam ecclesiam. 6. per resignationem. 7. per depositionem. 8. denique per Matrimonium. Brevius dici potest amitti. 1. propter crimen, cui pena amissionis ipso facto annexa est auctoritate juris. 2. propter alterius beneficii incompatibilis adeptionem. 3. per professionem in Religione approbatam. *Az. loc. cit. Mosconius l. 1. De benef. c. 2. Escobar. lo. cit.*

IV. Crimina sunt ipso jure privantia beneficiatum quatuordecim. 1. haeresis. *c. ad abolendam. 9. de haereticis.* 2. Schisma. *c. Nos consuetudinem c. Quia diligentia 5. De electione.* 3. Sodomia frequentata ex *Bulla Pii V. apud Navarr. c. 27. num. 249.* 4. Perensio Cardinalis vel Episcopi. *c. Felicis de penis in 6.* 5. Homicidium qualificatum, puta, per licarium precio conductum. *c. 1. de homic. in 6. iuxta Alex. Consil. 166.* 6. falsificatio literarum Apostolicarum. *c. ad falsarios 7. de crim. falsi.* 7. si quis per se vel alium occidat rectorem, vel alium clericum ecclesiae suae, in qua beneficium habet. *c. In quibusd. 12. de penis.* 8. si exami-

natores pro beneficio Parochiali aliquid pro examine acceperint. 9. Ob Simoniam confidentiae ex *bullâ Pii IV. & Pii V. apud Navar. c. 23. n. 100.* 10. si obtinens episcopatum non acceperit consecrationem intra 6. menses à pacifica possessione. 11. si obtinens parochiale beneficium non fuerit promotus ad Sacerdotium infra spacium unius anni. 12. si quis duo incompatible simul retinere velit. 13. si Prælatus vel administrator alienet bona monasterij vel ecclesiae absque forma in jure praescripta, vel inconsulto Pontifice. *Extrav. Ambitiosa. de reb. eccl. non al. 14.* Si quis possessionem vi ingressus fuerit. *c. Eum qui 18. de praeb. in 6.* ubi dicitur. Qui beneficium, cui animarum cura imminet, vi occupat, seu se scienter iniuste intrudit in eo, sit ipso jure privatus beneficio, quod cum cura simili primitus obtinebat. Item, ut qui vi beneficium aliquod occupat, eo ipso amittat ius, si quod ante in illo vel ad illud habebat, puta, per electionem, praesentationem, aut collationem. Illud verò advertendum, ut quis privetur beneficio suo propter crimen, probationem eius necessariam esse, nec ante sententiam dimittere quisquam cogitur. Haec de criminibus quae ipso jure privant beneficiis. *Ignat. Lopez in Practicâ c. 134. Rebuf. de benef. Par. 3.*

V. Crimina quae merentur privationem beneficii sententia judicis faciendam, octo numerantur. 1. Si beneficiatus qui tenetur ad continuam residentiam absque iusta causa absit. *c. Conquerente. & c. Ex parte de Cler. n. resid.* 2. Si homicidium commiserit. *c. Clericis. ne Clerici vel Monachus Abb. in c. ult. De excess. Pralat.* 3. Clericus concubinam publicè alens, si non deserat, Episcopo monente, vel una deserta aliam accipiat,

accipiat, olim beneficijs suis jure communi privabatur: nunc verò à *Conc. Tr.* alter constitutum est ut videre licet *Sess. 25 cap. 24. 4.* si fuerit perjurus puta in contractibus, pactis & negotiis aut judiciis. 5. Qui Deum, aut Sanctissimam illius matrem publicè blasphemarit, si illius sceleris tertio arguatur. *Con. Later. ult.*

V. Qui habent beneficium quod continuam residentiam exigit, aliud simile obtinet, alterum illorum cogitur relinquere *Con. Tr. Sess. 7. c. 4.* 6. Si ultra annum in excommunicatione persistat. *Glo. in c. 1. de iudic. c. Rursus & c. Quicumque 11. q. 3. 8.* De Sodomitico dubitari potest, an ipso iure privatus sit. Affirmant aliqui ut supra diximus. Alii negant. *Bulla Pii V. pro affirmantibus facit, at receptam non esse ubique Azor putat l. 7. c. 18. cir. si. Reginald. l. 30. Tr. 3. nu. 318. & n. 323. cum sequ. Escobar. Tr. Exam. 1. c. 1. cir. fin.*

VI. Renunciatio est juris sui libera dimissio, seu cessio. Fit tacitè, vel expressè. Tacitè sit ex iuris dispositione, absque verborum expressione, ut si quis Matrimonium contrahat, si lite morà de beneficio sponte cedat, vel si per tres annos eam non prosequatur. Expressè fit, quando disertis verbis agitur. Hæc renunciatio iterum duplex est *Pura*, quæ fit sine conditione & pacto appposito. In quo eventu potest Ordinarius conferre beneficium, cui voluerit. *Non pura*, seu *Conditionalis* & hæc vel simplex in favorem, ut quando fit absque reservatione, vel est qualificata, ut quando fit reservando sibi regressum vel pensionem vel aliquid de fructibus. *Vallens. l. 3. tt. 13. Less. c. 34. D. 35. Az. 11. l. 7. c. 19. Q. 1. & 111. l. 12. c. 8.*

VII. Ut renunciatio conditionalis valida

fit, requiritur 1. ut beneficium sit resignantis, quia resignatio non est alieni, sed sui iuris cessio. Quocirca si ita privatus sit, ut ante sententiam ultrò dimittere debeat, non potest hoc modo resignare. Si autem fecerit, collatio ex vi illius secuta non erit valida. Quod si non tenetur dimittere ante sententiam, resignatio valida erit, quia beneficium ipsius est, quoad ius possidendi, & fruendi; potest tamen postea per sententiam irritari. 2. requiritur, ut sit libera non metu, vel dolo extorta. Quando enim metus vel dolus dat causam contractui non obligat. 3. debet fieri in manibus eius, qui potest eam admittere. Hic autem primò respectu omnium beneficiorum est summus Pontifex: deinde ordinarius respectu sibi subditorum; denique collator, vel institutor præsertim si habeat iurisdictionem. Aliquitamen hæc putant non esse necessariam. Cæterum quando resignatio in manus Ordinarii fit, & collatio ad aliquem inferiorem pertinet *V. g. Decanum, aut Præpositum*, non potest absque illius consensu conferri, ne jure suo priveretur. Si fiat in manibus laici, valebit quidem in damnum resignantis, ita ut illo privari queat, non tamen ita, ut vacet, nisi Superioris consensus accesserit *c. Quod in duobus de renunc.* 4. Resignatio conditionalis debet acceptari à Prælato, in cuius manibus fit. Alioqui non amittit ius tuum, qui resignat. *c. fin. de renunc.* 5. Beneficium resignatum conferri debet illi, in cuius favorem cum clausulâ ordinariâ est resignatum: alioqui provisio invalida erit *c. un. De rev. permut.* 6. Requiritur, ut acceptet, in cuius gratiam renunciatio fit: alias retinet ius suum, qui resignat propter clausulam *Non aliter*. 7. requiritur consensus

consensus patroni, si est beneficium iuris patronatus, vel electoris, si est electivum. *Glo. in clem. un. de rer. permut.* si tamen resignatio videatur ecclesie futura utilis, poterit superior illam approbare. 8. si resignatus infirmus est, supervivere debet 20. dies post resignationem: alioqui beneficium vacare censetur per obitum, non vero per resignationem. 9. si resignatio in Curia Romana fiat, intra 6. menses a die supplicationis oblatae computandos publicari debet in loco beneficii: si autem extra Curiam fiat, intra annum publicanda est. *V. Reg. Cancell. ap. Rebus §. Regula de publicandis. Less. c. 34. D. 35.*

VIII. Resignatio qualificata, cum ius beneficii in alium transfertur reservatis sibi omnibus fructibus iure communi illicita est *c. Maioribus. de preb.* ubi divisio beneficiorum prohibetur. Dividitur autem, cum uni titulus alteri fructus tribuuntur. *Dixi iure communi*, ut non ignores fieri posse, quando necessitas vel utilitas suadet. Ad ecclesie debita soluenda concessum aliquando liquet ex *c. si tibi concessio. & Clem. VI.* dicitur concessisse Hippolyto Mediceo Cardinali facultatem statuendi pro libitu ad sex menses de omnibus totius Ecclesie beneficiis. *Innoc. Ioan. Andr. Imola. Decius. Reginald. l. 3. tr. 3. n. 247. Barb. in c. cit. Maiorib.*

IX. Idem dicendum est de resignatione beneficii cum favore regressus. Porro ius recipiendi beneficium resignatum vocatur *Regressus, Accessus & ingressus.* *Regressus* supponit beneficium ante possessum fuisse: *Accessus* vero & *ingressus* non item. *Aditus* connotat obstitisse aliquid, puta, Irregularitatem, aetatem, aut quid simile. *Ingressus* indicat aditum ad beneficium ex

parte, hoc est, ad ius & titulum, non vero ad possessionem illius. Iam solius Papae auctoritate fieri potest, ut quis resignet cum regressu, accessu, vel ingressu: coram Ordinariis autem debet absolute & simpliciter fieri. *Imò Conc. Trid. Sess. 25. can. 7.* omnem accessum & regressum in beneficiis etiam cathedralibus prohibet, quia hereditariae successione imaginem praefertunt. Excipitur tamen *regressus, ingressus & accessus*, qui conceduntur pensionario, quando illi constituto tempore pensio non soluitur: Item illi, qui iure communi subsistunt, quales est *regressus in c. si beneficia de preb. in 6.* ubi ignoranter accipiens beneficium prius reservatum, vel collatum alteri, si ex quo scivit, sine difficultate dimittit, priora beneficia recuperat propter illud dimissa. Simili modo licet beneficium recipere tibi, si ita resignasti, ut conferretur Titio, & non alteri, si id non fiat. *Azor. l. 1. l. 7. c. 19. Regim. l. 30. cap. 23. & 24. Vallensis l. 4. De benef. tit. 15.*

X. Resignationem non reddit invalidam, commissum a beneficiato crimen, & inde consecuta irregularitas. *Rebus. de modo amittit. benef. num. 51. Covar. Clem. si furiosus par. 2. §. 4. num. 7. Mol. Tract. 3. Disp. 78. num. 2.* Nec obstabit, si alius quisquam ante sententiam privationis beneficium a summo Pontifice impetrarit: nihilominus enim resignari in favorem alterius poterit, vel ab eodem, qui possidet, retineri, si Episcopus dispensarit.

Garz. Par. 11. c. 3. n. 63. Layman l. 4. Tr. 2. cap. 17. num. 8.

§. VII.

De permutatione Beneficiorum.

I. **P**ermutatio generatim loquendo est certæ rei ad alteram facta præstatio. l. i. ff. de rer. permut. Hinc beneficij permutatio est, cum duo vicissim sua beneficia dimittunt, ut alter alterius beneficium obtineat. Ex quo colligitur multum convenire cum resignatione in gratiam alterius factâ. *Pe. Vbaldus. Frider. Senensis. Cambarius. alii.*

II. Iure Canonico prohibita est permutatio beneficiorum, quæ propria auctoritate fit, idque ob quatuor causas. *Prima* est ut ecclesiasticis personis omnis avaritiæ & ambitionis viâ præcludantur. *Secunda* ne de beneficiis, ut de aliis secularibus bonis disponere videantur. *Tertia* ne putent idcirco se in beneficia habere, quod in patrimonio suo. *Quarta*, quia permutatio supponit abdicationem unius beneficij, & acceptionem alterius quod Canones non permittunt propria auctoritate fieri. *l. ad questiones de rerum permut. Azor II. l. 7. c. 29. q. 2. Tabiena V. Beneficium §. III. n. 14.*

III. Permutatio faciendâ est cum auctoritate Superiorum, qualis est. 1. Pontifex. 2. Ordinarius loci, sive Episcopus, sive eo superior. 3. Omnis Prælati, qui ius habet conferendi instituendi, & à beneficio removendi, cujus generis sunt Abbates, & alij Prælati, qui episcopalem iurisdictionem consuetudine aut privilegio habent. De Vicario Generali non videtur idem dicendum, sed speciale illi mandatum necessarium est. Canonicorum Collegium permutationes beneficiorum admittere

poterit, quando ius ea conferendi, vel ad solos Canonicos pertinet, vel ad eos simul & episcopum. *Innoc. c. Quæsitum. Panorm. eod. & c. Cùm ex iniuncto. de heret. de rer. permut. Glo. Clem. r. eod. tit.*

IV. Non licet beneficium ecclesiasticum permutare cum alio jure spirituali, quod non sit beneficium, puta cum jure decimarum, patronatus aut similiter; nec cum jure, quod quis habet ad beneficium, non in beneficio ut si quis habeat literas Apostolicas, quarum auctoritate beneficium expectat. Multò minùs potest beneficium ecclesiasticum permutari cum patrimonio, cuius ratione aliquis est ad sacros ordines promotus aut cum hospitali domo, quæ beneficium non est. Si tamen Ordinarius consenserit in eiusmodi permutationem, ut beneficium ecclesiasticum cum jure nominationis, vel collationis permutetur, crediderim validam fore permutationem, quia. *Clem. un. de permut. rerum nihil aliud dicit, quam spiritualia cum temporalibus permutari non posse, quod in proposito casu non fit. Az. II. l. 7. c. 29. Armilla V. Beneficium. n. 75. & seq.*

V. Ad legitimam permutationem supposito, utrumque habere ius proprium, reale, & pacificum in beneficio permutando, requiritur. 1. ut absit dolus, & metus. 2. Ut in manus Ordinarij uterque resignet. 3. ut collatio fiat in permutantes. Nam si alteri conferatur irrita collatio erit. *Clem. un. de permut. rer.* Quocirca Ordinarius postquam consensit in resignationem, ipsis tenetur conferre. Neque opus est, ut eodem tempore utrumque permutatio fiat. 4. requiritur consensus illorum, ad quos electio, vel præsentatio spectat. *Glo. in Clem. di. Potest autem episcopus*

pus

pus supplere consensum, si fortè patronus renuerit. *Canis. l. 3. tit. 8. Less. cap. 34. dub. 36.* Fallitur ergò *Rebuffus, qui tit. de permut. n. 14.* & 15. valere putat permutationem cum beneficio ficto, quod permutans se habere simulat.

VI. Inæqualitas beneficiorum non impedit absolute permutationem. Potrò inæqualia sunt. *Primò*, quando unum habet onus V. g. curam animarum alterum verò non habet. *Secundò* quando unum est pingue, alterum verò macilentum. Neutra tamen obesse potest permutatio, si absque vi, & dolo fiat. Contingit enim, ut magis conveniat mihi, quod tenuius est, vel gravius: quo posito non patior iniuriam, sed excessum, qui putatur inesse beneficio, condono. *Azor l. cit. Less. lo. cit. num. 199. Reg. l. 30. cap. 24. Franc. Leo in thesau. Par. 2. c. 19. dixi. si absque vi & fraude fiat.* Etenim siue invitus per vim, cui non potest resistere, impellitur, siue per fraudem, quam non videt, circumvenitur, congenitâ libertate per injuriam exutus est: adeoque vel beneficiorum permutatio viribus caret, ut non subsistat: vel certè à Magistratu ecclesiastico in ultionem sceleris & iniuriæ irritanda est.

§. VIII.

De reservatione, & Devolutione beneficiorum.

I. Beneficia reservata dicuntur, quæ summus Pontifex ita addicit sibi, ut quando vacaverint, solus conferat. Reservatio beneficiorum igitur ita definiri potest. *Est alicuius beneficii ecclesiastici vacaturi per habentem ad id potestatem ad se facta avocatio.* Non fuisse olim in usu inde liquet,

quia in nullâ Decreti parte de ea mentio fit. In *Conc. Basiliens. Sess. 23.* legimus, omnes omnium beneficiorum reservationes aboleri cum mandato, ne deinceps ulla fiat. Sed decretum illud à summo Pontifici non est approbarum, ne iuri & iurisdictioni suæ vulnus infligeret. *Aneas de falconib. de Reservat. Azor 11 l. 6. c. 36.*

II. Reservatio beneficiorum duplex est, *Generalis & Specialis.* *Generalis* est quando Pontifex sibi reservat omnia beneficia eiusdem ordinis. V. g. omnes ecclesias Metropolitanas, omnes Cathedralis &c. *Specialis* dicitur vel ratione loci, ut cum certæ alicuius ecclesiæ beneficia reservantur, vel ratione beneficii, ut cum certa dignitas reservatur, vel ratione personæ, ut si Pontifex mandet beneficium aliquod quando vacaverit Titio, aut Lucio conferri *Azor. loc. cit. Q. 3. Escobar Tratt. 5. Exam. 1. §. 2.*

III. Papa reservat sibi. *Primò* collationem dignitatum, quæ post episcopalem maiores sunt in ecclesijs Cathedralibus, cuiusmodi in Germaniâ nostra sunt Præposituræ: Item collationem dignitatum principalium in ecclesijs Collegiatis, ut videre est in *Reg. 3. Cancellaria.* Verùm quia in multis ecclesijs dignitates per electionem conferuntur, signum est, privilegio obtentum esse. *Secundò* reservat omnia beneficia promovendorum, id est, quæ vacant per obtentionem alicuius V. g. episcopatus, aut similis prælaturæ à Papa conferendæ. Nec obstat, si episcopatus vel dignitas electiva sit, sed absolutè post adeptam confirmationem, & quietam possessionem vacant beneficia prius habita. Imò locum habet prædicta reservatio, quando Pontifex dat alicui beneficium

habenti alterum incompatible: huius enim ipso jure vacantis collatio sedi Apostolicæ reservatur; ~~incompatible, huius omnimode iure vacantis collatio sedi Apostolicæ reservatur.~~ Tertio reservat omnia beneficia Cardinalium, Curialium ac familiarium Papæ, licet extra Curiam vacent: quin etiam reservantur beneficia illorum, qui Cardinalis alicuius domestici sunt. Nec obstat, si quo tempore moritur, non amplius erant in priore officio aut servitio, quia beneficia semel affecta semper affecta consentur. Quarto reservat beneficia per obitum legatorum ac Curatorum suorum, quorumcunque item ad Curiam venientium, & ab eâ recedentium, si in ipsâ Curia vel in locis ultra duas à Curia non distantibus moriantur. *Extrau. ad regimen. de prebend. Quinto reservat beneficia omnia, quæ vacant per depositionem, privationem vel translationem auctoritate Sedis Apost. factam. Item ad quæ aliqui in concordia, vel discordia electi vel postulati sunt, si electio cassata vel postulatio repulsa vel renuntiatio ab iis facta, & admissa à Pontifice fuerit. Atque hæc, ut illa, de quibus num. præcedente in Curia vacare dicuntur. c. 2. de preb. in 6. V. Reg. Cancellaria Apost. & Cardin. Tuschum Conclus. 75. & sequ. Franc. Leo Par. 2. thesauri eccles. cap. 18 num. 78. Pua/co. pag. 374.*

IV. Prædictæ reservationes non uno modo limitari debent Nam. Primo locum non habent in beneficiis manualibus, sive ad nutum amovibilibus. Secundo in beneficiis ecclesiæ non numerata sed receptiva, id est, in qua non est certus numerus beneficiorum. Eiusmodi enim beneficia nunquam consentur vacare. Tertio in be-

neficiis quæ sunt iuris patronatus laicorum ex fundatione, constructione, dotatione. Comprehenduntur tamen, quæ sunt iuris patronatus ecclesiastici vel in quibus ius præsentandi competit laicis ex privilegio, aut præsumptione fundata in privilegio. Neque enim expedit, ut laicorum iuris quicquam derogetur, ne illorum pietas & studium in erigendis, & dotandis ecclesiis intepescat. Quarto locum non habet in beneficiis quæ resignantur ut permutentur, quia non consentur propriè vacare: Denique eximenda sunt beneficia, ad quæ postulanda Imperator habet preces ex speciali privilegio, de quò *V. Paratitla Vorburgi pag. 697. Covarr. l. Practicar. QQ. c. 36. n. 4.*

V. Extat apud Gallos pragmatica sanctio in Concilio Basil. concepta, à Carolo VII. Biturigibus probata. Anno 1438. & in senatu Parisiensi publicata 3. Id. Jul. in qua summi Pontificis potestas in conferendis beneficiis non parum minuitur, ideoquè in Conc. Lateran. reprobata est. Quanquam *Degrassalius l. 2. regalium Francia docet Regibus Gallia collationem beneficiorum ecclesiasticorum convenire ex consuetudine immemoriali vel ex compositione facta in fundatione beneficiorum. Cosmas Iuris C. & senat. Paris. Consiliarius Pias. in Praxi pag. 391. Az. 11. l. 6. cap. 36. Q. 2.*

VI. Beneficium esse reservatum, & affectum diversa sunt. Affecta propriè dicuntur, quæ ad tempus sic addicta & obligata sunt summo Pontifici, ut pro eo tempore omnibus alijs sublata potestas sit ea conferendi. V. g. Pontifex alicui beneficium contulit, sed propter impedimentum aliquod, Canonicum collatio invali-

da fuit, tunc beneficium illud dicitur affectum, quia non potest ab Ordinario conferri, sed denuò conferendum est auctoritate Papæ. Item commendat Papa alicui beneficium, si provifus moriatur, manet affectum, ita ut dare illud folus Pontifex queat. *Federic. Confil. 290. Gemin. Confil. 138. Tufchus concl. 77.*

VII. Menfes Apoftolici in quibus beneficia vacantia ad fummum Pontificem pertinebant, olim octo fuerunt, quatuor reliquos Ordinarij habebant: Poftea Pius V. in favorem Ordinariorum fex menfes tantum refervavit ita ut alternis menfibus Ordinarij ius conferendi habeant Papæ menfes funt *Januarius, Martius, Maius, Julius, September, November.* In his menfibus beneficia Pontifex confert, quomodocunque vacaverint, modò non vacent ex fpontaneâ refignatione, quam Conftitutiones Apoftolicæ *Ceffum* vocant. Excipiuntur etiam beneficia, quorum conferendorum ius ad Archiepifcopum vel epifcopum pertinent, qui fimul funt S. R. E. Cardinales. *Franc. Leo in thefaur. eccl. Pars 2. c. 18. Azor 11. l. 6. c. 36. Q. 11.*

VIII. Quod ad devolutionem beneficiorum attinet, iure Canonico cautum eft, ut fi intra tempus præfixum non puta 6. menfium conferantur à patronis fuis beneficia, perdant pro eâ vice ius fuum, & accedat Ordinarijs, quod cum fit, caducum effe beneficium dicimus, quemadmodum Veteres I. C. appellant caducam dotem, caducum legatum, caducam hæreditatem. Huius moris caufa eft. Primò ne beneficia diu vacent, indeque ecclefia damnata capiat. Secundò ut negligentia collatorum caftigetur, qui præfcriptum tempus non observant. Idem fit, quando

fcienter indignum eligunt. *Sily. in V. Ius patronatus nu. 7. Franc. Leo l. cit. n. 7. Vallens. l. 2. De benef. c. 20. Rebuff. 11. De devolutione n. 7. Sily. V. Beneficium IV. nu. 10.*

IX. Quando epifcopus, cui conferendius tantum competit, negligens eft, ad Collegium Canonicorum devolvi beneficia exiftimat *Abb. in c. Cum in cunctis de elect. ubi apertè dicitur Epifcopus autem fi contra hoc fecerit aut confenserit fieri, potestatem amittat, & per Capitulum ordinetur.* Aliter tamen vifum eft *Innocentio*, qui ad epifcopi fuperiorem cenfet devolvi. Quid in eiusmodi eventibus faciendum fit, ab ulu & confuetudine loci fumendum eft. *Vallens. l. 3. tit. 8. § 3. Item 11. 9. Azor 11. l. 6. cap. 28.* quæ licet pro diverfitate locorum varia fit, nihil obeft faluti credentium, cum illis Canonica non obfiftat auctoritas. Manet liquidem una fides, quæ per dilectionem operatur bona. *c. Scit Sancta. Diff. 12.*

X. Si contingat ab Canonicis Cathedralibus epifcopum eligi indignum, collatio ad fummum Pontificem devolvitur ut exprefse docet *c. Quanquam de elect. in 6.* Excipe, nifi pars Canonicorum, quamvis minor, contradicat. Tunc enim illorum iudicium & electio prævalet, iuxta *c. Gratium de post. Præf. ubi Abb. n. 5.* notat fi plures è Capitulo funt inhabiles, puta, excommunicati, aut fufpenfi, totum ius, five potestas capitularis refidet apud habiles. In alijs minoribus beneficijs devolutio ad epifcopum fit, cum à Capitularibus, qui ius eligendi vel confirmandi habent, peccatum eft. *c. Cum in cunctis de concess. præf. Laym. l. 4. tit. 2.*

c. 11. n. 5.

§. IX.

De Annatis.

I. **A**nnatæ (pensionis) seu Annatarum vocabulum non uno modo sumitur. Late acceptum significat illam seu pecuniæ, seu pensionis quantitatem, quæ pro quocunq̃ beneficio consistoriali iuxta taxam Romanæ Curie soluitur. Secundò est medietas fructuum primi anni, quæ pro aliis beneficiis minoribus, non consistorialibus exigitur. Propriè est reditus primi anni soluendus Curie Romanæ pro expeditione cuiuscunq̃ beneficij consistorialis in Camerâ non taxati. *Laerr. Cherub. initio Bullarii. Azor Par. 11. l. 7 c. 12. Eckius in Enchir. c. 25.*

II. Omnium primò constitutam esse à Bonifacio IX. An. Chr. millesimo trecentesimo nonagesimo sexto *Platina* scribit. alii auctorem faciunt Ioann. XXII. qui An. 1316. electus est. *Cherubin. Par. 1. Bullarii pa. 142.* annatarum solutionem antiquissimâ vocat, & approbatam in Conc. Vienn. quod celebratum Anno Chr. 1311. sub Clem. V. & Constantiensi, quod Anno Christi 1414. in schismate trium Pontificum cœpit. Si Annatas primò constituit Bonifacius IX. vel Ioannes XXII. quomodo approbata sunt in Conc. Vienn. quod multum antecessit, & quo modo antiquissimâ vocari possunt? *Polydorus Virgil.* quem in Chronico suo *Genebrardus* sequitur, l. 8. De Invent. rer. c. 2. Annatarum usum ait antiquiorem esse, quàm recentiores quidam scriptores existiment. Mallem ipsam, & veram originem indicasset. Illud benè animadvertit, à Bonifacio IX. &

Ioanne XXII. denudò exactas esse, cum prædem intermissæ fuissent.

III. Annatarum exactiorem multi impugnarunt. Præter hæreticos, quibus nihil iucundius & facilius, quàm Romanorum Pontificum acta criminari, *Cosmus auctor Glossæ in Pragmat. Sanctione, & Guarenus l. 6. de sacris Ecclesia ministris scribit* repugnare iuri divino, & ecclesiastico. Iuri divino quidem, quia Christus *Matth. 10.* præcepit suis, ut quæ gratis accepissent gratis darent. At per Annatas contrarium fit, quia pro Abbatia, vel episcopatu exiguntur. Hinc *Guarenus* concludit, conventionem inter *Leonem X. & Franciscum I. Gallia Regem*, quoad hoc turpem, & inhonestam videri, ideoquè pro non scriptâ habendam. Iuri ecclesiastico quoque contrariari patet *ex causa 1. Q. 1.* ubi multi *Canon*es vetant *Simoniam*, & prima Rubrica habet. *Emerere spiritualia grave peccatum esse, multorum auctoritate probatur.* His accumulatur alias rationes, quæ etiam in Concilio Basileensi propositæ sunt. *Prima est.* Omnes Christianos abstinere decet etiam è specie mali. ergò multo magis Romanum Pontificem, & illius Curiales. *Secundò*, per Annatas factum est, ut indigni ad summum Ecclesiæ honorem, & Prælaturas ascenderent, præteritis dignis, eò quòd propter inopiam tantam pecuniæ summam non possent exhibere. *Tertio*, occasionem inde sumunt Prælati, ut clericis sibi subiectis novas contributiones indicant, ut suam ipsi pensionem compleant. *Quartò*, per eiusmodi praxes pecuniæ ex Regno, & provinciis propriis Romam deferuntur, quod non tantum grave, & noxium, sed insupportabile aliquando. Quid enim, si intra unius, vel duorum annorum

horum spatium bis, aut ter novus episcopus eligendus sit, an totius unius anni redditus 30. aut 40. millium pensio Romam mittenda? Propter eiusmodi incommoda Ioannes Andr. in c. *Inter cetera de off. Ordin.* consilium dedit, idq; in Concilio Vienn. oblatum episcopis est, ut summus Pontifex loco annatarum vicesimam partem omnium proventuum ecclesiasticorum pro sua, & suorum sustentatione sumeret. Non acceptarunt Prælati illud timentes ne futuri Pontifices & vicesimam partem reddituum, & Annatas simul exigèrent. *Card. Tuschus Conclus. 378.*

IV. Extat Concilii Basileensis, non approbatum à summo Pontifice, *decretum sess. 21.* his verbis. Sacrosancta Synodus statuit ut de cætero nihil penitus ante, vel post exigatur, ratione literarum, Bullæ, Sigilli, annatarum, communium, & minorum servitorum, primorum fructuum, deportatum, aut sub quocunq; alio titulo, colore, vel nomine, prætextu cuiuscunq; consuetudinis privilegij, vel statuti, aut aliâ quavis causâ vel occasione, directè vel indirectè, solum scriptoribus, abbreviatoribus, & registratoribus literarum, seu minutarum pro ipsorum labore competente salario persolvendo. Ita Concilium Basileense contra Pontificiam Curiam, ut mirum non sit, approbationem deesse.

V. Non obstante Pontificis dissensu, & contradictione Curialium, *Carolus VII. Gallia Rex* in Bituricensi conventu præallegatum Basileensis Concilij Decretum sanctione Pragmaticâ approbavit, vetuitq; ne quisquam ante vel post impetrationem, & confirmationem Romanæ Curia pendatur præter iustum stipendium illis, qui literis, aut Bullis expediendis oc-

cupantur. *Gualter. in Chronol. pag. 617. Genebr. in Engenio 17. Hinc Greg. Tholos. l. 33. Syntagm. c. 13. n. 42.* In Gallia, inquit, meritò videntur sublatae Constitutiones Curia, aut Cancellariae Romanæ, quæ Bursales vocantur: & Annatae, seu taxationes beneficiorum, quas Galli non solvunt, nec tenentur in impetratione beneficiorum exprimere verum beneficij valorem; etsi de his quædam compositiones solvantur.

VI. Pro Germaniâ inter *Nicolaum V. Pontificem, & Fridericum III. Imperatorem* ita conventum est, ut de Ecclesiis cathedralibus omnibus, & monasteriis viro- rum duntaxat vacantibus, & vacaturis solvantur pro fructibus primi anni à die vacationis summæ pecuniarum in libris Camerae Apostolicæ taxatæ, quæ communia servitia nuncupantur, & si quæ excessivè taxatæ sint, retaxentur. *Et infra.* si infra annum bis, aut pluries vacaverint, semel tantum solvantur, nec debitum eiusmodi in successorem, ecclesiam, vel monasterium transeat. De cæteris verò dignitatibus, personatibus, officiis, ac beneficiis sæcularibus, vel regularibus quibuscunq; quæ auctoritate Sedis Apostolicæ conferuntur, solvantur Annatae, seu medij fructus iuxta taxam solitam à tempore possessionis infra annum. Sed de beneficiis, quæ valorem 24. florenorum auri de Camera non excedunt, nihil solvantur, curatq; hæc observantia deinceps, nisi eam similiter in futuro Concilio de ipsius nationis consensu contingat immutari. *V. Concordata apud Cambricum in sum. iur. Canonici.*

VII. Soli Angli, ut *Polyd. Vergilius refert l. 8. De rer. inventorib. c. 2.* præ aliis nationibus;

bus, Annatarum onus recusarunt subire in minoribus Sacerdotijs: ex quibus aliis in regnis, & provinciis dimidiam unius anni proventuum partem capere Pontifex solebat. Quantum inde annuè colligatur, difficile, & incredibile dictu est. In solâ Galliâ confecisse Annatas olim sexcenta nonaginta septem millia septingentos, & quinquaginta francos, sine Præiaturis, quæ non taxabantur, cum earum summa nihilo minor esset, fide digni Auctores tradiderunt. *V. Archæantologiam Gotofredi p. 51. & Taxam Episcopatum Gallia in Tom. 10. Tractatum Iuris.*

VIII. Errant verò plurimum, qui vel iniustitiæ reum faciunt Pontificem, vel cum Panormitano Simonie accusant, quia pro collatione; aut confirmatione dignitatum & beneficiorum ecclesiasticorum certam pensionem exigit. Neque enim pro eo, quod spirituale est, vel à Papa, vel Curialibus Romanis quicquam petitur, sed quia seminanti spiritualia metere licet temporalia, pro sustentandâ familiâ, labore servientium, aliis que oneribus ferendis partem aliquam de beneficiorum fructibus decerpit Pontifex, & reservat sibi eodem iure, quo posset alteri reservare, & applicare: ut qui bonorû ecclesiasticorum generalis administrator est, at hoc ipsum, clamant malevoli, speciem mali habet, & incommodis n. 3. commemoratis obnoxium est. R. apud peritos, & oculo simplici præditos nullius mali species apparet. Aliter si mali vel imperiti sentiunt, docendi, vel contemnendi sunt. Si cubi abusus invaluit, danda opera, ut corrigatur. *V. Azor. tit. l. 6. cap. 12. ubi circa finem monet, frustra Simoniam à quibusdam metui, quia illi nullus in summo Ma-*

gistratu locus est.

IX. Superest explicare, quo iure Annatarum pensio Summo Pontifici debeatur? *Ferdinandus Corduba in Tract. singul. de annatis* demonstrare nititur, jure divino deberi, aut saltem ex jure divino scripto originem trahere. quoniam in Veteri lege iussu Dei decima fructuum pars Levitis, & Sacerdotibus soluebatur, qui deinde ex illis decimis decimam summo Pontifici dabant, quæ decima decimarum vocata est, *Numer. c. 10. Eckius quoque in Enchir. suo tit. de annatis* fatetur, illas solui iuxta Veteris legis institutum. Rem propius inveniendi facilis apparet solutione similium quæstionum. Cur enim reditus annui, distributiones, portiones, decimæ & similia debentur clericis, & Ecclesiæ ministris? Si rem spectes, iure naturali, quia dignus est operarius mercede suâ, & qui altari servit, de altari vivit. *1. Cor. 9. v. 13.* Si verò definitam quantitatem, ea non nisi humano jure, & arbitrio constituta est. Annata pensio igitur summo Sacerdoti debetur pro curâ & sollicitudine, quam habet omnium ecclesiarum: determinationem humana prudentia facit, cui non mirum si mixta cupiditas exorbitet. Quemadmodum ergo in assignandis beneficiorum proventibus nemo mathematicam, seu arithmeticam proportionem desiderat, sed morali contentus est, ita in taxa annatarum sibi faciendum unusquisque persuadeat. *V. Eck. Enchir. c. 25. Azor tit. l. 7. c. 12. Grets. in Exam. Myste-*

ris Plessæani pag. 71.

TITVLVS III.

De Parochis, & Curatis.

Parochi olim confebantur, dicebanturque, qui peregrinis salem & ligna praebebant, id est, cuncta necessaria teste *Acrone*. Inde Parochias aliquando derivarunt, quibus singulis sui Sacerdotes assignati sunt, ab exhibitione scilicet Eucharistiae. Verum *Budeus* non Parochias primum, sed paræcias appellatas existimat. Porro decem homines constituere parochiam sententia Interpretum juris Canonici est. At quibus idem est paræcus, quod Parochus, non parum errant, quia paræcus nihil aliud significat, quam indigenam vel incolam, qui domicilium suum in aliquam regionem contulit, quod non magis parochus, quam agricolæ cuiuslibet convenit. *Pompon. De verb. sign. l. Pupilus.*

§. I.

De Ecclesia Parochiali.

I. Parochiae nomen in Iure Canonico duobus modis sumitur. *Primò* pro ipsâ diœcesi *c. si quis 2. D. 92.* ubi dicitur si quis episcopus ordinatus ad parochiam, cuius est electus minimè accesserit &c. *Secundò* pro certâ alicuius diœcesis ecclesiâ, cui assignatus est certus aliquis populus ad perceptionem Sacramentorum, *V. g. S. Martini Bambergæ.* Hoc modo sumpta alicui committitur, ut in eâ Baptis-

mum & alia Sacramenta populo sibi commisso administret. Igitur parochiale beneficium habere dicitur, cui prædicto modo animarum cura tribuitur. In quibusd. locis non distinguuntur parochiae per limites materiales loci, sed per familias, ut colligitur ex relatione episcopi Aquilani factâ Congregationi Cardinal. *Conc. Tridentini. Tholos. l. 24. Syntagm. c. 15. Silv. V. Parochia.*

II. Parochialis ecclesiae ius consistit in hisce septem 1. ut in eâ festis diebus populus Missam audiat 2. in decimis 3. in oblationibus, & primitiis 4. in pœnitentijs accipiendis. 5. in exhibitione Sacramentorum. 6. in sepulturis. 7. in benedictione nubentium. Ita tamen ut si horum aliquid desit, non continuò perdat nomen suum. Fieri enim potest. *Primò* ut non habeat sepulturam. *Secundò* ut non percipiat decimas, quæ fortè per aliquam præscriptionem, aut privilegium alienatae sunt: hæc tamen si habeantur, præsertim aliis quibusdam accedentibus præsumi de Parochiâ potest. *Silv. l. cit. Tabiena V. Parochia. Layman. l. 4. Tr. 6. c. 4. n. 1. & 4. Cardin. Tuschus. Lit. P. Concl. 93. & 94. Parochiale Curatorum Lochmayer c. 1.*

III. Ad probandum igitur, hanc illamvè ecclesiam Parochialem esse, quatuor requiruntur. *Primò* potestas fori pœnitentialis, ligandi nimirum, & solvendi. *Secundò* locus certis finibus circumscriptus, in quo

H

populus

populus illi ecclesie assignatus habitet. Tertio ut parochus curam exercent nomine suo, quod personam concernit, non vero locum, vel ecclesiam. Quarto ut Sacerdos tanquam rector suo nomine singulariter, non vero cum alijs ad regimen parochiale ecclesie admittatur. Denique illud potissimum attenditur, ut Sacramenta administret ex necessitate, & similiter ex necessitate populus accipiat iuxta *Decisionem Rota 52*. Ideo neque regulares presbyteri, neque saeculares quam diu Parochorum vices gerunt, liceat eadem omnia praestent, Parochi aut Curionis nomen usurpent.

IV. Hinc fit, ut aliquando Plebani, aliquando Rectoris titulo insigniatur Parochus. Nam revera plebem ducit, & regit gregem sibi commissum. Quanquam ex *Scriptum est. de elect.* apparet Plebanum vocari, qui habet sub se plures ecclesias, vel capellas: estque respectu aliorum, qualis respectu suffraganeorum suorum Archiepiscopus. Nam illis quoque ius competit, ut visitando vices & castella circummeant loco episcoporum. Insuper Plebani ecclesia appellatur matrix, quasi mater aliarum, quas sub se continet. *c. Ad audientiam de eccl. adif.* Plebanus autem dici non potest in dignitate constitutus, nisi forte ecclesia, cui praest, simul collegiata sit & sub se capellas habeat cum iurisdictione fori contentiosi. Vnde patet accidentale tantum discrimen esse inter Plebanum, & Rectorem. Nam hic quoque in Germaniam nostram plures sacellanos, & praebendarios sub se habet. Eadem denominatio alicubi tribuitur illis, qui habent Dignitatem, Personatum, vel Prioratum. In his enim & similibus, cum certi nihil legibus defini-

tum sit, plurimum arbitrio & prudentiae tribuitur, ut consuetudini quoque, cuius non minor, quam legis potentia est.

V. Ex eodem fonte manat, quod Sacerdos proprius nuncupetur, in *c. Omnis utriusque sexus. de pen. & rem.* Solus enim ipse ex obligatione, & necessitate Sacramenta administret. *Conc. Tr. Sess. 24 c. 13.* simul *Curatos* dicimus: quae vox tamen latius patet, & tribuitur omnibus, qui aliorum curam ex officio gerunt, quales sunt Decani, Scholastici, Vicarij perpetui, & similes. Ac proinde omnis quidem Parochus est curatus, sed non omnis curatus est parochus. Illud vero monuisse iuvabit, Parochi, & Sacerdotis proprii nuncupatione non excludi Episcopos, & summum Pontificem, ut nonnulli contendunt, qui Regularium privilegia in audiendis confessionibus impugnant. Sicut enim ipse Pastorum Pastor, summus videlicet, ita Parochorum omnium, & Parochis subditorum parochus est. *Franc. Leo in thesaur. par. 2. c. 1. & 3. Vindicia privilegiorum Francisci à Fonte à pag. 138. & sequ. Azor 11. l. 5. c. 14. Q. 1.*

VI. Qui Ecclesiam Parochialem Monachorum administrent, cum curam animarum in Iure Canonico non vocantur Parochi, sed Capellani. *c. in Ecclesiis. de Capellis Monachorum, ubi Urbanus III.* In Ecclesiis, ubi Monachi habitant, populus per Monachum non regatur, sed Capellanus, qui populum regat ab Episcopo per consilium Monachorum constituatur, ita, ut ex solius arbitrio Episcopi tam ordinatio ejus, quam depositio, & totius vitae pendeat conversatio. *Ita ille.* Alias Capellani, & Capellae nomen latius patet, nec censetur curatus, nisi ex speciali institutione certum

certum populum habeat. Per se enim Capellania & Capella beneficiū simplex est. *Selva de benef. part. 1. q. 4. Abb. Imola. Azor. n. l. 3 c. 8. Dixi in Iure Canonico non vocati Parochos, quia usus & consuetudo his temporibus aliud jus fecerunt.*

VII. Quando Ecclesia Parochialis accessorie unita est beneficio, vel dignitati alicui simplici, & in eā Vicarius perpetuus constituitur, titulum Parochi, & curam habitualem habet Principalis, curam actualem verò, seu exercitium Vicarius. Secus erit, si vel Vicarius sit temporalis tantum, vel Ecclesia filialis. Tunc enim Rector seu Principalis per se censetur deservire, & illius nomine, qui substituuntur. *c. Cum veniss. De rest. Spol. l. Quod meo. ff. De acquir. poss. Barbosa. in Rubricâ de officio Vicarii. & c. super eo de præbend. Franc. Leo in thesau. Fori Eccles. Par. 1. c. 10. Sylv. V. Vicarius n. 6. Armilla eod. & alii Summ.*

NOTA. In prædictâ Parochialis Ecclesiæ cum dignitate vel Canoniatu unione cavendus est abusus, qui nonnullis in locis invaluit, ut cum Parochi titulo fructus potissimos principalis ad se pertrahat, vix tantillo relicto, unde Vicarius honestè vitam toleret, quamvis onera omnia solus sustineat.

§. II.

De dignitate Parochi & obligatione residendi.

I. Parochus quia Episcopi vices gerit, qui dicitur Rector parochialis, *c. bona rei 12. q. 2.* ob id alijs videtur præferendus secundum Reg. 1. *si eum s. qui iniuriarum ff. si quis cautionibus.* Cumque pasto-

ralis cura sit difficilis & periculosa, merito iudicatur pretiosa. Hinc *Molanus de Canonis l. 2. c. 14.* Canonico censet præferendum esse parochum: tum quia munus ipsius est ars artium. *c. Cum in illis de præb. tum quia major in illo scientia & discretio requiritur. c. pen. de ata. & qual. ordin.* Denique quia non exigitur in Canonico Ordo Sacerdotii, quemadmodum in Parocho. Quæ ut vera sint, absolutè loquendo, non admittent in Germaniâ nostrâ Canonici Cathedralis, quamvis nec scientia nec ordinum sacrorum dignitate conspicui forent. Nec desunt tituli illis, quibus præferantur. Extant quoque apud *Barbosam Decisiones Congregationis Sacrorum Rituum*, ubi fol. 84. in funeribus & processionibus publicis primus locus Cathedralibus Canonis tribuitur, ut qui collaterales consilarii & quasi domestici sint ipsius Episcopi. *Barb. Par. 1. c. 9. n. 6. Franc. Leo in thesau. Eccl. Par. 1. c. 9.*

II. In propriâ Ecclesiâ Rector omnes majores & superiores antecedit in dicendis Missis solennibus & alijs quibuscunque concernentibus officium ipsius. Nam etiam major minori cedit in domo sua, & quilibet in proprio munere alijs præferatur, quamvis extra illud cedere debeat. Ob eandem causam Rector Ecclesiæ Parochialis tanquam illius caput ante alios thurificandus est, juxta definitionem *Congreg. Rituum. apud Barb. to. cit.* qui addit, nihilominus, Parocho non in sede, sed in scamno sedendum.

III. Ut inter plures Parochos sive regulares, sive sæculares debitus ordo servetur, attendenda est ipsarum Ecclesiarum majoritas & prærogativa, & censuit sacra Congregatio Rituum in una Astensi 27.

Mart. An. 1609. In funeribus autem præcedit Parochus, in cuius templo defunctus sepeliendus est, idque Romæ quoque observari, & à se notatum esse commemorat citatus *Barb. n. 13.*

QVÆRES. An Rector ecclesiæ & Parochus nomine Prælati gaudeat? *Rt. Rosella V. n. m. 7.* si nomen Prælati latius sumatur, gaudere; strictius autem accipere, qui negant, requirentes dignitatem cum iurisdictione etiam externa. Quo sensu loquuntur *Glo. Cardin. & alii apud eundem allegati.*

IV. Rectores ecclesiarum & quicumque parochi iure divino in ecclesiis suis residere debent etiam tempore pestis, sive multi fuerint subditi sive pauci, licet tres, tantum forent. *Con. Trid. Sess. 23. c. 1.* ubi licet de episcopis loquatur, contextus & sequentia ostendunt, de omnibus intelligendum, quibus animarum cura commissa est. Illis enim dicitur. *Pron. cap. 27. V. 23.* Cognosce vultum pecoris tui, & greges tuos diligenter considera. *Item Act. 20. V. 28.* Attendite universo gregi, in quo vos Spiritus Sanctus posuit. *Barb. Collect. Decis. Apost. n. 572. Bern. Possen. l. De off. Curati. c. 1.* Non potest ergo dispensare Pontifex, inquit, & permittere ut Parochus aliquando absit? *R.* quamvis in iure divino, summus Pontifex, proprie loquendo, dispensare nequeat, declarat tamen hic & nunc sufficientem causam esse, cui lex divina non obliget. Caveat unusquisque, ne consuetam excusationem prætendat, & ad dispensationem non valituram summum Pontificem inducat. *Jacob. de Grass. l. 2. c. 97. l. 3. c. 15.*

Item dicendum de alijs Curatis, qui habent iurisdictionem fori externi, seu

contentiosi, qui non minus obligantur ad residendum, quam parochi, qui animarum curam gerunt. *V. Lud. Lopez Par. 2. Instructorii c. 100. p. 620.* ubi Curatum sine causa non residentem dicit à Confessario absolvendum non esse, etiamsi vir illustris sit, vel mille dispensationes prætendat.

V. Parochus habens duas parochias unitas residere debet in maiore seu digniore: si non constet, quæ dignior sit, in ea quæ frequentior & periculosior. Si extra civitatem una est, altera verò intra civitatem, in hac illi commorandum erit. Si pares sunt, aut videntur, eligat, in utra potius residere velit. Si quis cum parochia Canonatum possidet, obtenta dispensatione in parochiali residebit. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. Declarat. num. 9 & 10. Moscon. l. 1. Par. 1. c. 21.*

VI. Vbi Vicarius perpetuus ex more constituitur, illo vivo non tenetur residere principalis, seu Rector ecclesiæ. Nam actualis animarum cura omnimodè ad Vicarium pertinet. Quod si Vicarius temporalis & amovibilis sit, à contrario residere debet principalis, quia animarum cura ipsi incumbit primariò. Sed quia non eadem incommoda ex ipsius absentia metuenda sunt, facilius in obligatione residendi Episcopus dispensabit.

VII. Ne in residentia sua parochi impediantur, cautum est, ne eligantur Vicarii generales, Visitatores, Secretarii, fiscales &c. Nec episcopo licet ultra duos menses opera alicuius parochi uti, quemadmodum censuit Congregatio. *Conc. Trid. An. 1618.* Si autem ecclesiæ Cathedralis parochus sit, poterit Vicariatus officio fungi *V. Barbosa pag. 75.* ubi amplius memo-

in totâ provinciâ Tolletanâ presbyteros, qui Parochiales ecclesias obtinent, non posse Iudices ordinarios, aut delegatos esse appellationum ex Decreto Pauli V. die 17. Aug. 1615. & Gregorii XV. die 9. Maii. 1622. ubi extendit ad omnes ecclesias parochiales Castellæ, & Legionis.

VIII. Olim studiorum causa per septennium abesse licuit parochis, hodie verò id permittit episcopi non possunt iuxta *Con. Tr. sess. 23. c. 1.* Et Congregatio Cardinal. non semel consulta respondit, non esse sufficientem causam absentiae, ut studijs incumbant, nec Ordinarijs liberum esse illi licentiam impertiri, nec fructus percipere posse, si quando ob prædictam causam abstuerint. Quibus autem conditionibus concedi facultas possit, à *Conc. Trid. loc. citato ita* definitum est, ut episcopus causa probè cognita indulgere velit, licentiam in scripto, & gratis concedat, relicto Vicario cum congrua mercede ab eodem Episcopo approbato.

IX. Non excusat Parochum à residendo aëris intemperies ab extrinseco causata, nisi certo anni tempore, nec inimicitia capitales. In his quæ sine culpa parochi ortæ sunt, datur annus. *Declarat. Con. Tr. l. cit.* Oidium solum parochianorum non sufficit. Neque senectus excusat, quamvis illi Ordinarius daret idoneum Vicarium. Idem dicendum de infirmitate etiam dato, & constituto adiutore, nisi aliter, quàm in distant loco curari non possit. Præterea in nullo casu excusatur Parochus ne administret Sacramenta morienti, ne quidem metu pestis, seu alterius contagiosæ infirmitatis *6. si presbyter 26. q. 6.* Alias, quod supra diximus *Tit. 11. §. 3.* absentiam ab episcopo concessam excusat Charitas, necessi-

tas & ecclesiae utilitas. Denique ab *Conc. Trid. sess. 23. c. 1.* indulgetur, ut singulis annis animi relaxandi causa abesse queant per duos menses continuos, vel divisos, dummodò iusta causa sit, quod illorum conscientia relinquatur. *Toletus l. 5. c. 5. n. 3.* monet ad legitimam parochi absentiam quatuor conditiones requiri 1. est, ut causa rationabilis sit. 2. ut probeur ab episcopo & in scriptis. 3. ut ad summum duorum mensium sit. 4. ut interea substituatur aliquis cum congrua fructuum portione, qui benè, & absque defectu absentis munus obeat. Adde Petri à Soto doctrinam, de cura animarum *lect. 5.* ubi post summè necessaria & salubria monita subdit. Absentes Parochos propter absentiam obligandos non esse ad restitutionem fructuum, cum sufficiat agnoscere, quantum sit peccatum, contra quod terribiliter per Zachariam Prophetam clamatur. *Va pastor, & idolum derelinquens gregem.* Sed de non restituendis fructibus congruè explicandum est, nimirum si officio suo per Vicarium satisfaciatur, *V. Bern. Possen. l. de Curato. c. 1. n. 33.*

§. III.

De officio Parochi.

I. P Ræcipuum munus Parochi est verbum Dei prædicare, de quo *Concil. Trid. Sess. 5. c. 2.* Archipresbyteri quoque, Plebani, & quicumque Parochiales, vel alias curam animarum habentes Ecclesias obtinent, per se, vel per alios ab Episcopo approbatos, si legitime impediti fuerint, saltem diebus Dominicis, & Festis solennibus plebes sibi commissas pascant salutaribus verbis, docendo, quæ scire omnibus necessarium est ad salutem. Materiam, & modum concionandi *Leo X. in Con. Lateran. præscribit. Can. 7. de offic. Pra-*

ceptorum puerorum. *Piascius. Par. 2. c. 3. nu. 16.* ubi à parochio negligente subtrahendam ab episcopo partem fructuum dicit, eamque tribuendam alteri, qui vices suppleat.

II. De illis, qui ad concionandum, cum per se possint, alios substituunt, dubitari merito potest, an satisfaciant muneri tuo, cum manum sub axillâ ponant, & alios permittant triturare. Negat *Barbosa pag. 113.* satisfacere quoad Deum, si totius anni conciones alteri committant, quemadmodum non satisfaciunt, qui totam curam Vicario permitterent, nisi à consuetudine immemoriali excusentur. Vnde si quis velit habere Vicarium, habere potest in coadiutorem, non tamen, ut totum onus soli imponat. *V. Instructionem Pastorum S. Caroli Borrom. pag. 68. & seqq. Bernard Possu. l. de Curato c. 3. n. 2.*

III. Dominicis saltem & alijs diebus festis doctrina Christiana à parochis tradenda est. *Conc. Trid. sess 5 c. 2. & sess 24 c. 4. Pet. à Soto lect. 6.* Nimum negligentes peccare mortaliter, existimat. *Zerola Par. 2. V. Doctrina Christiana. Azor. 11. l. 3. c. 12. q. 16. Regin. l. 20. c. 1. sect. 3. n. 68. Tol. l. 5. c. 5. Bern. Possu. l. de Curato c. 4. Piascius Par. 2. cap. 3. pag. 152. Pii V. Bullam.* proponit, quâ tam pro operi faventibus Indulgentiæ conceduntur, nimirum 40. dierum de iniunctis penitentibus cuilibet, qui doctrinam Christianam rudes docuerit. Plenariam Indulgentiâ *Innocentius X.* largitur in suis Extraordinarijs. Adde *Emman. Sa. V. Parochus n. 5.* ubi cum dixisset magnam Parochi negligentiam in docendo necessaria ad salutem, cuiusmodi est symbolum &c. mortalem esse, exclamat, *Va parochis, Va episcopis, va presbyteris.* Plenum molestiâ & tædio opus

est, fateor, sed quod summè necessarium, divinæ gratiæ auxilio se catechizans roborat, eaque mente recolat identidem, quæ eruditè & piè suggerit *P. Iosephus A Costa de procur. Indor. salute l. 4. c. 31.*

IV. Circa administrationem Sacramentorû dubitatur, An parochus excommunicatus possit parochianis suis occultè Sacramenta administrare? *Affirmat Soto in 4. D. 22. art. 4.* quia creditor potest debitum suum ab excommunicato petere, & debitor licitè solvit. *c. Intelligimus de iudic. c. si verò de sent. excom.* Item qui homicida occultus est, non peccat celebrando missâ, quâvis irregularis sit, modò confessionem, vel contritionem præmiserit, & moraliter certum sit eum infamatum iri de facto homicidio, nisi celebret ut *Nav. docet c. 27. n. 239.* Alii hanc Soti opinionem existimant periculosam esse, ut *Lopez in Practicâ criminali refert p. 144.* Ipse verò approbat, & merito. Nam si scandalum absit, necessitas verò adsit, nec ultrò ingerat se, non apparet ratio, cur petentibus negare debeat Sacramenta, cum seipsum proderi non teneatur, & suspicandi ansam præbere ignorantibus, cur præter morem nolit Sacramenta conferre. *V. Suar. de Censuris disp. xi. n. 15. & sequ. Avila par. 2. Disp. 6. dub. 2. Escobar Tract. 1v. Exam. 2. de Excommun. nu. 14. Fagund. l. 2. in l. Prac. Eccles. c. 5. n. 15.*

V. Si infirmus aliquis negligentia, vel incuria parochi sine confessione, & sacro Viatico moriatur, deponendum esse tradit *Glo. in c. Officium. V. sine confessione de off. Archipr.* quia reum se facit animæ defuncti, *c. presb. 16. q. 6.* Idem faciendum, si puerum in necessitate baptizare noluerit, isque non baptizatus moriatur *c. quicumque. de Consec. D. 4.* *Lopez tamen in Practicâ suâ*

6. 46. pag. 130. ait, vidisse se semper eiusmodi delicta suspensionis & incarcerationis pœnâ castigari. *Navar. autem Consil. 13. tit. de pœnis*, arbitrariam pœnam suadet. *Piassec. par. 2. c. 3. n. 22. Possavin. l. cit. c. 5. n. 8. & sequ.* qui modû agendi cum infirmis c. 13. addit.

VI. Rectores ecclesiarum, & Parochi ecclesias suas, quando necessitas exigit, ex bonis residuis sibi reparare tenentur, iuxta mandatum *Alexandri III. c. de his. de eccles. adif.* quod mandatum innovat *Conc. Trid. sess. 21. c. 7.* additâ novâ provisione, si inopia parochi obster, ut ex proventibus quibuscunq̃ue, vel collectis reparatio fiat *Zerola p. 2. V. Parochia n. 6.* In Germaniâ alicubi iniungitur parochis, ut certam pecuniâ summam singulis annis impédant in reparationem sacrarum ædium, deq̃ue eo rationem reddant in Visitatione. *Piassecius autem pag. 138.* ita moderatur. Si adsit quarta pro fabricâ ex eâ faciendâ sunt expensæ: si non adsit, parochus tenetur, intellige si aliquid commodæ sustentationi super sit, nec consuetudo sit, ut populus faciat, si autem pauper fuerit ad expensas parochiani tenentur, & cogi possunt. Ad conservandam verò domunculam propriam omnino tenetur parochus. *Piassec. par. 2. c. 3. n. 22. Barb. in c. cit. de his.*

VII. Functiones propriæ, quæ à solo Parochio fieri debeant, sunt istæ. 1. Benedictio fontis baptismalis. 2. Sanctissimi Sacramenti delatio, & celebratio Missæ Feria quinta majoris hebdomadæ, & Sabbato Sancto. 3. Benedictio candelarum in die Purificationis B. M. V. 4. Benedictio Palmarum. 5. Processiones per Parochiam: nec absque Parochi consensu ulli regulari permittitur illas dirigere,

ut censuit sacra Rituum Congregatio. 6. Ad Parochos pertinet benedictio Cinerum, quæ primo die quadragesimæ fieri solet. *Vallensis l. 3. tit. 29. §. 2. Piassec. par. 2. c. 3. p. 146.*

VIII. Parochus ex justa causa dispensare potest in præcepto jejunandi etiam præsentente Episcopo, maximè si iudicium medici accedat. Quamvis enim jure ordinario Parochis non comperat potestas dispensandi in votis juramentis, & legibus Ecclesiasticis, possunt tamen dispensare. *Primò* ex commissione Episcoporum, ad quos ut ordinarios alioqui spectat. *Secundò* ex consuetudine & necessitate, quando vel Episcopi procul absunt, & difficilis accessus est, vel quando crebri casus, & quasi quotidiani sunt, ut tempore jejuniorum accidit. Quod extendi debet etiam ad dierum festorum observationem, præceptum audiendi Missam & similia. *Addit Filliucius Tr. 27. c. 6. n. 127.* Iecum ipsis dispensare Parochos posse, quando superior deest, à quo petenda esset dispensatio. *Suar. l. 6. de voto. c. 10. Possavin. l. cit. c. 11. n. 22. Silv. V. dispensatio n. 7. & V. jejunium n. 20. Azor. 1. l. 7. c. 29. Q. 3. Toletus l. 7. c. 3. n. 7. Navarr. c. 21. n. 18. Emman. Sa. V. jejunium n. 9. Manuale Parochor. Donellani pag. 171. & seq.*

IX. Parochi ordinaria potestas non extendit se ad excommunicationem ferendam, & alias Censuras in Ecclesia usitatas. Est communis DD. sententia, è quibus *Navarr. c. 27. n. 5.* Causa, inquit, efficiens excommunicationis potest esse Papa, & omnes alii Prælati, etiam minores Episcopis, quales sunt Abbates & Præpositi, & Priores Ecclesiarum Regularium, ac sæcularium, nec non delegati eorum. At verò Abbates, Recto-

Rectores, & Parochi simplicium Ecclesiarum non possunt excommunicare suos Parochianos jure communi, neque specialiter neque generaliter. *Ratio.* Quia excommunicandi facultas non oritur ab ordine, sed est pars jurisdictionis fori externi, juxta *Glo. receptam in c. Transmissam de elect.* Possunt tamen prædictam potestatem habere ex consuetudine præscriptâ secundum *Clement. c. duo simul & c. Cum contingat. de fo. comp. Abb. in c. sacerdos. de offic. Ordinarii.* Denique Parochus subditos suos exhortari quidem serio potest, ac debet, ad audiendam missam diebus Dominicis, & Festis, non debet tamen cogere, ut illam in Parochiali Ecclesia audiât, *Barb. in Extrav. Vicer. de judicis. Sylv. v. Missa §. 2. n. 5. Zetrola par. 2. v. Parochus p. 118 & Piasecus par. 2. c. 3 p. 157.* adductis summorum Pontificum Declarationibus explicat: quin etiam *pag. 154.* monet, pro administratione Sacramentorum, & pro sepultura nihil exigendum esse, salva tamen consuetudine, ubi ea obtinuit. *Con. Trid. Sess. 22. Decreto de observandis & Postremò nõ. 2. audum ex declar. at. Con. Trid. Sess. 24. c. 4. n. 9.* ne quidem ab Episcopo populum cogi posse ad audiendam missam & concionem in Ecclesia parochiali, nec pueros ad discendam doctrinam Christianam, etiamsi hoc fieri voluerit in oppidis, villis, aut aliis locis extra civitatem. Idem de confessione dicendum, quam cuilibet habenti privilegium, aut facultatem facere parochiani possunt. *Clem. dudum de sepult. Extrav. inter cunctas de privileg. Fill. tr. 7. c. 8.* Quid si, inquis, Episcopus prohibeat subditis audire Missam in Ecclesiis Religiosorum, tenenturne obedire? *R. r. Archid. obediendum esse. arg. c. quid ergo 11. Q. 3.*

Licet malè faceret, tollendo pias consuetudines cum scandalo populorum: cum etiam *S. Gregorius* permiserit Sacerdotes chrismare ad scandalum tollendum. *6. pervenit. dist. 95.* Contrarium *Sily.* asserit, videl. non esse obediendum, nec Episcopum id justè præcipere posse, quod consuetudo audiendi Missam apud regulares auctoritatem habet à superiore Episcoporum, id est, summo Pontifice. Addit *Fagundes. l. 2. in Prac. primo Eccles. si excommunicationem addat, fore nullam.*

X. Quæritur, an ubi populus multus est, & rector Ecclesiæ sufficienter datus, teneatur populo diebus Festis præter Missam ordinariam, aliam matutinalem curare, pro iis nimirum qui propter occupationes suas ordinariè non possunt interesse. Dicendum, non teneri, ubi non est peculiaris institutio primissarii: neque id necessario postulat aliquorum impedimentum, qui ab ordinario sacro arcentur: quia ejusmodi necessitas obligationem extinguit. Quod ergo in *Con. Trid. Sess. 21. c. 4.* statuitur, ut ubi unus Sacerdos non sufficit populo numeroso, plures adjungantur, secundum antiquos Canones accipiendum est, & consuetudini deferendum. *Zypæus in Resp. 1. l. 3. de Parochiis.* Quod verò *Dominicus Soto* vult, ut pro subjectis sibi quotidie Missam celebret, nullâ videtur lege sancitum, & occasionem præbet multorum peccatorum, si indigni celebrent. Nec consuetudo suffragatur. Unde sufficere cenleo, si diebus Dominicis, & Festis id faciant, loquendo de ordinariis Missis. Nam de anniversariis & similibus nihil certi præscribi potest. *Navar. cap. 25. num. 135. Fill. tr. 5. n. 174. Toletus l. 5. cap. 5. num. 3. Barb. summa A. post.*

post. Decis. Collect. 555. Rossev. loco cit. cap. 2.
num. 4.

§. IV.

De Coadjutore Parochi.

I. Coadjutor temporalis dari potest & solet Parocho, propter infirmitatem animi vel corporis, quâ inutilis redditur & impotens ad præstandum officiû. Dare illum Episcopi est. Neque enim convenit beneficio privare illum, qui nullâ tuâ culpâ deficit. Causæ explicantur in *tt. 6. De Clerico agrotante l. 3. Decretal. c. 1. 6 eod.* Unde colligimus dandum esse Coadjutorem Parocho leproso, paralytico, amenti, vel furioso: denique illiteratis, & imperitis, qui aliâs honestæ vitæ sunt. *Conc. Trid. Sess. 21. c. 6.* Non minus sufficiens causa censetur, si populus multum creverit, ita ut unius hominis industria minimè suffectura videatur: quanquam *sacra Concilii Trid. Congregatio*, Rectorem Ecclesiæ in prædicto casu dicat, non cogi ad erigendam coadjutoriam, sed ad constituendum tot Sacerdotes, quot sufficiunt Ecclesiæ Sacramentis administrandis. *Conc. Trid. Sess. 21. c. 4. Lancelot. l. 1. tt. 16. Canon. l. 1. tt. 23. Barb. p. 196. Garz. de benef. par. 4. c. 5. Gambar. de off. legati à latere l. 5. tt. de Coadjut.*

II. Illiterati autem & imperiti censentur, qui inhabiles sunt ad præstandum ea, quæ curatis ex officio incumbunt: quod magis usu, & experientiâ, quàm examine prævio, vel ubi hoc omittitur vulgi opinione, ac commentatione discernitur. *Ign. Lopez. in pract. c. 21.* Quamobrem permittitur etiam Episcopis ad examen revoca-

re Parochos jam institutos. Nam revera contingit, ut cum tempore non vitâ tantum, sed doctrinâ quoque deficiant. Ita censuit *Sacra Congregatio* in quadam *Placentina* 26. *Aug. 1628.* Capellanum semel quoad scientiam approbatum non esse iteratò examinandum tradit. *Barb. in Coll. decis. Apost. n. 97. V. Laym. l. 5. tt. 6. c. 11.*

III. Episcopus non tantum ex permissione Concilii Trid. potest Coadjutorem dare Parocho, in casibus supra enumeratis, sed etiâ de præcepto tenetur, & sub peccato mortali, ut apud *Barbosam Sancius* loquitur. Agitur enim de salute & profectu animarum, quibus non minor cura debetur, ne pereant, quàm ovibus suis pastores mundani adhibere solent, qui nunquam permiffuri sunt, ut vel omninò deserantur, vel ab imperito ductore regantur. *O Pastor, & idolum deserens gregem! Zachar. 11. v. 17.*

IV. Possitne ab Episcopo Coadjutor assignari Parocho cum jure succedendi, in dubio est? Non posse censeo, nisi à summo Pontifice dari juxta *c. Nulla de concess. præb. ubi Concil. Lateranense.* Nulla inquit, Ecclesiastica ministeria, seu etiam beneficia, vel Ecclesiæ tribuantur alicui, seu promittantur, antequam vacent. *Additur causa.* Ne desiderare quis mortem proximi videatur, in cujus locum & beneficium se crediderit successurum. Cum enim in ipsa *eriam gentilium* legibus inveniat inhibita, turpe est, & divini plenum animadversione judicii, si locum in Ecclesia *DEI* futuræ successione expectatio habeat, quâ ipsa *eriam gentiles* condemnare curant. *Ita Concil. Later.* Insuper promissiones factæ de Ecclesiis nondum vacantibus, sed vacaturis inanes sunt
I
atque

atque irritæ *c. relatum eod.* Circa caput *cit.* Nulla notat *Barb. 1.* intelligendum de inferioribus à Papa Prælati. Hi enim expectativas ad beneficia vacatura principaliter concedere non possunt, pro modo & varietate temporum ac prohibitionum de hac re loquentium, nimirum *Alexand. III. in Con. Lateran. de quo in cita. cap. Inno. III. in c. Dilectus 19. de præbend. & Bonif. VIII. in c. 2. hoc tit. in 6. Item c. deliberatione de off. legati in 6. 2.* Non esse extendendam prohibitionem ad officia secularia. Illa enim Reges & Principes possunt promittere in tempus, quo vacaverint. *Steph. Gratianus in Disceptat. forensib. cap. 818. num. 38. Rodericus to. 1. art. 6. Barbosa & alii.* Idem Ecclesiastici & regulares Prælati circa officia non Ecclesiastica, & officiales qui sibi & Ecclesiis suis subjecti sunt, poterunt: cum pœnalia & onerosa decreta non conveniat extendere ad eorum omiffum, & alterius ordinis: quamvis assignata ratio in illis quoque locum aliquantulum habere videatur. Adde, quod in *2. p. tit. 9. §. 1.* probabimus jure naturali non prohiberi Dynastis, ne officia civilia aut bellica pretio vendant, modo ad satisfaciendum idoneis personis committantur. Nam ejusmodi beneficia seu officia, numerantur in bonis, & patrimonio Principum, non lecus atq; alia bona temporalia *V. Azor. Fo. III. l. 3. c. 7. Q. 1.* Non expedire tamen vendi prædicta officia multi DD. tam laici, quam profani censent. *Adrian. in 4.*

Bonac. tom. 2. p. 495. n. 10. Em.

Sa. V. offic. n. 13.

*
*

De Juribus Parochi & substitutione.

I. Oblationes, quæ in usum Ministrorum Ecclesiæ dantur, sunt de jure Parochiali *c. Quia Sacerdotes 13 c. Sanctorum 12. q. 1.* Illis enim debentur pro administratione Sacramentorum Verum quidem est, jure communi non extare præceptum de oblationibus faciendis, debentur nihilominus, & cogi possunt ad dandum in quatuor casibus. *Primò* cum per modum census pensionis aut cõventionis exiguntur. *Secundò* cum testamento, legato, donatione, voto, aliove modo addictæ sunt. *Tertiò* cum minister Ecclesiæ non habet sufficientem sustentationem. *Quartò* cum consuetudo est recepta & approbata. In his duobus postremis casibus quantitas oblationum arbitraria est. *Quemadmodum* fusiùs dicemus in *par. 2. summa tit. 1. §. 1. Silv. V. decima n. 1. s. Thom. 2. 2. q. 82. art. 1. Silv. V. decima n. 2. Suar. l. 1. de relig. pag. 60. Barb. in tr. de appellat. utriusque Juris signif. appell. 172. Fagund. in 5. Prec. l. 4. c. ult.*

II. Rectoribus Ecclesiarum & Parochiis debetur quarta funeralium jure communi *c. 1. de sepulturis Clem. dudum eod.* Illam verò debet Ecclesia in qua sepelitur defunctus, ex iis, quæ legavit. Nec excipiuntur Mendicantium ordinum Ecclesiæ, in quibus sepulturam eligunt morientes. *Clem. cit. dudum §. Verum.* Aliqui tamen volunt non extendi ad Monasteria seu Ecclesias Monialium Ordinis Minorum & Prædicatorum. Verius est non excipi, post *Con. Trid. quod Sess. 25. c. 13.* generaliter loquitur: Non obstantibus quibuscunque privilegiis, etiam *Mare magnum* nuncupa-

tis,

ris. Excipe verò Monasteria ædificata à quadraginta annis citra, aut quæ indies ædificantur, Congregatio Card. declaravit *V. Con. Trid. l. cit. Roderic. To. III. Q. 46. Lancelotus l. 2. tit. 25. Piafec. par. 2. c. 5. Petrus de Vvaldis de Canon. port. c. 5. Q. 2. Possivin. de Curato. c. 14. n. 10.*

III. Primitiæ seu primi fructus terræ eo anno collecti debentur illi Parochiæ, in quâ prædia existunt, si non resistat consuetudo; quæ sunt onus prædiale, non personale, cum offerantur Deo pro recognitione supremi domini naturalis, quod habet in omnes terræ fructus. *Moscomius l. 1. par. 3. c. 3. Decimæ similiter, quatenus consistunt in iure percipiendi fructus post divisionem Parochiarum solis Parochis competunt, ita ut nullus alius prædictum jus habere possit. Constat ex to. titulo de decimis. Decimæ enim pro ministerio spirituali debentur, ut latius explicabo in par. 2. tit. 2. Dixi Competere solis Parochis, ita ut alius prædictum jus habere nequeat. Nam duobus modis considerari possunt decimæ. Primum ut significant jus percipiendi decimarum fructus. 2. ut significant ipsam perceptionem. Hanc à laico possideri non repugnat. c. 2. de locato ubi ab Innoc. III declaratur fructus decimarum à Clericis locari posse illis à quibus emolumentum speratur, ita tamen ut hujusmodi locatio ad feudum vel alienationem non extendatur. Cæterum, quia Parochi alii majores alii minores sunt, Decimæ primo loco Episcopis debentur, Parochis verò post Episcopos, ad quos ex antiquo jure quarta pars spectat, dividenda cum aliis Ecclesiæ ministris qui altari deserviunt. *Sylv. V. Decima n. 3. Armilla eod. Filluci. tr. 27. c. 9. Bonac. tom. 2 p. 346. Vallens. l. 3. tit. 30. §. 1. si contingat nega-**

ri decimas, absumi vel quocumque modo alienari, actionem ex lege aut Canone *l. un. ff. de condit. parochus habet. Az. l. l. 7. c. 36. Layman. l. 4. tr. 9. c. 2. Zerola V. Decima n. 15. Piafec. par. 2. c. 4. Zypaus consultat. Canon. l. 3. consult. 4. Et l. 3. Respons. n. 3.*

IV. In quibus locis pro decimis sufficiens alimonia parochis exhibetur, cessat per contrariam consuetudinem ius exigendi. Neque enim vel ratio, vel Christi ordinatio vel alia jura plus requirunt quam ut qui altari ministrant, de altari vivant, undecumque id proveniat. Quod observatione dignum propter inquietos nonnullos, & parum cautos parochos, qui sibi, & parochiæ ius decimarum ablatum esse queruntur. *Piafecius Par. 2. c. 4. de decimis Toletus l. 6. c. 20. n. 2. Less. cap. 39. dub. 4. Fagundes in Prac. Eccl. lib. 1. c. 1. V. Par. II. tit. 2. §. 2. Quib. personis deb. decimæ.*

V. Quod vacationem attinet, Parochus esse definit vel per obitum, vel per ademptionem alterius beneficii, incompatibilis, vel per renunciationem. De hac speciatim annotat Barbosa hodie in Curia Romanâ non admitti absolute, & indistincte, præsertim si cum pensione reservata fiat. Nam quotiescunque resignatur Parochia, exprimi vult Dataria, quanto tempore illud resignans obtinuerit, quod si breve fuerit, reiiicitur resignatio. Idem in permutationibus fieri solet à tempore Gregorij XIV. Deinde in renuntiationibus parochiarum cum reservata pensione in favore resignantis solet poni clausula dummodò remaneant 100 libræ pro Rectore. *Con. Tr. Sess. 24. c. 18.*

VI Modum substituendi Rectorem & Parochum Zerola præscribit *V. Parochia §. ad secundum. Cum, inquit, parochialis ecclesiæ vacatio contigerit, statim*

§. V. DE JURIBUS PAROCHI.

in eâ Ordinarius Vicarium, seu Oeconomum cum congrua ejus arbitrio fructuâ portione constituar, qui onera ipsius Ecclesiæ sustineat, donec de Rectore provisum fuerit. *Con. Tr. Sess. 24. c. 18.* Porro Ordinarius ponet edictum publicum ad valvas Ecclesiæ Cathedralis, seu Parochialis vacantis intra triduum, quo vocentur omnes, qui volunt examinari. Transacto constituto tempore omnes, qui venerunt ad concursum, examinentur coram Ordinario, & examinatore Synodalibus non paucioribus, quam tribus & qui examinatore judicio magis idoneus reperietur, Ecclesiæ præficiatur. *Con. Tr. l. cit. Piafec. P. 2. c. 2. n. 3. Zerol. V. Parochus. §. ad 2.* De modo examinis, & admissionis aliisque huc pertinentibus plura Dubia enucleat *Zerola l. cit.* quæ apud eundem leges. Nobis quidem in hac Germaniæ parte, ubi concursus non habet locum, minimè necessaria sunt. *Franc. Leo in thesauro Fori Eccl. parte 2. c. 18. Garz. par. 9. c. 2. Barb. in Coll. Decis. Apost. Collect. 341 Navar. c. 25. n. 133. Less. c. 37. dub. 10. Tolet. l. 1. c. 1. & seq. Escobar. Tract. 5. Exa.*

1. §. 4. Sed necessarium in primis est, ut illi, quibus eligendi & admittendi ad curam animarum cura commissa est, non leviter, & perfunctoriè inquirant in mores eorum, qui sese ad tam arduum munus offerunt, præsertim, quando ex aliena Diocesi confectis ad excusandam migrationem suam causis absque legitimo testimonio adveniunt. Non paucos supplicii metu sedes mutare compertum est, paucos vitæ integritate commendatos vagari. Præterea cum recipiendi videntur, ne laborem & molestiam, quæ non modica est fugiant, & transmittant promovendos, sed juxta sacrorum Canonum præscripta accuratè explorent doctrinam illorum, de modo administrandi Sacramenta, juvandi infirmos, pascendi oves, quibus præesse desiderant, ne aliquando coram omniscio & implacabili iudice DEO, & de ovibus, & de ovium pastoribus difficile illis sit rationem reddere, secundum quam à prædeterminatis pœnis eximantur. Quisquis enim perierit, de illorum manu requiret Dominus.

TITULUS IV.

De Canonicis.

Unde Canonici nomen suum traxerint, cura superflua videtur inquirere. A Canone derivari notissimū est. Hoc ævo nobilioribus è Clerico quasi proprium tribuitur, ad discernendum ab inferioribus, qui Clerum secundarium constituunt. *c. 1. Dist. 3. Azor. nihilom. l. 3. c.*

11. q. 1. à Canonica pensione mavult derivari.

§. I.

Origo Canonicorum, & Varietas.

I. EX Concilio Toletano XI. & S. Augustino *Serm. 22. De communi vita Clerico-*

clericorum colligimus, episcopos illius temporis solitos fuisse deligere clericos, melioris & sanctioris vitæ cupidos, qui se cum in eadem domo habitarent, eadem mensa fruerentur, servando paupertatem, & Castitatem sub Obedientia: idque exemplo primorum Christianorum, qui ut *Autor. cap. 2.* legimus, abdicata rerum suarum proprietate de communi vivebant, sua cuique assignata portione, quam posteriores præbendam vocarunt. De his multa reperies in *Causa 12. q. 1. Concilii Mogunini c. 9.* decretum est, ut Canonici clerici canonicè vivant, observantes divinæ scripturæ doctrinam, & Sanctorum Patrum documenta: nihilque sine licentia episcopi sui, vel Magistri agere præsumant: in unoquoque episcopatu simul manducent, & dormiant, ubi his faciendi facultas suppetit, vel qui de rebus ecclesiasticis stipendia accipiunt. In suo claustro manent, & singulis diebus mane hora prima ad lectionem veniant, & audiant, & obedientiam secundum Canones suis Magistris exhibeant. Secundum hanc normam qui vixerunt olim, nihil vel parum quoad mores à Monachorum instituto & perfectione aberant. *Navar. Comm. 2. De Regular. Pennott. in histo. Canon. l. 1. c. 32. Hier. Platus l. 2. de bono Sta. Relig. c. 23.*

II. Prædicti Canonici non unius generis fuisse videntur. Aliqui enim vitæ communi paupertatis votum addiderunt, & Canonico regularium nomen sortiti sunt. Alij præter communia bona proprium aliquid retinebant, & quia certæ regulæ addicti non erant Canonici simpliciter appellati sunt. Tempore post (annum & diem non est facile assignare) magis magisque separarunt se alio habitu;

aliisque ritibus inventis; & dici cœpere Canonici sæculares, relicta regularium Canonico nomenclatura illis, qui Monachis essent propinquiore. *Polyd. Virgil. de invent. rer. l. 7. c. 3. Lorch. in Theol. V. Canonicus. Tribem. in Chron. Hirsaug. Ann. 957. Lud. Ponte to. 4. de pers. Christ. tract. 1. cap. 8. Tholos. l. 15. cap. 23. num. 18. & 19.*

III. Regularium Canonico genera duo reperimus. Vnum illorum, qui vel in Ecclesia Cathedrali regulari, vel in alia non Cathedrali Canoniam habent, & certam portionem cum potestate disponendi, prout necessarium fuerit, de quibus possunt etiam inter vivos donationem facere, quemadmodum illi, qui ulum fructum habent. De his *Navar. in Consilio 13. n. 2. & 3.* exemplum ponit in Canonico ecclesiæ Cæsar angustanæ & Pampilonensis. Plures in Anglia fuisse *Ostiensis* indicat in *Causam de iud.* In eiusmodi Canonicos omnimodam iurisdictionem habet episcopus, exceptis iis, quæ concernunt regularia instituta. Officiales illorum diversi sunt ab iis, qui apud Canonicos sæculares reperiuntur. Alius enim thesaurarius, alius cellarius alius Camerarius nuncupatur.

Alterum genus in Germania nostra notius est illorum, qui in cœnobio & sub obedientia Prælati seu præpositi vivunt absque omni proprietate & jure administrandi bona temporalia. Auctor illorum putatur esse *S. Augustinus*, cuius regulam profitentur: quamvis non desint, qui ante *S. Augustini* ætatem extitisse eiusmodi Canonicos velint, institutos nimirum à *S. Rufo Pauli* Apostoli discipulo. Hunc *Dorotheus in Synopsi* scribit fuisse *Thebanum*

episcopum Maurolyus verò in Galliam delatum, & Avenione episcopum constitutum Canonicos regulares introduxisse. Verùm hæc incerta, & extra propositum sunt. Legi potest *Crusenius in Monastico Ordinis S. August. & Gabr. Pennottus de ebd. arg. Azor Tom. 1. l. 12. c. 22.* Nos in sequentibus nõ nisi de Sæcularibus Canonicis agemus, quem ordinem primò ab Apostolis institutum, & progressu temporis labantem à S. Augustino Regulâ formatum, & firmatum credunt magni nominis auctores apud *Azorium l. cit. Q. 1.*

§. II.

De institutione Ecclesiarum Cathedralium, & Collegiatarum.

I. Cathedralis ecclesia à Cathedra nomen habet, quia in eâ considerare, & populũ docere episcopus debet, & quamvis eadem revera Collegiata sit, distinctionis causâ tamen non Cathedralis ita appellatur, nimirum à coeligendo, vel quia collecti in unum constituunt communio, nem quãdam ecclesiasticam. Dignoscitur autem ex eo, quod habet sigillum commune & arcam, ex qua fructus dividantur communiter, & ad sonum Campanæ arbitrio Decani, vel alicuius Superioris conveniunt. Ad id numerus ternarius personarum sufficere censetur. *Felinus in c. in nostra. de rescript. n. 74. Oldrad. Consil. 281. Azor II. l. 9. c. 3. Mosconius l. 1. Par. 1. c. 16.*

II. Nihilominus Ecclesiæ titulus cum absque adiectione aut expressione alicuius Sancti auditur, per antonomasiam de solâ Cathedrali intelligi solet iuxta antiquum stylum Curia Romanæ. Ad probandũ verò, hanc illamve ecclesiam Cathedralẽ esse docet I. antiquissimus ritus celebrandi fe-

stum diem Dedicacionis 2. facultas exigendi decimas in territorio Civitatis soli Cathedrali competentes iuxta *c. Quoniam & c. Cum contingat ubi Glo. & DD. de decimis. 3.* jus extrahendi defunctorum corpora ex alienis parochijs, eaque sepeliendi, quod ecclesiis omnibus prohibitum solis cathedralibus conceditur. 4. Sacramentorum omnium administratio *c. 3. & ult. de paroch.* Denique prærogativa præminentiarũ, ut v. g. in festo Corporis Christi ex eâ deducatur Venerabile Sacramentum cum processione, & reducat: Item ut in eâ Synodus colligatur & similia. *Mosconius l. 1. Par. 1. c. 15. Piafec. Par. 2. c. 3. n. 50. Barb. in c. Officium de off. Archid.*

III. Nemini qui Papa inferior sit, erigere vel instituere licet ecclesiam Cathedralẽ, Collegialem, vel parochialem. Ita communiter *DD. apud Barbosam de Canonicis c. 2.* Aliqui tamen nõ postremæ notæ interpretes episcopũ putant ex ecclesiâ parochiali posse Collegiatam facere *l. Quoniam de Vi. & hone. clericorum:* quanquam dici posset, id cum episcopus facit, auctoritate & voluntate summi pontificis facere. Cæterum in erectione novæ ecclesiæ cathedralis, aut Collegiatae consideranda sunt ista. Primò, ut locus, ubi constituenda est, habeat populum nobile, & numerosum, cui absque tali erectione non esset satis provisum. Secundò ut populus in moribus, & honestate præfulgeat. Tertio ut ibi sit copia Sacerdotũ, ne episcopalis sedes contemptui sit. Quarto, si rex infidelium quisquam Christiana sacra suscipiat cum populo suo, sufficiens causa est in Vrbe regiã vel Cathedralẽ ecclesiã vel etiam metropolitanam constituendi *c. episcopi D 80. c. Pracipimus c. Felix 16. q. 1. c. Ex parte de constit. & ibid. Interpretes. Imperator*

rator quoque erigere potest Metropolitanas, & Cathedrales civitates quoad privilegia secularia ac si ibi esset Archiepiscopus, vel episcopus. Sed quoad dignitates ecclesiasticas creationem episcopi, vel Archiepiscopi solus Papa efficere potest. *Glo. in c. 1. ne sede vacante &c. Quod translationem. Mosconius l. 1. Parte 1. c. 15. Innoc. in c. cum ecclesiarum. de offic. Ordin. Rebuffus in Praxi beneficior. pag. 228.*

IV. Ad eundem Papam spectat in actu erectionis vel institutionis Ecclesie Cathedralis, aut Collegiate Canonicos nominare, quia sine his ecclesia consistere non potest *Barb. l. cit. n. 21.* Requiritur autem, ut diximus, minimum trium personarum numerus, quamvis id raro permittendum, sed pro ecclesiarum utilitate & dignitate expediat plures associare: post erectionem episcopo licet novos creare, & addere Canonicos pro arbitrio, modo non desit congrua portio illis. *Glo. in Clem. 2. de decimis.* Non potest tamen episcopus etiam post erectionem creare Canonicum super numerarium ad futuram prebendam, ut censuit Congregatio Card. Idem Capitulo denegatum est *Nicol. Garz. de benefic. par. 6. c. 1. Zylius in analyt. enarr. l. 2. de concess. prebende. num. 2.*

V. Inter Canonicos a Papa & episcopo creatos differentia est in prioritate. Illi enim ceteris paribus preferendi sunt, ut sicuti auctoritate dignitate preeminet, ita etiam opera ipsius & Creaturae. Sic etiam Doctor a Papa creatus, vel a Principe precedit alios in quibuscunque Collegiis creatos secundum *Rebuffum in tract. nominato q. 21. cui consonat. Steph. Gratianus disceptat. forensium c. 186. n. 75. Gonzal. ad reg. 8. Cancellar. §. 3. Barb. ad c. Episcop. 7. dist. 17. Item ad c. hi qui. de prebend. & Digne. in 6. Limita nisi obstant Acade-*

miarum, seu Universitatum Statuta, privilegia & consuetudines, quibus non derogare censentur, qui eas confirmarunt.

VI. Quia Canonici in clero, ut primaria membra eminent, utpote in dignitate constituti. *Causam qua De of. & pot. Iud. deleg. ubi Barb. habitu distingui convenit.* Præter lineum amiculum, quod Canonicis omnibus imo clericis commune, alicubi epomidem humeris gestabant ex pellibus confectam. Unde superpellicei nomine. Aliqui almutiam vocant, & brachio sinistro suspensum gerunt. *Aloys. Riccius in praxi for. par. 4. Res. 363. Barb. pag. 16. & collect. decis. Apostol. num. 88.*

Nota quod dicitur Canonicos in dignitate constitutos esse, sed dignitatem habere, improprie & largo modo accipiendum est, eo quod censeantur Consiliarii, & membra episcopi *Felinus in c. Pastoralis n. 12. de off. delegati Palaeus in Archiep. Bonon. p. 7. Piasecius Par. 2. c. 4. pag. 265 Azor II. l. 3. c. 11. q. 16.* Et hoc ipsum intelligitur non de actu, sed potentia: non de singulis generum, ut Dialectici loquuntur, sed generibus singulorum.

VII. Cum in locum defuncti Canonici alius eligitur, vel recipitur, pro tali actu non licet a novo Canonico quicquam accipere, ne Simonia committatur: si tamen statutum vel consuetudo est, ut esculenti aliquid detur, aut biretum, tenetur solvere. Neque recipientes peccant secundum *Felinum in c. Iacobus de Simonia. Moscon. l. 1. par. 1. c. 15. Barb. coll. decis. Apost. n. 88.* Unde sequitur, multo magis licitum, imo necessarium esse, dare ingressum, uti vocant, quamvis integri unius anni fructus essent. Nam quae huius generis sunt, longe alium, quam Simoniaca donaria finem respiciunt, & intendunt; puta, ecclesiarum conservationem, Capituli emolumentum, necessitatem, utilitatem, & similia.

Tolle

Tolle malitiam, & corrige Simoniam.

VIII. Si quo casu deficeret omnino ecclesia vel cathedralis vel Collegiata, quæcunque remanent, ad Papam devoluuntur. *Glo. in c. statutum 22. de elect. in 6. Mosconius l. 1. Parte 1. c. 16.* Papa enim non minus, quam Imperator Fiscum habet, *Bald. in c. 1. §. ad hac in tt. de pace iur. firm.* Et sicut Romana ecclesia ubique est, ita Fiscus ipsius. *Martin. de fisco, Q. 206. Abb. in c. Vergentis. de heret. Augustin. Berous Consil. 114.* Atq; eam ob causam Romana civitas jure Fisci caret. *Abb. in c. fin. n. 45. de foro compet.* Sed Camera Papæ fisci locum occupat. *Abb. in cit. c. Vergentis. de hereticis Piaser. Par. 1. c. 2. nu. 1. Antonius Peregr. de iure Fisci l. 1. pag. 20. & sequ.*

§. III.

De Canonicis supernumerariis.

I. IN quibusdam ecclesiis Collegiatis nec præbendarum, nec personarum distinctio, & certus numerus est ut in casu textus c. *Ex parte 10. de concessione præb.* In quibusdam est certus numerus Canonicorum, sed nullus numerus aut distinctio præbendarum ut c. *fin. §. si autem de concess. præb. in 6.* In quibusdam est certus numerus Canonicorum, & præbendarum, sed inter illas nulla divisio aut distinctio: imò bona sunt respectu Capituli communia, super quibus indistinctè & quasi in confuso institutus est numerus beneficiorum correspondens numero Canonicorum. In aliis denique non tantum præbendarum, & personarum certus numerus est, sed etiam ita distinctæ sunt præbendæ, ut singulis sua quota assignetur quemadmodum in Germania nostra passim cerni-

mus. Atque hic numerus non debet esse minor duodenario, siquidem ecclesiæ munia rite obeunda sint, & ecclesiæ dignitas conservanda. Et talis ecclesiæ vocari solet *Numerata. Mosconius l. 1. cap. 15. Barb. in c. ex parte de concess. præbenda. Layman. l. 4. tr. 2. c. 16. Azor. 11. l. 3. c. 11. Lapus alleg. 14. V. Quintæ Bald. Consil. 472. Tuschus V. Canon. concl. 32.*

II. Quia Canoniam & præbendam separabiles sunt, ita ut altera sine altera conferri queat, & vocem in Capitulo ac locum in choro absque ullo redditu proventu quis habeat c. *Eum cui. de præbend. & dignit. in 6.* fieri potest, ut absque præbenda & privilegiis aliqui admittantur, qui quod præfixum numerum superent, *Supernumerariis* appellantur. *Glo. & Abb. in c. Cum M Ferrariensis de Constit. Barb. in c. 4. sess. 24. Con. Tr.* Horum duæ sunt species, una juris, altera facti. Iuris est, quando Papa mandat Capitulo ut recipiat in Canonicum & fratrem N. illique conferant jus Canoniam. Facti, cum creat Canonicum aliquem supra numerum, & præcipit, ut sic creato assignetur locus, & præbenda. Vbi varietas esse potest, si vel ad omnia jura Canonicorum admittatur à Capitulo, vel ad aliqua tantum V. g. locum in choro & fructus non verò ad electiones & alia. *Abb. in c. Cum super de conc. præb. Laym. l. 4. tr. 2. cap. 16. Az. 11. l. 3. c. 21. Diaz. in Reg. 68. Barb. in c. Vacante de præb. & dignitat. Tuschus concl. 30.*

NOTA. Legatum à latere potestatem habere creandi Canonicum supernumerarium tradit *Petrus Gambarus l. 3. de off. leg. pag. 92.*

III. Dubium est, an qui Canoniam cum spe futuræ præbendæ obtinet, beneficium ecclesiasticum habeat? *Abb. in c. in nostra de refer. non habere putat, quia nondum habet*
ius

Jus in præbendâ, sed jus ad eam. *Vnde Ioan. Andrea in c. dilectus de præbend. ait* Canonicû sine præbendâ dici Canonicum in herbâ. Quod si verum est, non erit obligatus ad Horarias preces, quamvis adesse in choro debeat & divinum officium cum reliquis peragere. Quocirca illum habere beneficium censet *Ludov. Romanus. Ioan. Andr. in c. cum dilectus l. de præbend. Azor l. l. 3. c. 11. q. 3.* quia jure percipit distributiones quotidianas, & aliis beneficiariorum juribus fruatur. Non sunt igitur audiendi, qui Canonicos supernumerarios nullum omninò jus habere contendunt, eò quòd nò re ipsa, sed solo, nomine canonici sint: quanquam non repugnat cum prædictâ vacuitate aliquos assumi. Imò sic fieri in quibusdâ ecclesiis Germaniæ, Galliæ, & Italiæ, affirmat *Azor. lo. cit. ut nimirum iuvenes, dū literis dant operam in Collegium Canonicorum cooptentur, quibus tamen præbenda non statim detur, sed postea cum aliqua earum Canonico & possessore vacat. Barb. in c. Relatum de præbend. Castrens. consil. 363. Manrique l. 2. Q. 10.*

IV. In ecclesiis Collegiatis infra Cathedrali augeri potest numerus Canonicorum à Capitulo, si consentiat episcopus, nisi certus numerus communi decreto, & iuramento fuerit constitutus. *Abb. in c. cum M. Ferrariensis. Nec dubito, quin idem fieri queat in Cathedralibus propter paritatem rationis. Monet autem Mosconius l. 1. Par. 1. c. 15. non licere numerû Canonicorû augere, nisi simul augeantur proventus, nec minuire sine diminutione fructuum, & tam augmentum quam diminutionem à Papa tantum faciendam, quando Canonici in erectione ecclesiæ coram illo iurarunt, se numerum Canonicorum nunquam aucturos*

esse. Addere poterat, ut faciant licite, iuramenti sui dispensationem petere posse. *Barb. in c. Non amplius de institutione. Eadem cautio (ut hoc quasi in transitu moneam) apprimè commendanda est Monasteriis, & religiosis domibus, cum viroarum, tum mulierum, ne de personarum numero augendo, anxie nimium solliciti sint, si conservare nomen Ordinis, & Dignitatem desiderant. Neque enim in multitudine salus, sed pauci electi sunt, quorum virtute & perfectione fervetur Ordo, cuius sublimitas aditum multis non permittit. Ita in plerisque Ordinum statutis sancitum reperies.*

§. IV.

De Canonica & Præbenda.

I. Canonica definitur jus spirituale ad locum (*Vulgo Stallum*) in choro, & vocè in Capitulo, quæ sunt Canonicorum propriæ notæ ac prærogativæ. *Vnde consequitur, ut ea quæ divini officii, sunt exercere valeat, & nisi quid obstet, fructus lucretur. Præbenda vero est spirituale ius recipiendi certos proventus in ecclesiâ cui servit, competens ex officio divino tanquàm uni ex Collegio. Glo. V. Receptum in c. cum M. Ferrariensis de Constit. Hæc propriè invenitur, ubi bona ecclesiæ divisa sunt. Nā ubi indivisa manent, non propriè præbenda, sed portio appellatur. Est autem Canonica Portio duplex. Vna pro victu datur ministris ecclesiæ & recitantibus divinum officium: altera assistentibus tantum, qui propter continuam assistentiam Assisij vocantur. *Ostiens. in summa V. Canonici ad tit. de præbend. Rodericus à Cunha comm. ad c. Sanctorum Dist. 70. Barb. præfat. in tit. de præbendis. Az. l. l. 3. c. 11. Q. 3. & 4.**

K

II. Præ-

II. Præbendarū aliqui quinque species constituunt, de quibus *Glo. in V. Reperint in c. cum M. Ferrariensis de const.* Alii ad tres reducunt, & melius. Nam *Primò* largè summi potest pro omni jure percipiendi fructus in ecclesia ratione officii. De hoc jura loquuntur, quandoque fit mentio de beneficio ecclesiastico, nec renūciare illi abtque consensu superioris licet. *Secundò* sumitur pro patrimonio & redditibus beneficii, estque illius velut appendix seu accessio beneficium sequens *c. Maiorib. c. Relatum. c. dilectio de præbend.* Hinc Canoniam dicitur esse mater præbendæ, eamq; parere. *Tertio* sumitur pro certa portione per se distincta, in qua nihil spirituale, cuiusmodi est prædium. Et talis præbenda laico concedi potest pro laboribus & meritis suis, Advocati, Syndici, Organædi, Musici, & his similes, qui ecclesiæ serviunt, frui solent. *c. fin. de Magistris. c. Possessiones 16. q. 1. c. dilectus de præb. Barbos. lo. cit. Canis l. 2. tit. 27. Vallensis l. 3. tit. 5. n. 1. Anton. Cucchius l. 2. Instit. tit. 6. Lancel. l. 1. tit. 26. Franc. in c. Si Clericus §. 1. de præben. in 6. Bellamer. Consil. 34. nu. 4. Card. Tuschus. V. Canonicus concl. 30.*

III. Inter Canoniam & præbendā hanc quoque differentiam ponunt aliqui quod Canoniam ex se non sit beneficium, uti præbenda spiritualis *c. Dilectus 19. de præbend. c. in nostra 32. de refer.* ubi mentio fit aliquorū qui in quibusdam ecclesiis recepti quidem sunt nondum tamen beneficium ecclesiasticum consecuti: Canoniam videlicet habebant sine præbenda. Neque id mirum cum olim Canonici fuerint sine præbendarum distincto numero, & nunc quoque in illis apparet, qui in numerum Canoniceorum recipiuntur cum spe consequendæ aliquando præbendæ. Verū prædicta con-

suetudo per *Conc. Trid. sess. 24. c. 19.* sublata est ita ut super Vacaturā præbendā neque Episcopo, neq; ulli Capitulo liceat supernumerarium Canonicum creare, qui nimirum solo & inani titulo contentus ad ea, quæ eventire feliciter possunt, anxie inhiet, nunquam fortè adepturus, quorum causa clericis se associavit.

IV. Canoniam & præbendam Canonialis quia est quocunq; alio beneficio nobilior in odiosis nō comprehenditur sub nomine & appellatione beneficii *c. Statutum de præbend. in 6.* Neque si concedit Pontifex beneficium petenti, quod vacaret in Cathedrali comprehenderetur præbenda Canonialis secundum Archidiaconum in *c. Alienationes 12. q. 2.* sed inferioris generis & notæ. Excipe ecclesiam, in qua præter præbendas non sunt alia beneficia. Pari modo, cum Pontifex mandat alicui, de aliqua ecclesiarum civitatis vel diocesis provideri, non extenditur ad Cathedralē, sed illa inferiorem. *c. Quamvis plenissima. de præb. in 6.*

V. Dubium est, an impetrans Canonicatum sibi, teneatur in literis mentionem facere, de præbenda, ita ut si tacuerit, impetratio surreptitia censeatur. Negant *Pet. de Anchar in Reg. Accessorium col. 26. n. 14. Decius in c. Cum adeo col. 1. n. 2. de rescript. Selva Par. 3. Q. 15.* quia Canonicatus non potest esse sine præbenda, licet præbendatus possit esse sine Canoniam. A 1 verò teneri ad faciendam mentionem de præbenda, ut evitetur surreptio, cedit *Bortel tit. 29. n. 17. Aloys Riccius Par. 6. Collect. 2451. Panor. in c. cum adeo. Notab. 3. Barbat. col. 3. nu. 18. Felinus col. 1. & alii plures:* qui videntur supponere hæc duo Canoniam, & præbendam distincta esse. Nam si coniuncta sint, ut in
Germa-

Germania nostra, supervacanea quaestio est, ita ut illud se crederet, cui absque prae-benda, & fructibus Canonicatus promitteretur. *Felinus c. Cum aded de reser.*

§. V.

De dignitate, & pralatione Canonicorum.

I. **Q**uamvis iure & consuetudine Cathedralium ecclesiarum Canonicis Collegiati, & his alii de clero minores cedant, Canonicatus tamen etiã Cathedralis ecclesiae ut sic, propriè loquendo, non est Dignitas, quia ex prima institutione nullã habet iurisdictionem annexam, nec prae-rogativam aliquã, ut alios antecedit. Veniunt nihilominus nomine Dignitatum largè sumpto quemadmodum supra diximus §. 2. n. 6. quandoquidem Canonici episcoporum adjutores, consilarii, imò fratres censentur. *c. Quamvis de praben. in 6. Mosconius l. 1. Par. 1. c. 15. p. 292. Ant. Cucchus l. 1. Inst. tit. 3. Zerola par. 2. V. Canonica. num. 3. Barb. in c. cum te de off. & pot. Iud. Gonzal. ad Reg. 8. Cancell. Gloss. 2. Flam. de resign. l. 2. Q. 1.*

II. Cathedralium ecclesiarum Canonici Summi Pontificis esse Delegati possunt *c. Statutum de reser. in 6.* ubi dicitur, Sancimus igitur, ut nullis deinceps, nisi dignitate praeditis, aut personatum obtinentibus, seu ecclesiasticum Cathedralium Canonicis causae auctoritate literarum Sedis Apostolicae, vel legatorum eiusdem de cetero committantur. In quo textu tertium locum Canonici Cathedralium habent inter personas habiles & idoneas, quibus ecclesiasticae causae committantur, quia nimirum praesumitur, ut genere nobiles, sic etiam eruditione & prudentia esse. Quod si in aliquibus locum non habet, communi parentum, ac maiorum suorum laude vi-

vunt, & sustentantur.

III. Non tamen excludunt alios, quò minus ad unum aliquem actum subdelegari possit, quavis nullam dignitatẽ habeat, dummodò alias sint idonei & legales, puta, ad testium examinationem, instrumentorum collationem, vel alium similem actum: cumque per talem subdelegationem tota iurisdictione Apostolica non transferatur, & talis articulus expediri possit absque causa cognitione, nõ immeritò tolerantur in exercitio illius etiam simplices clerici, & privatae personae, quae nullam habent dignitatem. De Canonico Cathedrali regulari variant sententiae & negandum videtur, quia Monachis similiores sunt, & putantur non habere *velle & nolle*. Contrarium tamen defendit *Abb. in c. cum olim. de Privileg. n. 13. Roderic. To. II. Q. 124. ar. 1. Lud. Gomez in c. Statutum. nu. 32. de reser. in 6. Sanch. l. 6. Moral. c. 13. n. 83.* Valet enim iuxta *Clem. 2. de reser.* commissio facta religioso à Sede Apost. quod in eo reperitur qualitas, qui sufficit in clerico saeculari, ut si sit Prior Conventualis. *Barb. c. 19. n. 14.*

IV. Quæritur etiam de causis ad forum ecclesiasticum spectantibus, an illarum ludez possit esse Canonicus Cathedralis non designatus in singulis Conciliis provincialibus, & diocesanis iuxta *Conc. Trid. Sess. 23. c. 10.* Censeo non posse, quamquã si usum spectes, ne quidẽ à Pontifice observatur à quo eiusmodi causae committuntur aliis, quàm à Synodo deputatis, tum quia ignorat illorum nomina, tum quia praesens necessitas moram non patitur. Crediderim tamen illis in locis, ubi eius generis Decreta, contra morem & consuetudinem priorem recepta sunt, solis à Synodo electis ecclesiasticas causas committi.

V. Canonici Cathedralis comparantur ad episcopum sicut ad Papam Cardinales, ideoque vocantur consiliarii ipsius & fratres. Quamobrem ut Papa in arduis negotijs Cardinales suos, ita Canonicos episcopus consulere debet: nec ab illorum sententia absque gravi causâ recedere c. si quis venerit. de mai. & ob. Abb. in c. cum consuetudinis de constit. & c. cum dilectus eo. Ioan. Andr. in si. de officio Archidiaconi l. 6. Soto in 4. D. 24. Q. 2. art. 4. Mosconius l. 1. par. 1. c. 15. Barb. 6. 18. de Canon. & dignit. Cuius rei causâ in quibusdam diocælibus usu receptum est, ut omnia mandata publica Episcopi simul, & Capituli nomine promulgentur.

VI. Capitulum Cathedralis ecclesiæ, congregatum collegialiter à cunctis inferioribus Prælati honorandum est: similiter ab omnibus totius diocæsis clericis, quemadmodum honoratur ipse caput episcopus. Singuli tamen eorum non eodẽ honoris gradu præcedunt, propter diversitatem munerum, & titulorum Abb. in c. Cum non liceat de præscript. Ant. Cucchus l. 1. p. 103. Moscon. l. cit. pag. 291. Silvest. V. Capitulum. Armilla eod. Vnde Apostolus præcipit ep. ad Rom. 13. v. 7. Cui honorẽ, honorẽ. unicuique nimirum iuxta exigentiã status, & officii sui. Nec immeritò Episcopus quemadmodum à S. Chrys. annotatum est, si debitum honoris nõ acceperit à presbytero, & presbyter si non à Diacono, aut diaconus à lectore irascitur, & turbatur: non minus scilicet, quàm quilibet clericus, cui decimæ aut canonicæ portio sua injustè subtraheretur. Decet igitur cunctos honore & reverentiã prosequi, sed eos præcipuè, quos in altiori gradu Virtus, scientia, aut Dignitas collocavit. Casiod. l. 4. epist.

De Canonico Pænitentiario.

I. **A** Concilio Tridentino Sess. 24. c. 8. decretum est, ut in omnibus cathedralibus ecclesijs, si commodè fieri queat, Pænitentarius aliquis cum unione præbendæ instituat, qui Magister sit vel Doctor aut Licentiat in theologia, vel iure Canonico annorũ 40. seu alias qui aptior pro loci qualitate reperiat, qui præfens in choro censeatur, dum confessiones audit. Vbi episcopis permillum est in prædictum finem novum Canonicatum erigere, ut ex Decisione 1034. Rota apparet. Cæterum Pænitentiarj electio ad solũ episcopum spectat, ita ut Capitulum nullo modo se immiscere debeat. Barb. in c. cit. Zerola par. 1. V. Pænitentarius §. ad tertium. Mosconius l. 1. de maiest. eccles. l. 1. c. 17. §. Tales. Vgolin. de off. episc. c. 3.

II. Quamvis à Concil. Trid. doctrina sufficiens, imò maior vulgari requiratur, dũ graduatos eligi mandat, existimant aliqui tamen sufficere gradum absque competente doctrina, ita ut impetratio beneficii talis aut dignitatis in foro ecclesiæ iudiciali rata ac firma sit. quorum opinio meritò reprobat à sacrâ Congregatione, quæ die 20. Martii Anno 1623. respondit, eiusmodi graduatum haberi, ac si non esset Doctor, ac proinde de alio providendum. Mirum sanè est homines doctos indoctis ita patrocinari, ut quasi propriæ dignitatis immemores mentem & intentionem Concilij non attendant. Expungenda non protegenda ignorantia est, mater errorum, & falsitatis. c. Ignorantia dist. 38. c. ult. dist. 37. Azor 11. l. 6. q. 1. Barb. c. 26. n. 7. & sequ. De Canon. & Dignit.

III. Etas

III. *Ætas* in pœnitentiario requiritur annorum quadraginta, qui completi nimirum vel incompleti sint. Quamvis enim in annis per se non insit prudentia, ubi tamen alia, quibus acquiri solet, adfuerint, cæteris paribus in senioribus major præsumitur. Permittit quoque Conciliū, ut si intra eandem diœcesin non inveniantur Doctores, aut Licentiati, aliàs apti & idonei instituantur. Ubi habenda erit ratio honestatis vitæ, bonæ famæ, & discreti iudicii, quod subinde absque speculativis scientiis comparatur. *Barbosa c. 26. n. 10. Regim. l. 30. tr. 3. n. 164. Zerola P. 2. V. Pœnitentiarius. Mendoza tr. de institut. Pœnitentiarii.*

IV. Eo ipso quod Pœnitentiarius institutus est, à Jure & Concilio habet facultatem audiendi confessiones pœnitentiam illius diœcesis, & jurisdictionem absolvendi à peccatis instar Parochi universalis totius Diœcesis, nec alia Ordinarii licentia necessaria est. Quocirca ad munus ipsius pertinet, ut semper præstò sit, & paratus ad audiendas confessiones. Quod si quempiam audire renuat, ab Episcopo castigari & deponi potest. In Curia Romanâ exercitium clavium retinent etiam Pontifice mortuo, & vocantur Judices animarum *Zerola par. 2. §. sextò. Barb. c. 26. n. 14. Chapeaville de cas. reserv. p. 40.* Scribit Pœnitentiarium habere potestatem, quasi Episcopalem absolvendi à peccatis, & censuris.

V. A casibus quos sibi Episcopus reservat, absque illius speciali facultate non potest absolvere, quemadmodum benè advertit. *Navarr. Consil. 20. de pœn. & remiss.* Contrarium tamen placet D. *Chapeaville c. 3. de casib. reserv. & Piafocio in Praxi Episcopali par. 2. c. 1. n. 16.* Qui fortè tacitam quan-

dam licentiam ab Episcopis tribui existimant Pœnitentiario, quando illum instituant. An subdelegare aliis Sacerdotibus potestatem suam absolvendi possit, à *Zerola* discutitur: nec dubitem, posse cum actu qui consulitur: totam transferre posse improbabile est. *Aloyf. Riccius in Praxi aureâ Resolut. 179. S. Congreg. Episcopor. in quad. Regiensi Anno 1584.*

VI. Præter Pœnitentiarum hunc, qui ordinarius & primarius appellatur, possunt alii esse minores aut delegati, quales Romæ auctoritate Summi Pontif. multi ex regularibus, qui supremo Pœnitentiario subje&ti sunt cum potestate amplissimâ absolvendi ab omnibus peccatis, & censuris, ita ut quò ad hoc Episcopis videantur esse majores: *Tuschus. V. Pœna Concl. 260.* Qui verò ab Episcopis deputantur, propriæ Diœcesis limitibus circumscribuntur. Quæ in illis dotes & virtutes requirantur, accuratè describit *Mosconius l. 1. de Majest. Eccles. t. 17.* addens Monitum apprimè necessarium, ut tempore noctis non audiantur confessiones mulierum, nec in loco obscuro, aut domibus privatis, nisi necessitas postulet. Præterea, ne quid ad conciliandam & fovendam reverentiam desit, induantur Pœnitentiarum habitu Clericali, superpellicio vel stolâ, quemadmodum in Ritualibus Diœceson multis præscribitur.

VII. Qui Pœnitentiariæ addic&ti sunt quocumque tandem modo officiales nullum munus etiam sponte oblatum, aut alia ratione, occasione concessionum seu expeditionum accipere possunt: aliter facientes excommunicati sunt. *Bulla Pii V. in omnib. reb.* Eadem censura lata est contra Pœnitentiarium, & officiales Pœniten-

riaræ præsumentes intromittere se in concessionibus & expeditionibus. *Bulla Pii IV. in sublimi B. Petri folio. Bonac. D. 2. q. 6. pun. 2. tom. 3. ibid. q. 7. pun. 6.*

§. VII.

De Canonico Theologo, seu Lectore.

I. IN Ecclesiis Cathedralibus, & Collegiatis, quæ existunt in oppidis populosis ex *Concil. Trid. Decreto Sess. 5. c. 1.* instituenda est præbenda pro Lectore Theologo, qui Clericis sacram scripturam interpretetur. Simili modo in Monasteriis Monachorum, & Conventibus aliorum Regulatum (ne quidem Carthusianis exceptis) designandus est ex doctioribus aliquis qui sacram scripturam prælegat. Ubi si Abbates, aliique Superiores negligentes fuerint, per Episcopos corrigi, & compelli debent. *Garz. de benefic. par. 4. c. 4. n. 153. Tamburin. de jure Abb. Tom. 3. d. 5. q. 11. Zerola. V. præbenda Theol. n. 1. Barb. de potest. Episc. par. 3. allegat. 56.* Compellentur autem minis, & censuris in Ecclesiâ usitatis.

II. Tempus docendi & hora & materia arbitrio Episcopi relinquitur. Satisfaciet etiam Lector, si Scholasticam Theologiam doceat. Eidem vacatio conceditur tribus mensibus, Julio, Augusto, & Septembri, uti declaratum esse testatur. *Garz. apud Barb. pag. 164. Summa Apost. Decis. Coll. 445.* Docendi modum, quem publica gymnasia observant, si tenere voluerit, suo & Auditorum commodo faciet.

III. Idem toto die in choro præsens censetur excepto Matutino, si pridie pro sequenti die habeatur. Hinc omniam fru-

ctuum particeps est, exceptis distributionibus quotidianis, nisi in his reddituum corpus consisteret. Quin etiam indulgere Episcopus potest, & Capitulum, ut distributionibus istis fruatur: jamq; indultum à *Greg. XIII.* esse, ut ad docendum promptiores sint, testatur *Piasocius par. 2. c. 3.* Nec video, quid æstimabilis damni futurum sit, ab omni Ecclesiastico onere liberum facere Lectorem, præsertim in sufficiente ministrorum numero.

IV. Ubi redditus tenues sunt, & tam exigua Cleri ac populi multitudo, ut Theologiæ lectio commodè institui nequeat, ab Episcopo Magister designandus est qui Clericos aliosque Scholares pauperes Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa sacræ Scripturæ studia annuente Deo transire possint, cui Magistro vel alicujus simplicis beneficii fructus assignandi, vel alio modo providendum erit. *Con. Tr. l. cit. Tiraquel. de nobil. c. 29. n. 45.*

V. Ad prædictam sacræ Scripturæ lectionem tenentur accedere Clerici & Canonici Ecclesiæ Cathedralis, ut *Congregatio Card. declaravit die xi. Aug. Anno 1618.* eosdem cogere Episcopus potest, & compellere sub pœnâ pecuniariâ, ut audiant casus cōscientiæ ex declaratione ejusdem Congregationis xi. Jul. 1620. Quin etiam lector seu professor constitutus ad prælegendum urgeri potest. *Primo* comminationibus pœnarum. *Secundo* subtractione fructuum. *Tertio* si contumax fuerit, omnino privandus erit. *Reginald. l. 20. n. 53. addit. Con. Tr. Sess. 5. c. 1. n. 28. Barbosa ad cap. 1. Sess. 5. Concil. Trid.*

VI. Pro regularibus ordinavit *Clemens VIII* ut qualibet hebdomadâ lectio sacræ Scripturæ vel casuum cōscientiæ habeatur,

tur, ad quam in Conventibus & Monasteriis fratres omnes convenient, eaque absolutâ mutuâ collatione circa explicatam doctrinam utiliter se exercent. *Lexana in summa qq. regul. to. I. c. 10. n. 20. summa Apost. decis. Collectione 475.* Ordinatio sanè utilissima, & summè necessaria, si ingeniorum capacitas, & studiorum amor non desit.

VII. Lector Scripturæ non potest cogi ad designandum substitutum, quando ex causâ morbi aut infirmitatis sanabilis per se ipse legere nequit. In quo eventu autem substituto opus est, ab Episcopo deligetur. Sacra Congregatio apud Nicolaum *Gaziam de benef. p. 5. c. 4.* Ideo cum Theologus quidam instaret pro substituto permittendo propter infirmitatem, concessâ illi 6. mensium licentia est. *Sacra Congregatio die 12. Novemb. Anno 1627. Barb. in summa de-*

cis. Apost. loco cit.

VIII. Accuratus, si quisquam alius, Decretorum Concil. Trid. observator. *S. Carolus Borromeus* de lectore Theologo ita ordinavit (*Synod. Dioces. xi.*) Illius præcipuum munus erit, ut omni die festo sacras literas in Ecclesiâ publicè interpretetur: in feriis autem hebdomadæ, ubi Clericorum numerus est, sacram item Scripturam, conscientia casuum tractationem, aut catechismi, alteriusve Ecclesiasticæ doctrinæ, aut disciplinæ lectionem, quam nos præscripsimus, exponat. Ad hæc ut promptior esset, primum in canonicatibus locum præbendæ Theologicæ tribuit, ita ut illam obtinens cum ad primam Chori sedem post Dignitates pervenerit, eò loci consistat perpetuò, etiamsi post alios ejusmodi præbendam habuerit. *par. 2. actorum Eccles. Mediolan. pag. 107.*

TITULUS V.

De Dignitatibus.

Gradus honorum in Ecclesiis majoribus & Dignitates constitutæ sunt tum disciplinæ causâ, tum majestatis. Novas creare Episcopis non permittitur: eas verò, quæ in usu alicubi, cum Capituli consensu suis Ecclesiis inferre nihil vetat. Triplices inveniuntur. Quædam de jure tales ex nomine tantum præsumuntur: quædam ex institutione Ecclesiæ, aliæ ex administratione, jurisdictione, aliisve prærogativis dignoscun-

tur. De jure communi Dignitas censetur Archidiaconatus, & Archipresbyteratus. Ex institutione Ecclesiæ aut fundatione quænam sint, antiqua monumenta, & consuetudo docebit. Hinc quæ in unâ Ecclesiâ dignitas censetur, in alia non erit. *Tiraquel. de Nobil. c. 10.* Deniq; dignitas cõmuniter illa dicitur, cui administratio rerum Ecclesiasticarum cum jurisdictione cõjuncta est. Et quib. illa cõpetit Prælati nomine, propriè loquendo, gaudet: latius alii quoque

quoque V. Chapeville. de Casib. reserv. pag. 405. Silv. V. Pralatus. Reginald. l. 1. n. 63.

§. I.

De Archidiacono.

I. IN Ecclesiâ primitivâ ab Apostolis ordinati septem Diaconi sunt. Act. 6. V. 3. & seq. quod postea cum in singulis Urbibus fieret, qui antiquitate major erit, vocari cœpit Archidiaconus, quasi Diaconorum Princeps. Munus ipsius erat, attendere diligenter, & curare, ut alii Diaconi officio suo probè fungantur. Progressu temporis aucta potestas est, & iurisdicção concessa quamvis hodie maneant alicubi sine omni in alios iurisdictione, & potestate, ut ex *Con. Trid. patet Sess. 24. c. 12. n. 1. declarationum. Moscon. de maiest. Eccl. l. 1. par. 1. c. 12. Barb. in c. cit. Con. Trid.*

II. Archidiaconi cum iurisdictione officium describitur l. 1. *Decret. tit. 23.* ubi nuncupatur Vicarius Episcopi cum inspectione & curâ omnium, qui intra vel extra Urbem in Parochiis habitant. Ad horum intendere debet conversationem & mores: præterea restaurationem templorum, Clericorum studia & doctrinam, aliasque res ad Ecclesiam pertinentes, de quibus omnibus rationem redditurus est. Denique ut de tertio in tertium annum loco Episcopi sui visitet, Parochiam omnem circumbeat, quæ emendatione indigent, corrigat, & emendet. In c. 2. tituli allegati. additur proprium ipsius officium esse, cum Episcopus sacris operatur, Evangelium, si voluerit, legere, vel alicui legendum mandare: item præcipere, ut reliqui Diaconi ritè vestiti cum Episcopo proce-

dant ad Missam: lectiones, & Responsoria in matrice Ecclesia præscribere & audire: item inter Acoluthos munera, & officia partiri, singulis assignando proprium actum: item examinare ordinandos, & Episcopo offerre: presbyterorum querelas & causas audire: pecuniam Ecclesiæ oblatam accipere & de ea rationem reddere: Diaconorum delicta ad Episcopum deferre: jejuniorum, & festorum dierum observationem indicere: Prælatos, Abbates, & Abbatissas in sede locare, ac possessionem beneficiorum Clericis dare. Propter ejusmodi curam, & inspectionem oculus Episcopi appellatur. c. *Diaconi D. 93. c. ad hec. tit. Lancell. l. 1. Instit. tit. 13. An- to. Cucchus l. 1. tit. 16. Canisus l. 1. tit. 19. Barb. in c. 12. Sess. 24. Conc. Trid.*

III. Archidiaconus non habet iurisdictionem in omnibus, sed in iis tantum, quæ à Jure vel consuetudine sine speciali mandato Episcopi competunt exequenda c. *fin. de off. Archid.* De jure communi competit illi Visitatio, & correctio, sed in modicis causis tantum. Ardua negotia sine speciali mandato non tractabit. In criminalibus igitur, & civilibus arduis nihil jure communi & ordinaria auctoritate potest: nec sede vacante, iurisdictionem exercere licet, nec infra illos 8. dies, quibus à Capitulo, sede vacante, electio Vicarii faciendâ est. quanquam Vicarii officium obire Archidiaconum, cum agitur à Capitulo de Vicarii electione censet Abbas cum quibusdam aliis. *Vallens l. 1. tit. 23. Navar. c. 22. n. 39. Zerola par. 1. V. Archidiaconus.*

IV. Ea, quæ subjungo vi muneris sibi non potest Archidiaconus, 1. literas commendatitias dare c. *significasti de off. Arch.*
2. Cu-

2. Curam animarum committere c. Cum
sitis eo. 3. Excommunicationis sententiam
ferre solenniter. c. Archidiacono eo, nisi
ex consuetudine. 4. Nullam jurisdictionem
in Monasteria intra terminos suos
constituta habet. c. dilecto eo. Moscon. lo. cit.
Avila de Censuris par. 2. c. 3. disp. 1. dub. 1. Silv.
V. Archid. n. 3. & seq.

V. De curâ animarum ambigitur, ha-
beatne illam vi muneris sui, ita ut possit
Sacramenta administrare? Censeo habe-
re, cum sit Episcopi Vicarius, posseque vel
per se, vel per alios Sacramenta admini-
strare. Nam penes ipsum, ut diximus n. 1.
potestas jurisdictionis erat olim in reli-
quos presbyteros, eorum, aliorumque
confessiones audiebat, curâ illorum ipsi
commisâ c. *Officium de off. Archip.* Quin
etiam plebi cui præficiebatur, Sacramen-
ta ministrabat, pœnitentium Laicorum
confessiones excipiebat, & à peccatis ab-
solvebat. *Nicol. Garz. de benef. 7. c. 7. Azor.*
II. l. 3. c. 25. Riccius in Praxi aurea. resol. 328.
Dixi olim fecisse, quia successu temporis
vetus Ecclesiæ forma in ejusmodi officii
mutata est, aded, ut non facile sit genera-
tim definire, quænam hoc tempore Archi-
diaconi Archipresbyteri, & aliorum pro-
vincia sit. Cujus rei etiam illud non leve
argumentum est, quod hoc tempore plu-
res in una Ecclesia Archidiaconi visuntur.
In Toletana sex, in aliis quibusdam quin-
que in nonnullis tres reperies An propter
populi multitudinem, an hic quoque am-
bitio sedem nacta est? *Barb. l. cit. Abb. in c.*
Cum satis de off. Archid. Barb. de Canon. cap.
5. n. 37. Zerola par. 1. V. Archidiaconus.

VI. Quamvis jure communi, ut dixi-
mus n. 2. Archidiaconi dignitas post Epif-
copum prima sit, consuetudo tamen in

multis locis contrarium invexit, ita ut ali-
cubi tertium locum obtineat: alibi, ut in
nostra hac Germania ne nomen quidem
extat, sed illius loco Vicarius Generalis
præest, qui, cum nihil obstat, omnia, quæ
Archidiacono tribuuntur, exequi potest.
Azo. II. l. 3. c. 15 Barb. c. cit. n. 38. & 39 Navar.
c. 17. n. 135. Silv. V. Archid. Tabiena. & Armil.
n. 8. annotans, quod Archidiaconus Bono-
niensis habeat potestatem ex privilegio
absolvendi excommunicatos studiorum
causa ibi commorantes, & ibi delinquen-
tes propter violentam manuum injectio-
nem in Clericum. Item quod ex Honorii
III. privilegio conferat gradum Doctora-
lem. Glo. in Clem. 2. V. suspensum de Magistr.

VII. In quibusdam locis propter ordi-
nariam potestatem coercendi subditos
Prælati titulo honoratur. Apud nos, *ait,*
Chapeville, sunt etiam Prælati Archidia-
coni, cum habeant jurisdictionem ordi-
nariam in foro exteriori coercendi sub-
ditos per pœnas, & censuras Ecclesiasticas,
ut patet ex generali concordia inter Epif-
copum Leodiensem, & suos Archidiaconos,
quæ habetur in antiquis statutis Syn-
odalibus Ecclesiæ Leodiensis. Quibus,
ut apparet, annumerandi sunt, & Decani
primarii, & secundarii Cleri Leodiensis
propter eand. rationem.

§. II.

De Vicatio Generali.

I. Vicarii generatim loquendo quadru-
plices sunt. 1. Perpetui. 2. Tempo-
rales. 3. Horum aliqui simpliciter quoad
omnia loca, & negotia: quidam verò se-
cundum quid, quoad aliquem locum,
vel aliqua negotia tantum. Hos aliquando
Pōtifex, aliquando Episcopi, vel alii Prælati
consti-

constituunt Si extra Urbem, forentes aut foranei appellantur, non à foro ut aliqui volunt, sed quia foris habent & exercent potestatem suam. Sunt alii insuper, qui ab Episcopo vel Prælati aut Canonicis majoribus deputantur, ut quia ipsi legitimè impediti sunt, in Ecclesiâ eorum loco divinum officium peragant, in quem finem præbendâ, vel congrua portione fructuû fruuntur. De quibus omnibus V. Card. Imolam. Angelum. Canis. l. 1. tit. 22. Sylvestrum V. Vicarius. Reginald. l. 3. tit. 1. sect. 4. Cuchum l. 1. tit. 20. Nobis hic de Vicario Episcopi Generali tantum sermo est.

II. Vicarius Generalis idem est, qui Officialis. Officialis autem alicubi vocatur. Missus Dominicus c. 2. de regular. & c. 1. de stig. & malefic. Dignitas est, quamvis beneficium non sit. Unde cum officio suo potest Canonicatum obtinere in qualibet Ecclesiâ. Abb. in c. Cum multa de præb. Et quamvis jure communi Archidiaconus Episcopi Vicarius sit, nihil vetat hoc vel omnino sublato, vel sine curâ, & administratione relicto Vicarium Generalem creare etiam absque Capituli consensu: quin etiam duos, si consuetudo ferat. Azor. II. l. 3. c. 43. Moscon. l. 1. par. 1. c. 10.

NOTA quod dixi Vicarium Generalem eundem esse cum Officiali, non ubique locum habet. In Italiâ quidem vix distinguuntur, teste Sylv. & Diaz. Alibi Officialis causas forenses judicat. In nostra Germania causas matrimoniales.

III. Falsò putârunt aliqui, potestatem Vicarii Generalis delegatam esse. Quamvis enim per liberam Episcopi voluntatem constituatur, jurisdictionem suam ab ipso jure adipiscitur. Hinc judex ordinarius est subditorum diocesis & ex eodem

cum Episcopo suo tribunali jurisdictionem exercet c. Romana de appell. in 6. & c. 2. de consuet. eo. ubi damnatur consuetudo ab Episcopi Vicario ad Episcopum appellandi. Hanc ob causam Archidiaconum præcedit, quia Archidiaconus diversum ab Episcopo tribunal habet. Maranta pag. 55. Canisius l. 1. tit. 22. Lancel. tit. 15. Az. II. l. 3. c. 43. Q. 9. Felin. in Rubr. de majorit. & obed. Rebuff. hoc tit. n. 40.

IV. Vicarius Generalis omnium diocesanorum confessiones audire, dimissorias dare, matrimonii assistere, & pro iisdem licentiam alii concedere potest. Nominus in foro externo causas cognoscere, mandare, judicare, atque etiam excommunicare potest. Præterea decretum interponere in alienationibus circa res, & bona minorum: in emancipationibus quoque, & manumissionibus dare tutores, & curatores, expedire denique omnia, quæ ad jurisdictionem pertinent. l. suggerente de off. ejus, qui vices obtinet. l. mandatâ de off. ejus, cui mandata est jurisdictione. Atque in his omnibus si quid legitimè egerit vel ordinârit, ab Episcopo revocari vel irritari non potest. Sylv. V. Archidiaconus. Zerola pa. 1. V. Vi. Moscon. l. 1. c. 10. Avila de Censur. disp. 1. dub. 1. carius. Fillius. tract. 9. c. 5. n. 102. Reginald. l. 1. c. 5. n. 48.

V. Ad ea quæ merè gratuita sunt, ut collatio beneficiorum, dispensatio in irregularitatibus ex delicto occulto, denunciationibus matrimonii, & similibus non extendit se ordinaria Vicarii Generalis potestas. Episcopis tamen liberum est ampliare, & extendere illius potestatem tam circa modò nominata, quam etiam circa alia, ut praxis ipsa testatur. Diaz. c. 75. Azor. loc. cit. Lancelot. l. 1. tit. 15. Garz. pa. 5.

cap. 8. Laym. l. 1. tr. 4. cap. 7. §. 5. num. 19.

VI. Mortuo episcopo, vel deposito Vicarii Generalis potestas statim expirat etiam cœptâ causâ. *Glo. communiter recepta in Clem. ult. de Procuratorib. V. Contestata.* Atque in hoc iurisdictionio Vicarij Generalis à delegata differt, quia hæc quoad negotia inchoata non deficit cum ipso Delegante *c. Gratum de off. Deleg.* Nec mirum, quia idem episcopi & Vicarij tribunal est. Idem fiet, si episcopus excommunicetur, vel suspēdatur. Nam in tali eventu quamvis retineat iurisdictionem, exercere non potest. *c. 1. de off. Vic. in 6. Glo. in Clem. ult. de procuratorib. Abb. in c. Licet undique de off. deleg. n. 8. Zerola par. 1. pag. 698. Excipe Vicarium Generalem Papæ, cuius potestas non expirat mortuo Papa, Barb. in c. sua nobis de off. Vicarij. Addit Piasecius Par. 2. c. 4. pag. 262.* episcopo ut suspecto recusato, ex eadem causa Vicariū recusari posse *c. Insinuante. de off. deleg. Abb. ibid. n. 2.* Vide sis, an non locū hic vendicet sibi *Regula 42. iuris in 6. Accessorium naturam sequi convenit principalis?*

VII. Qui extra Urbem in oppidis, & pagis constituuntur ut *n. 1. dixi Vicarij, Foranei, aut Rurales* appellantur, quorum iurisdictionio non ordinaria, sed delegata est, & diversum ab episcopo tribunal. Vnde ab illorum sententia appellare licet, vel ad episcopum, vel Vicarium generalem eiusdem. Præterea non videntur habere dignitatem, nisi alicubi speciali jure aut consuetudine introductum sit. *Glo. Clement. 2. V. Foraneo. de rescript. Piasecius Par. 2. c. 4. Zerola par. 1. V. Vicarius n. 2. Gemin. in c. Romana de appell. Maranta Par. 4. dist. 5. n. 13. decis. Rota 5. de offic. Vicarij. Barb. in Rubr. de eod.*

VIII. Officiū Vicarij Generalis fini-

tur quatuor modis. *Primo* per mortem Episcopi ut *n. 5. diximus. Secundo* quando Episcopus expressè revocat, vel dimittit, quamvis jurasset se nunquam revocaturum esse. *Tertio* si Episcopus sedem mutet, vel aliò transferat. *Quarto* cessat ad tempus saltem, si contingat Episcopum excommunicari, vel suspendi. *Lancell. in templo lud. l. 2. Silvest. V. Vicarius. Zerola lo. cit. Lorichius V. Vicarius Episcopi n. 5. Abb. in c. 2. n. 2. Vt lite pendente. Reginald. l. 1. c. 6. n. 48. Tuschus Conclus. 191.*

IX. Vicarius Generalis Episcopi alium Vicarium Generalem substituere sibi non potest. *Glo. in c. de off. Vic. in 6. Clem. 1. de regularib. in 7. locum aliorum.* Nihil tam envetat, uni alicui causas committere, atque ita constituere Vices gerentem *c. 1. de off. Vicar. in 6.* Potest etiam deligere, qui vel ad tempus, vel in absentia suâ obeat munus Vicarij Generalis sub nomine non Vicarij, sed Locumtenentis. *c. Romana. de off. Vicarij. in 6. Zecus de rep. Eccl. c. 23. Zerola. par. 1. V. Vicarius dub. 3. Garz. de benef. par. 5. c. 9. Sanch. de Matrim. l. 3. D. 7. n. 21. Guido Papa Q. 374. Maranta Par. 4. Dist. 5. n. 16. Feder. de Senis. Consil. 302. Tuschus Concl. 185*

X. Dubium est, an Laicus creari possit Vicarius Episcopi in Spiritualibus? Non posse colligitur ex *c. In novâ 16. q. 7. DD. in c. 2. de iudic. & fusè Covarr. in relect. c. Alma mater. de sent. excom. §. 11. n. 3. Rebuffus quoque in pract. benef. tr. de Vicario Episcopi n. 35. Paul. Paris. Consil. 40. Vol. 4.* Nec causas criminales Clericorum Laico Episcopus delegare potest ex communi opinione secundum Ripam in *c. decernimus n. 34. de jud.* Nec junctim cum Clerico eas delegare potest, ut Decius scribit in *d. c. Decernimus. r. 5. quem refert Roan in Cons. 4. n. 4.* Ita ferè

*Davalos l. 1. c. xi. Idem absolute negat Piafe-
cius par. 2. c. 3. pag. 263. addens, ne unicam
quidem spiritualement causam Laico com-
mitti posse, neque in ipsum compromitti
c. Contingit iun. Glo. de arbitris. Excipe cau-
sam pecuniariam, quæ inter Clericos com-
mitti, & compromitti posset Laico. c. expo-
sita ibid. iun. Glo. V. compromissi. Similiter
etiam pro Assessore in iudicio spirituali
Laicus licite adhibetur, quamvis de hone-
state melius adhiberetur Clericus. Item
si Episcopus habet jurisdictionem tempo-
ralem Laico ut Vicario committere pote-
rit. Ita ille. At Mosconius l. 1. par. 1. c. 10. etiam
Clericos excludit, si conjugati sint, aut bi-
gami, quamvis habitu & tonsura clericati
utantur, Papa nihilominus, ut qui absolu-
tam potestatem in omnibus causis Ecce-
siasticis habet, etiam spirituales causas Lai-
co delegare potest. Glo. in c. 1. D. 9. 4. & c.
Clericum nullus II. q. 1. Abb. in c. proposuit. de
Conc. preb. Non posset tamen jurisdic-
tionem ordinariam principibus Laicis adve-
sus Clericos concedere. Menoch l. 3. de test.
§. 22 n. 61. quem refert, & sequitur Iul. Clarus
4. §. si q. 4. n. 8. De Clericis nondum sa-
cros Ordines adeptis fatetur *Davalos l. cit.
n. 9.* adhiberi quidem à nonnullis Episco-
pis in Officiales, idque in rigore juris lici-
tum esse, consulit tamen, ut deinceps vi-
tare laborent, & presbyteros aut mini-
mum in sacris constitutos juri dicendo
præficiant. Clericos conjugatos etiam nõ
bigamos omnino excludit. *Anchar. in c.
Romana n. 3. de off. Vicar. l. 6. Abb. in c. 2. n. 2.
de Cler. coniug. Felin. in c. 2. n. 6. de iud. Zach.
in addit. ad Abb. lit. A. c. in nova 16. q. 6. Re-
buff. in praxi benef. V. Vic. Archiep. V. Davali
Directorium pag. 25. Suar. V. disp. 2. n. 10. Sil-
v. A. V. Laicus n. 5. Soto in 4. dist. 20. Q. 1. ar. 3.
Lancelot. l. 1. tit. 15. Cucchus l. 1. tit. 20.**

§. III.

De Archipresbytero.

I. **A**rchipresbyter dicitur, quasi pres-
byterorum primus. In Jure etiam
Decanus nuncupatur. c. ad hæc de off. Archi-
eod quod decem præsit, vel præesse possit.
Olim post Archidiaconum primum lo-
cum, & dignitatem obtinuit. Equidem si
ordinis consecrationem spectes, cum ne-
cessario Sacerdos sit, Archidiacono ma-
jor est, si verò jurisdictionem, minor. Glo.
in c. 1. de off. Archipr. Reginald. l. 30. tr. 1. Sect.
3. Moscon. l. 1. par. 1. c. 13. Lancel. l. 1. tit. 14. An-
ton. Cucch. l. 1. tit. 17. Canis. l. 1. tit. 20.

II. Alius est Urbanus, alius Ruralis seu
foraneus. Urbanus in urbe manens præest
dignitati in Ecclesia Cathedrali, Ruralis
in Parochia seu Plebania c. singula de off. Ar-
chipr. Qui in Franconia nostra Decani ru-
rales appellantur, alibi Archipresbyteri
dicuntur, & certis Parochiis is honor sta-
bili lege affixus est, & melioribus tantum
confertur. Romæ olim tres erant. Unus
in Ecclesia Lateranensi, alius in S. Petro,
tertius in S. Maria Majore, quia in illis
Ecclesiis aliquando sedit Pontifex. Gloss.
hoc tit. Lancel. lo. cit. Vallensl. l. 1. tit. 24. Fillius.
Append. tr. 41. c. 1. Greg. Lopez. l. 8. tit. 6. par. 1.

III. Urbani Archipresbyteri officium
est à jure ordinatum. Primò curare, ut re-
liqui Sacerdotes divinum officium & mis-
saritè celebrent, attendere ad mores illo-
rum, & honestatem vitæ: item necessitati-
bus illorum providere c. perlectis V. Archipr.
d. 25. c. 1. 2. 3. de off. Archipr. Ad eoldem
pertinere, ut Cardinalium Sacerdotum
ministerio, & vitæ provideant *Leo Pontius*
in c.

inc. de off. Archipr. tradit. Verum non satis liquet, quinam sint illi Cardinales Sacerdotes? aliqui primarios inter Cathedrales interpretantur. *Secundò* episcopo solenniter celebranti assistere, & tunc Sacerdotibus præcipere ut sacris vestibus induantur, & quomodo ad Missam procedere debeant. *c. Officium de off. Archipresb. Tertio* absente episcopo, vel ægrotante fontes benedicere, pœnitentiam, aliâque Sacramenta eius loco administrare. *c. 2. de off. Archipresb.* Specialiter incumbit illi cura de communicatione corporis, & sanguinis Christi. Vnde est quasi Sacerdos parochialis omnium post episcopum in administratione videlicet Sacramentorum: Nam cura animarum in ecclesiâ Cathedrali, quæ totius urbis, & diœcesis parochia est, ad illû proprie spectat. Vnde omnes ex totâ diœcesi audire confitentes potest, & absoluerè, præterquam in casibus episcopo reservatis: nec solenniter pœnitentes inconsulto episcopo absoluerè, & reconciliare. Ob quam causam vocari solet Vicarius episcopi, intellige in spiritualibus. *Glo. V. suo subdito in c. 12. de pœnitent. & rem. Moscon. l. cit. Lancelot. in Templo iudicum l. 2. c. 11. Barb. de Canon. c. 6. nu. 19. & seq. Hieron. Romanus de rep. Christ. l. 3. c. 10.*

IV. Ruralis Archipresbyteri munus est, ut idem Mosconius describit *lo. cit.* imperiti vulgi sollicitudinem gerere, & alios clericos habere, qui per minores titulos unusquisque opus suum exercent: nec nõ cuncta, quæ ad salutem plebis suæ spectant, episcopo significare tenerur, nec aliquid contra eius decretum audet præsumere. Sacellanos sibi subiectos coercere, & corrigere potest: qui pro baptismo & celebrâdis officiis simul convenire debent, & cor-

rectionem recipere. Inobedientes episcopi iussu, vel permissu excommunicat. Eidem qua quisque presbyterorum industria opus suum exercent, denunciare debet. *Canon. ex Synodo Ravennat. l. 1. tt. 20.*

V. Archipresbyter in clericis, & Sacerdotes nullam fori externi iurisdictionem habet, ita ut ne in minimis quidem causis aliquem punire queat, quemadmodum ex declaratione Cardinalium *Barbosa docet pag. 41. Cuius rei causam Azor II. l. 3. c. 15. Q. 7.* consuetudini ascribit quæ in quibusdam locis obtinuit, ut nullum forum, & territorium habeat, sed tantum ea curet, quæ ad Sacramentorum administrationem pertinent, præsertim Pœnitentiæ, tam quoad laicos, quàm quoad presbyteros sibi subditos, quorum confessiones excipit. *c. Officium hoc tt.*

VI. Dubium est an Archipresbyter ius habeat instituendi eos qui à patronis ecclesiarum sibi subditarum offeruntur, aut præsentantur? Dicendum, non habere vim muneris sui, sed vel ex speciali commissione episcopi, vel consuetudine, quemadmodum de Archipresbytero Florentino testatur Silvester. *V. Archipresbyter q. 5. de Archipresbytero Bononiensi Geminianus Consil. 117. n. 10. Cardin. Tuschus. conclus. 84. v. Az. V. Azor II. l. 3. c. 15. q. 9. & 10. Tholosan l. 17. Synagm. c. 21. Barb. in summa Decis Apost. pag. 37.* Notat præterea *Cucubus l. 1. tt. 17.* Archipresbyteri officium perpetuum esse. Decani ruralis verò temporale. Ex quo deducitur non idem utriusque munus esse, ut nonnullis videtur, & num. 2. indicavimus.

§. IV.

De Præposito.

I. **M**ultùm Ecclesia Germanica ab aliis dilcrepat, tum in ritibus, tum maximè in titulis, & dignitatibus. Præpositi enim in ecclesiis Cathedralibus apud nos summa est auctoritas, & immunitas, cùm alibi omnes ferè, qui præfunt eo nomine gaudeant etiam apud Regulares, & Monachos: quanquam Mosconio teste, l. 1. Par. 1. c. 14. ex c. dudum de elect. præpositura officium ecclesiasticum sit, requirens ordinem presbyteratus. Lancelot. l. 1. tit. 14. Azor II. l. 3. c. 18. Q. 1. Filiuc. in Append. Tract. 41. c. 1. n. 30. Manrique Q. 41. n. 1. & 2. Directorium Octavii Frangipani pag. 153.

II. Nullum in jure Canonico titulum extare de Præposito observavit Azor II. lo. cit. eius tamen non rarò mentionem fieri in responsis Romanorum pontificum fatetur. Addit, in ecclesiis Germaniæ, Poloniæ, Flandriæ, & Angliæ Personatum, ac Dignitatem habere: alicubi etiam iurisdictionem, & curam animarum, eò quòd toti Canonorum Collegio præsit. Vltimum hoc de qua Germaniæ parte, & quo sensu verum sit, minimè liquet. Econtrario Reginaldus l. 30. tit. 1. Sect. 3. notat in omnibus ferè Galliæ ecclesijs consuetudinem obtinere, ut Decanus habeat iurisdictionem in Capitulum seu Collegium Canonorum: in ecclesijs verò Germaniæ non Decanum, sed Præpositum esse caput Collegij Canonorum. Melius dicitur esse supra, vel extra Capitulum, ut Præfectum bonorum temporalium, & reddituum, quorum ipsi cura & administratio com-

mittitur. c. Vt primicerius unic. de off. Primicerii. Tholos. l. 15. c. 18 Pacianus l. 1. l. 2. c. 27. Seb. Casar de eccles. hierarch. q. 1. proœm. F. Erh. VVinheim in Sacratio Agrippina p. 32.

III. Illud minimè obscurum est, in superiore Germaniâ, si non omnibus, certè plerisque ecclesijs cathedralibus, & collegiatis Præpositos nullam animarum curam vel interiorem iurisdictionem habere: quamvis alicubi in locum Abbatum vel Priorum conventualium successerint, ut exempla docent, & annotatum est à Reginaldo l. cit. Meritò igitur, & verè Oeconomus vocatur, qui proventus ecclesiasticos administret l. 1. feud. tit. 1. c. Vt Abbates de ar. & qual. ord. Rebuff. in Comm. ad l. 124. de verb. sign. Galganet & Cunha ap. Barb. in cap. cit. Item in cap. Vt primicerius de off. Primicerii,

§. V.

De Decano.

I. **D**ecani nomen hoc tempore non tantùm in ecclesia, & Monasterijs, sed Academicis quoque usitatum est, non habitâ ratione numeri, quamvis à Denario ortum videatur. Illi tribuitur, qui Capitulo præest, uti caput cleri in ecclesia Cathedrali, vel Collegiata. Vnde Sacerdotij ordinem habeat necesse est. c. 1. & 2. dist. 60. Cardinales quoque suum Decanum habent, & Auditores Rotæ. Honorabilior Decanus est in Capella summi Pontificis propter ministerium, quod vocatur Mitra. Decanum Civitatisensem cum Archipresbytero eundem esse, docet Angelus & Mosconius. Tholos. l. 15. c. 4. nu. 6. Barb. de Canon. c. 4. n. 31.

II. Jure communi non est dignitas, sed speciali

speciali per consuetudinem, ubi ea prævaluit, quemadmodum in nostris Germaniæ ecclesiis cernimus, in quibus Cathedralis ecclesiæ, Decanus excepto Præposito præcipuum locum, potestatem & auctoritatem habet. In ecclesijs ferè omnibus Galliæ consuetudinem vigere, ut Decanus habeat iurisdictionem in Collegiũ seu Capitulum Canicorum auctor est *Reginald l. 30. tr. 1. c. 3. Barb. l. cit. Fill. Append. Tr. 41. c. 1. Tuschus Concl. 60.* Quæ consuetudo etiam in Germania præsertim superiore obtinuit.

III. Officium Decani quale sit, in corpore iuris nullibi exprimitur, nec titulus extat, nisi sub alio nomine. Sola consuetudo docet, iurisdictionem habere in clerum sibi subjectum, vel omnium totius urbis, aut diocesis, vel majoris tantum quia locum Archidiaconi & Archipresbyteri tenet. ut *Card. Tuschus notat Concl. 60.* Si potestate excommunicandi utitur ut num. 5. videbimus dicendum est, iurisdictionem ordinariam habere, saltem ex usu & consuetudine. *Innoc. in c. 1. de Archipr. Azor II. l. 3. cap. 13.* Neque animarum cura vacabit, cum toti Canonicorum Collegio præsit. *6. Dudum de præbend. Card. Tuschus lo. cit.*

IV. Ad Decanum cathedralis Ecclesiæ pertinet Primò Ordinate processiones intra & extra urbem absente episcopo, ut Congregatio Card. declaravit in quadam Placentinâ 19. May. An 1607. Secundò choro psallentium Horas canonicas præ esse, signum inchoandi dare, & exeundi de choro, absentes & delinquentes punire. Tertio ut tempestivè & decore cultus divinus peragatur, attendere. Denique patrisfamilias instar, curam templi chori, & officiorum omnium habere. Ex quibus li-

quet, ea, quæ Archipresbytero, & Cantori in iure committuntur, ad Decanum consuetudine, aut Statutis particularibus derivata esse.

V. An iurisdictionem fori externi habeat, ut excommunicationis, suspensionis, & interdicti sententiam ferre queat, in ambiguo est? Iure communi & universè certum est, non habere, sed episcopis ea potestas præcipuè reservatur, & quibusdam majoribus Prælati, ut supra Tit. 3. §. 3. num. X. diximus: in multis ecclesijs tamen per consuetudinem videtur eam usurpare. Nam in *c. Dilectis de appellat.* indicatur, Decanum, de quo ibi agitur, sacris interdici potuisse, Et in *c. Dilecto de sent. excomm. in 6.* Decanus quidam excommunicationis pœnam irrogare potuit. Item in *c. irrefragabili. §. Excessus. de off. Iudic. ordinarii in 6.* Canonicorum Collegium, cui Decanus præerat, sacris interdici civitati. Quæ omnia docent, iurisdictionem prædictam si non jure, quod nobis huc usque ignotum, saltem consuetudine competere *Az. l. cit. Notat insuper Barbosa Tract. de Canonicis & dignitatib. c. 6. & ad c. 12. Sess. 24. Conc. Tr. num. 8.* nullo Concilii Trid. decreto statutum esse, ut qui Decanatum consequi velit, necessariò sit Magister, vel Doctor, aut Licentiatus in Theologia, aut jure Canonico, ut rescripsit. *Sacra Congregatio Concilii Archiepiscopo Hispalensi, teste Nicolao Garzia de benef. Par. 7. c. 7. nu. 43. Zerola in Praxi Par. 1. V. Canonica §. 2. in fine. Aloys. Riccius Decis. 248. n. 5.*

VI. Ob quam curam & administrationem, quæ per se gravis & molesta duplici in plerisque ecclesijs præbenda (imo triplici in quibusdam,) Decanus fruitur: distributionum quoq; & oblationum duas

partes

partes capit. Alicubi simul Officialis munere fungitur & causas matrimoniales iudicat & delinquentes in eo genere punit. *V. Statuta Synodalia Bambergensis ecclesia an. 1491. publicata. Item Eystetensia an. 1488. edita, in quibus pag. 8. §. Quod parochiales. Vfurarum & Decimarum cognitio & iudicium Officiali tribuitur. Insuper de Decanis ruralibus ibidem præcipitur, ut initio receptionis suæ iurent, vel promittant obedientiam & fidelitatem episcopo, observationem statutorum Synodaliū ac consuetudinū: curam denique & vigilantiam ut subiecti illis plebani vitam instituant ordini & statui suo conformem. De hisce ruralibus Decanis *V. Mosconium l. 1. Par. 116. 13. Director. eccles. Frangipanii pag. 192. Anton. Cucchum l. 1. tit. 17. ci. fin.**

§. VI.

De Primicerio, seu Cantore.

Primicerius generatim loquendo, dicitur ille, qui in quocunque ordine primum locum tenet. *In Novella Const. 8.* sæpe nominatur Notariorum primicerius, id est, primus Notarius. Item primicerius fabricæ *l. 2. C. De fabriensibus l. 11.* Primicerius domesticorum, protectorū, equitum *l. 2. & l. ult. C. De domest. & protect. Primicerius mensorum l. 1. C. de mens. scrib. l. 12.* Primicerius in officio præsectorum pratorio apud *Veget. l. 2. c. 21* Primicerius exceptorum, Primicerius Singulariorum, Augustalium, Seriniorum, deputatorum, Sacri cubiculi, legionum, defensorum. Dicitur etiam primicerius Cardinalium. Primicerio proximus vocabatur Secundicerius, huic proximus Tertiocerius, & sic

deinceps. *Luitprandus de reb. per Europam gestis. Præcius in Lex. Anton. Cucchus l. 1. Inst. tit. 18.*

II. In libro Romani ordinis, ut refertur *tit. 25. l. 1. Decretalium* Primicerius idem cum Cantorum præside numeratur, cuius officium sit lectiones Diaconis tradere, illis in docendo præesse. Alicubi eundem esse cum Magistro cærimoniarum tradit *Mosconius l. 1. Pa. 1. c. 16.* Sic nuncupari volunt, quod in cerâ, seu tabellâ ceratâ psallentium primo loco signatus esset. Originem seu institutionem inde fluxisse, quod olim in Ecclesia Cathedrali Cantorum schola esset, qui horarias preces & officiū divinum cantando celebrarent. Illi scholæ qui præerat Primicerius seu primus cantor audiebat. *Barb. de Canon. c. 9. Reginald. l. 30. Tract. 3. c. 3. n. 50.*

III. Munus primicerij à jure præscriptum est, docere Diaconos, & alios Clericos cantandi formam, eis lectiones pro matutino assignare, modum canendi in choro pro solemnitate, & tempore ordinare *c. un. de off. primicerij*: ex quo aliqui cum Reginaldo colligunt, clericos ad cantum destinatos lectione sacrorum librorum & optimis moribus à Primicerio imbuendos esse: quod verum puto, si limitatè intelligatur, quantum videlicet canendi disciplina, & chori decentia exigit. Plenius ita describit *Valenzuel apud Barb.* Primicerii ministerium ad cælestes laudes, & cultus divini augmentum ordinatur, & ipsi incumbit regimen omnium divinorum officiorum intra, & extra chorum, in quibus ipsi etiam Decano præest. Ipse acolathos & reliquos ecclesiæ inferioris gradus ministros ad divina dirigit officia, canendi, & legendi hymnos, psalmodiana

modiam prævidet, atque instruit: psallendi, & orandi modum ipse committit, silentium indicit, risus cohibet, & colloquia: curat etiam, ne quis in psallendo nimium festinet, vel tardet, ne versus alter ante alterius finem inchoetur: ipse cappas & sceptrum partitur, aliaque id genus exequitur. *Azor II. l. 3. cap. 22. Navar. in c. si quando de Reser. Exceptione 1. n. 3.*

IV. Absente Archidiacono, ubi moris, eius loco ordinat, quæ ad sacra pertinent: clericorum delicta punit, quos emendare non potest, eorum excessus ad episcopum defert. Substitutum habere potest, qui Succentor appellari solet. Hic in Germaniâ nostrâ pondus diei, & æstum porta pro quo Cantor seu Primicerius præbendam, & fructus habet. *Ostiens. in sum. h. t. Barb. de Canonis pag. 46. Vallens l. 1. Tit. 25.*

V. Vtrum dignitas sit, merito dubitari potest. Iurisdicção sanè, quam habet, non videtur excedere didascalici & directoris munus, qui pueros informat, & castigat. Nihilominus dignitatem esse, & quidem de primariis unam saltem in Hispaniâ, si non juris dispositione, saltem ex consuetudine affirmat *Valenzul. apud Barbosam c. 9. n. 13. Card. Tuschus concl. 650. Azor II. l. 3. c. 16. q. 3.* dignitate præditum esse, ubique locorum asserit *Manriquez quest. 30. num. 3.* In aliquibus ecclesijs fuisse dignitatem *Greg. Tholos. refert. l. 2. tit. 9. num. 5. allegans c. cum accessissent. de constitutionib. ubi Capituli Tullensis communi consensu statutum allegatur, ne in posterum Primiceriatus dignitas in ecclesia sua sit. Quod statutum ab Innocentio III approbatur. Adde, quòd in Ecclesia Archiepiscopali Moguntina Cantor seu*

Primicerius inter solennia Missarum infusa utitur, quod illi privilegium cum Præposito & Decano commune. *Nic. Serarius l. 1. hist. Mog. c. 18. V. Layman. l. 4. Tr. 2. c. 4. n. 4.* Unde colligitur memoria dignum esse illud, quod Canisius indicat *l. 2. Institut. c. 21. c. fin.* Dignitatum ecclesiasticarum nomina aliter atque aliter usurpari pro varietate locorum, & consuetudinum; à quibus nihil mirum est, si legibus scriptis & iuri communi derogetur. *l. de quib. ff. De leg. c. ult. eod. V. quæ diximus in Prolegom. §. 9. n. 15.*

§. VII.

De Thesaurario & Custode.

I. Thesaurius Cimeliarcha nominatur à Iustiniano in *l. ult. §. ult. c. de bo. aucto Ind. possid.* id est, rerum pretiosarum cultos, seu asservator: propter quam rerum sacrarum custodiam olim Thesaurarius nullam dignitatem, neque beneficium, sed officium duntaxat ecclesiasticum habebat, teste *Rebuffo in Praxi benef. 11. Saculare beneficium quotuplex num. 9.* At progressu temporis ex consuetudine, & omnium ferè ecclesiarum statutis inter dignitates numerari cœpit. *Abb. in c. de multa nn. 23. V. secus de præbend.* Alicubi saccularium dici affirmat *Azor l. 3. cap. 16. Q. 5.* à parvo sacco, quem deferret ad pecuniam inibi reponendam. *Moscon. l. 1. par. 1. cap. 16.* Quomodo à quæstore, seu Camerlengo differat, non est arduum discernere. *V. Anto. Peregrin. de iure fisci. l. 6. tit. 3.*

II. Esse dignitatem aliqui apud *Barbosam pag. 44.* probant. *Primò* ex collationibus tam Apostolica, quam ordinaria aucto-

M ritate

ritate festis illa tanquam tertia dignitate. *Secundo* ex declaratione Capituli, visione Bullæ, electionis Thesaurariæ, & aliis iuribus in protocollo Capituli existentibus quæ indicant, esse tertiam dignitatem post Pontificalem. *Tertio* ex pluribus actibus & functionibus capitularibus, videlicet, convocacione Capituli in absentia obtinentium majores dignitates. *Quarto* resultat probatio communis reputationis nedum capituli, quod se congregavit mandato Thesaurarij ut illius præsidis in absentia maiorum dignitatum, sed omniam quoque aliorum, à quibus pro Dignitate agnoscitur. Adde, quod inter Ecclesiæ columnas numeratur in c. 2. hoc it. *V. Cucchum. l. 1. Inst. p. 133.*

III. Ex dictis patet Custodem à Thesaurario nihil, aut parum distare. Si diversum facimus, Thesaurarij substitutus erit *cap. 2. de off. Const.* Attamen quia diversi in jure tituli sunt, diversum munus esse agnoscamus. Certè in hac Germaniæ plaga in ecclesiis Cathedralibus Custos inter Prælatos numeratur, cui Sacrista subest, & quem designare voluerit, subcustos. Officium illius *l. 1. Decretalium tit. 27.* describitur. *ex conc. Toletani actis.* Custos sollicitus esse debet ne omni ornamento ecclesiæ, & luminariis sive incenso, nec non panem, & vinum omni tempore præparatum ad missam habere debet, & per singulas horas Canonicas, signum ex consono Archidiaconi sonare, & omnes oblationes, seu elemosynas, seu decimas inter Fratres dividat *Et paucis interiectis.* Hi tres, Archidiaconus, Archipresbyter, & Custos simul iuncti uno animo providere agant, & perfecte: & non sit invidia, neque zelus inter illos.

§. VIII.

De Scholastico.

I. **Q**uemadmodum Schola ecclesiis Cathedralibus, & Seminarium adolescentum Clericorum, ita Scholasticus necessarius est. Hinc olim sollicitè quærebatur, qui iuniores doceret latinè legere, scribere, loqui, cantare, & quæ ad officium divinum pertinent, recitare. Is verò Magister Scholæ, Scholasticus appellabatur. *In c. Ut nostrum de off. Archid. Cancellarius* nuncupatur: propter similitudinem, quam cum Præfecto scriniorum gerit, cuius præcipuum munus est, publicas scripturas concinnare, & conservare. *Buda. & Hostomani.*

II. Modum constituendi Scholasticum præscribit *Conc. Trid. Sess. 28 c. 18. nu. 32.* Deinde, *inquit*, ut minori impensa hujusmodi Scholis constituendis provideatur, statuit sancta Synodus, ut episcopi, Archiepiscopi &c. Scholasterias obtinentes, & alios, quibus est lectionis vel doctrinæ munus annexum ad docendum per se ipsos, si idonei sunt, alioqui per idoneos substitutos ab eisdem Scholasticis eligendos, & ab Ordinariis approbandos etiam per subtractionem fructuum cogant, & compellant. Quod si episcopi iudicio digni non fuerint, alium qui dignus sit, nominent, omni appellatione remota: quod si neglexerint, episcopus ipse deputer. Iam qualitates attende, quæ à *Concilio Trident.* præscribuntur.

III. De cætero (ait *Conc. Tr.*) officia vel dignitates illæ quæ Scholasteriæ dicuntur, non nisi Doctoribus, vel Magistris.

stris, aut Licentiatis in sacra pagina aut in iure Canonico, & alijs personis idoneis, & qui per seiplos id munus explere possunt, conferantur, & aliter facta provisio nulla sit, & invalida, non obstantibus quibuscunque privilegijs & consuetudinibus etiam immemoralibus. Vbi *Congregatio Cardinal.* notat, eum, qui obtinet Scholasticam, cogi omnino debere ad obeundum munus suum. *Garzia de benef. par. 7. n. 35.*

IV. Hæc quomodo in usu sint apud nos, nemo ignorat. Excusationem merori videntur majores Domini, quia per substitutos docent maximè in civitatibus, ubi Gymnasia, vel Academiæ erectæ sunt. Quamobrem inter declarationes Card. legimus. Ante omnia in Seminariis conducendus est Grammaticus, & Musicus, qui pueros instruant & si reperiantur leuitæ, cæteris anteponendi sunt. *Declar. n. 33. V. Astor. Mediol. ecclesia par. 2. p. 106.*

§. IX.

De Prioribus.

PRior & Prioratus notissima nomina sunt. Eius duo genera. Alii enim Regulares, alii sæculares nuncupantur. Ex his iterum alii Collegiales, alii Rurales. Hi curam animarum absq; collegio habent, illi verò Canonorum collegio præsumt, quemadmodum indicat inscriptio *cap. ultimi de maior. & obed.* Sicut enim iuxta Regulam S. Benedicti Præfectus Monastici conventus Abbas, nominatur, iuxta Regulam S. Augustini Prior, sive Præpositus, sic in multis ecclesijs Collegiatis Præfati aliquando Abbates, aliquando Priores appellantur. *Greg. Tholof l. 15 c. 18. n. 1. Moscon. l. 1. par. 1. c. 14. Barbosa de Can.*

& dignit. c. xi.

II. Idem igitur, qui in Germahla nostra Decanus, in ecclesia Collegiata, alibi Prior est: unde dubitare non licet, quin dignitatem habeat, cum utriusque fori iurisdictio illi competat. Aetatem in illo requiri annorum 25. saltem inchoatorum *Barbosa monet pag. 49.* Non requiritur tamen, ut Doctoris, aut Licentiati gradu insignitus sit, quamvis exempta ecclesia foret. Nullibi enim hoc in iure præcipitur, & *Concil. Trid.* ubi de Dignitatibus loquitur *sess. 24. c. 12.* hortatur quidem, ut conferantur Doctoribus, nõ ramen præcipit, ut *Garzias p. 7 cap. 7.* resoluit ex sententia Congregationis Card. Imò ne quidem per Conciliũ Provinciale statui posse, ut dignitates & Canonicatus in ecclesijs Cathedralibus dentur graduatis tantum, habes in *Declarat. Cardinal. S. cit. n. 3. Nicol. Garz. Par. 7. c. 7. nu. 33. Barbos. loc. cit. num. 6 & l. 1. de iure eccles. c. 32. Mone-ta de conservatoribus c. 5. n. 25. & 94.*

III. Priorum, qui Regulares vocantur etiam duæ classes sunt, alii Conventuales, alii Claustrales. Prioratus Conventualis dignitas est; claustralis non est *c. Nisi essent. de præbend. & clem. 2. de Reser.* Causa diversitatis est, quia Conventualis Prior toti Conventui cum potestate præest, claustralis non itè, sed sub Abbate constitutus, in Monasterio, in quo Abbas ipse vivit, ad regulam & disciplinam religiosam attendit. Ex Cõventualibus aliqui maximæ auctoritatis & potentie sunt, ut patet in Ordine S. Ioannis Ierosolomytoni Presbyterorum, quorum potestas episcopali par, & privilegia amplissima: de quibus *Franc. Leo in Thesuro eccles. pag. 302.* Priores, & Commendatarii intra limites sua-

rum Commendarum sunt verè Ordinarium secundum Bullam Pii IV. & exempti à iurisdictione quorumcunq; Ordinatio- rum, habentq; collationem liberam suo- rum Prioratum, Balivarum, & Commendarum extra Conventum etiam per resignationem vacantium. c. Nullam 18. q. 2. ubi Nav. à n. 4. c. nisi essent. de prabend. Rebuff. in Praxitir. Regularia beneficia. nu. 4. Tholos. l. 18. c. 18. Gonzal. ad Reg. 8. Cancel. gloss. s. Barb. in c. Etsi principalis de rescr. Roderic. Q. Q. Regular. Tomo I. Q. 34. artic. 2.

IV. Ex dictis sequitur, Priorem Conventualem licet obedientiarum sit, & multò magis Ordinis S. Ioannis Ierosol. delegari posse à Papa, quia dignitate præfalgat. c. Statutum de rescr. in 6. claustrales verò non posse ex contraria ratione, uti nec Vicarii forenses. Azor. 11. l. 3. c. 20. Sanch. in decal. 10. 2. l. 6. c. 13. Barbosa in c. Etsi principalis de rescr. n. 3. & seq. V. qui dixit. preced. §. 5. nu. 2. Cardin. Tuschum in P. conclus. 707. & 708. ubi Conventuales Priores ne quidem ad Capitulum generale admitti scribit.

V. Prior Conventualis vel eligitur à Conventu, aut Collegio cui præest, & confirmatur à Superiore: vel creatur per collationem à Superiore. Hinc fit, ut ab officio removeri nequeat, nisi ex manifesti & gravi causa, ut si dilapidaret botia, vel incontinenter viveret: vel maior necessitas alterius officii ex consilio fratrum id requireret. c. Monachi de statu Monachor. At claustralis Prior ad nutum Abbatis mutatur. Innoc. in c. cit. Monachi. Abbat. in c. Nisi essent. Baldus in Margarita Zabar. in Clem. dudum §. Statutum de sepulti n. 5. Mend. Reg. 3. qu. 8. nu. 4. Mosconius de maiest. eccles. l. 1. P. 1. c. 14. Tusch. concl.

709. Roderic. Q. Q. Regular. lo. cit. Anroni Cacchus l. 1. Instr. et. 3.

VI. Priores Conventuales auctoritate concessa per Clementem IV. in foro conscientie absolvere possunt Monachos ab omni excommunicatione etiam summo Pontifici reservata, & cum eis dispensare super omni irregularitate, etiam in illis casibus, quos Pontifices sibi reservant, in morte videlicet, membrorum truncatione, & enormi sanguinis effusione, dummodò aliquod horum trium non sit notorium. Hanc concessionem magnam vocat Roderic. To. 1. Q. 20. ar. 2. eò quod tria ista excipi solent in facultatibus absolventi. Addit in absolutione ab excommunicationibus reservatis, quorundam iudicio contineri & illas, quæ sunt Censuræ Domini, quod hoc tempore nequaquam dicendum est.

§. X.

De Capitulo.

I. Capituli nomen loco primùm, deinde Canonicorum Senatui competit. Cur autem soli illi, causam frustra inquiris? Dicit Capitulum quasi parvum caput respectu episcopi, qui sit magnum, aliqui ex Panormitano allegant, qui numerare arenam mihi videntur. Multæ siquidem denominationes vel fortuitam causam, vel pro causa arbitrium habent. Isidor. l. 1. Origin. c. 28. Ioann. Andr. in c. Capitulum de rescriptis Eberhardus in Lo. ab etymol. Præterius in Lex. Oldend. eod.

II. Quis personarum numerus ad Capitulum sufficiat, utilior quæstio est? In uno Canonico conservari posse, colligitur

ex l. si quis municipium, & l. sicut §. ult. ff. Quod cuiusque Universitatis nomine. Glo. in c. 1. de elect. & c. Gratum de postul. Pral. Unde sicut grege legato, si unum solum animal remanserit, peti potest l. si grege ff. de legat. l. 1. Inst. de legatis §. si grex legatus: sic si unus solus Canonicus remaneat, potest à superiore petere, ut Ecclesiæ provideatur. Bald. in l. ult. de neg. gestu unus Consul. alius defunctis ins. habet temp. gubernandi. Ita Azor. II. l. 3. c. 37. Cujus opinio ne fallat, intelligenda est secundum Juris peritorum doctrinam, qui dicunt, quando Universitas, vel Collegium semel constitutum est, si ad unum deveniat, retinere nomen, & jus Collegii, non verò ex homine verò, & solo unquam constitui. Neque id in grege contingit. Nam secundum Gloss. decem oves faciunt gregem, quatuor vel quinque porci similiter: tres verò homines Collegium, idque Ecclesiasticum, si major pars inæqualis sit Clericorum. Tholos. l. 15. c. 32. Schneidev. l. 2. Inst. de legatis. Bern. de elect. c. 1. Glo. in c. 1. 10. q. 1. Silvest. V. Collegium. Emman. Sa. eod. Romanus Consil. 436. Card. Tuschus Concl. 452.

III. Capitulum vel consideratur separatim ab Episcopo, vel conjunctim quatenus una cum illo quasi corpus quoddam constituit. Hoc posteriore modo censentur principales consilarii, & supremus Ecclesiæ seu Episcopi Senatus. Alicubi coregnantes vocantur & mandatis publicis simul cum Episcopo subscribunt. Priore modo efficiunt Cœrum singularem seu communitatem & ab Episcopo divisi sunt, quoad leges, jura & privilegia. Mosconius l. 1. c. 15. Vallensis l. 3. c. 9. Cucus l. 1. c. 13.

IV. Episcopus in administratione sua à Capitulo dependet, ejusque consensum requirere debet 1. in administratione reddituum & bonorum Ecclesiæ, cum communia sint Ecclesiæ. 2. in alienatione rerum Ecclesiasticarum facienda. 3. si una Ecclesia alteri unienda sit. 4. in suppressione Canonicatum & beneficiorum. 5. in omni negotio, quod concernit præjudicium Ecclesiæ. 6. in iis quæ concernunt præjudicium Capituli. 7. in iis quæ spectant ad Episcopum & Capitulum simul, aut quia promiscuæ sunt jurisdictionis aut quia specialis aliqua conventio est. 8. in casu quo minueretur Ecclesiæ auctoritas. 9. Quando consuetudo est non agendi sine Capituli voto & consensu. Denique si Episcopus innovare leges aut statuta velit, quæ nimirum statum publicum Ecclesiæ vel Diocesis gerunt Innoc. in d. de mai. & obed. c. quanto de his quæ sunt à Pral. Vallens. l. 3. c. 10. Moscon. l. 1. par. 1. c. 15. Zerola par. 1. v. Episcopus n. 10.

V. Multo minus Capitulo licet in causis gravioribus statuere aliquid absque Episcopi voluntate & consensu c. Cum consuetudinis. c. Cum omnes de constit. dico. In gravioribus ut excipias ea quæ minoris momenti sunt, & solius Capituli statum concernunt. Card. Tuschus concl. 54. Quod si Episcopus officio suo male fungi videretur, in seipso convenire Capitularibus licet, & quæ in rem sunt constituere. Quemadmodum in aliis sæpe, & majorum nostrorum ævo in duobus Archiepiscopis Hermanno & Gebhardo Truchlesio factum constat. Surius Anno 1545. Gordonus in chronol. Anno 1583. Chapeavillus de Gest. Leodiens. Episcoporum tome 3 pag.

350 & 323. Zerola Prima parte V. Capitulum num. 15.

VI. Jure communi nulla Capitulo jurisdicção permittitur in Clericos & Ecclesiæ ministros: sed pluribus in locis per consuetudinem habent. Episcopus enim ordinarius Judex est totius diocesis. *Abb. in c. conquerente n. 2. §. 7. de fo. comp. & in c. Pastoralis n. 6. 7. eod.* Neque potest mutare constitutiones, & consuetudines approbatas Ecclesiæ, aut novas introducere. *Abb. Zabar. Bellam. Vivianus in Rationali alagona in compendio Barb. in c. cum consuetudinis de consuetud. & l. 1. de Iur. Eccl. c. 32. Layman. l. 1. tract. 4. c. 7. n. 11. Silv. V. Capitulum n. 4. Armilla eod. n. 2.*

VII. Episcopo mortuo succedit Capitulum in omni jurisdicção, quæ ordinario jure Episcopo competebat tam in spiritualibus, quam temporalibus. *c. His qua c. cum olim de major. & obed. Navar. consil. 43. n. 1. de temp. ord. Molina tr. 5. disp. 11. Rota decis. 1. n. 13 p. 2. divers. & decis. 346. Azor. 11. l. 3. c. 37. Em. Sa. V. Capitulum. Barb. in c. cum olim de mar. & ob. Item c. Illa 2. Ne sede vacante ubi 22. casus enumerat, in quibus succeditur. Dixi succedere in jurisdicção, quæ ordinario jure competebat. Non succedit enim in iis, quæ Episcopus per privilegia habebat: neque in potestate delegatâ *c. ult. de pæn. & rem. c. Quod nonnullis de privil. c. fin. eod. in 6. Felinus in c. Eam te. Zbroz. de Vicar. l. 1. q. 16. Piasecius in Proem. pag. 16.* Et generaliter DD. censent ea ad Capitulum non transire, quæ Sede vacante expediri non possunt. In particulari numerantur etiam sequentes casus, in quibus non succeditur. 1. In Visitatione Monasteriorum exemptorum Monialium. 2. in suppressione præben-*

darum, aut portionum, vigore *Conc. Trid. Sess. 24. c. 15. 3.* in confirmatione donationum Jurispatronatus. 4. in dimissoriis litteris ab oranes concedendis intra annum à die vacationis, nisi illis, qui arctati sunt, qualis censentur, qui habent jus, vel vocati sunt ad beneficium aliquod vacans, quod requirit actu certum ordinem, vel qui præsentatur ad beneficium Ecclesiasticum non habens primam tonsuram. Denique non succedit in collatione beneficiorum, quæ patronata non sunt. *c. 2. ne sede vacante & c. 1. de institutionib. in 6. Anto. Cucchus l. 1. Inst. c. 12. Canis. tr. 16. Barb. in c. Illa 2. de his qua fiunt à Prælati, & Azor. 11. l. 3. c. 38. Silvest. V. Capitulum n. 3. & seq. Zerol. eod. n. 5. 6. & 7. Tusch. concl. 55.*

VIII. De Jurisdicção voluntariâ ambigitur. In Capitulum derivari cum Jurisdicção necessariâ ex recentioribus affirmat. *Barb. pag. 252. citans Aloysium Riccium in praxi. aureâ resol. 130. Mosconio pag. 294.* Magis placet vices gerere in multis spiritualibus & temporalibus, sed non succedere in Jurisdicção voluntariâ. In utramque partem rationes cumulantur ab *Azorio 11. l. 3. c. 37.* qui tamen affirmativam præfert. Cùm enim Jus dicat simpliciter Capitulum Episcopo succedere, non debet restringi ad necessariam. Unde sequitur 1. concedere posse indulgentias, videlicet unius anni in Dedicatione Ecclesiæ, & 40. dierum in anniversario Dedicationis. 2. dispensare in omnibus, in quibus Episcopus si viveret, dispensaret. 3. constituere Confessarium, qui absolvat à reservatis. *Avila par. 7. disp. 10. dub. 6. Silv. & Zerola loco citato. Laym. l. 1. tract. 4. c. 7. n. 12.*

IX. Quod ad potestatem Ordinis spectat,

Et, illa similiter ad Capitulum devolvitur per mortem Episcopi, quam potestatem non quidem per se, sed alios exerceat *Glo. in c. de his qua & c. si Episcopus de supplen. negl. Pralator. in 6.* Nam ejusmodi potestas requirit Episcopum consecratum committere igitur, quæ Ordinis sunt, alicui Episcopo poterit. *Henriq. l. 10. c. 22. Viasecius par. 1. n. 15. Armilla V. Capitulum n. 9.*

X. Jure novo Concilii Trident. Sess. 24. c. 16. constitutum est, ut Capitulum sede vacante infra octo dies post mortem Episcopi Vicarium Generalem eligat, vel existentem confirmet. Si neglexerit, ad Metropolitanum deputatio ejusmodi devolvitur. Si Ecclesia ipsa Metropolitana fuerit, vel exempta antiquior Episcopus ex Suffraganeis in Metropolitana & propinquior Episcopus ex exempta Oeconomum & Vicarium idoneum nominare possunt. Ab his Episcopus postea electus rationem officii & administrationis exiget, ut *Concil. l. cir. declarat. Addit Azorius II. l. 3. c. 37. q. 18.* plures Vicarios etiam principales creare posse, præterea ad nutum revocare constitutos. Quod si aliquem creaverit cum juramento nunquam revocatum iri, nihilominus ratam fore revocationem. *c. cum vos de off. ord. quo in loco tamen non de Vicario Generali, sed Oeconomio præcipitur, qui curam habeat bonorum, & redituum sede vacante, quemadmodum Barb. notar.*

XI. Postremò quæri potest, an Capi-

tulum sede vacante possit alicui honorificum Magisterii, vel Doctoratus gradum conferre, quemadmodum Episcopus potest? censeo distinguendum. Vel enim ejusmodi potestas spectat ad solum Episcopum, vel simul ad Episcopum, & Capitulum. Si posterius hoc, manet haud dubiè in Capitulo. Si verò primum, aut Jure communi habet illam potestatem, aut speciali. Si jure communi derivatur in Capitulum, si speciali non derivatur: sicuti nec cognitio de feudalibus causis secundum communem regulam, devolvitur ad Capitulum, quia Episcopo jure speciali, vel privilegio competit *Gloss. in Clem. ult. de Magistris Abb. & Felinus in c. cum olim de maior. Payn par. 1. q. 6. Rebuff. in praxitt. de devolut. n. 69. Azor. II. l. 3. c. 39. q. 5. Barbosa in c. inter sollicitudines clem. de Magistris Alexand. consil. 110. lib. 6. Silv. V. Capitulum cir. fin. allegans Panormit. cum distinctione, quam indicavimus supra. Idem de aliis juribus dicendum, puta, legitimandi, restituendi in gradum pristinum, nobilitandi, ac similibus: quæ si ex privilegio obtinet, secum auferet tumultanda: sin minus, in Capitulum transferentur, ut alia ejusdem generis omnia.*

Alexand. loc. cit. Card. Tuschus in V.

Doctorandi facultas

Concl. 551.

* *

TITULUS VI.

De modo conferendi Beneficia.

Sex numerantur modi beneficia dandi & accipiendi *Primus est* præsentatio per Patronum facta, & institutio. *Secundus* electio, & confirmatio. *Tertius* postulatio, & confirmatio. *Quartus* Collatio libera. *Quintus* Permutatio. *Sextus* Resignatio in favorem alterius. Præsentatio est personæ per patronum Episcopo, vel alteri, ad quem pertinet, legitimè facta exhibitio. Institutio beneficii collatio, seu attributio. Confirmatio propriè ad electum, sicut institutio ad præsentatū refertur. Collatio nuncupatur, quando beneficium solo jure Prælati datur, nec subest juri patronatus. Omni beneficio commune est, quod obtineri nequeat sine Canonica institutione. De Permutatione, & Resignatione satis videtur dictum tit. 2 §. 6. & 7. Reliqua ordine pertractabimus.

§. I.

De jure Patronatus.

Jus Patronatus definitur: *potestas præsentandi idoneam personam ad beneficium Ecclesiasticum vacans.* Duplex est, patronatus Ecclesiastici & Laici. Ecclesiasticum vocatur, non quòd Ecclesiasticus illud possideat, sed quia ortum inde, quòd ex bonis Ecclesiasticis Ecclesiam quis fundavit, extruxit, vel dotavit; vel, quod habetur ratione Rectoratus Ecclesiæ, aut dignitatis alicujus, puta, Præposituræ, aut Decanatus. Jus patronatus Laici competit alicui, quia ex bonis patrimonialibus, aut sæcularibus Ecclesiam

fundavit, construxit, aut sufficienter dotavit, vel beneficium aliquod crexit, vel quia ab aliquo horum causam habuit. Hoc censetur Ecclesiasticum fieri, quando donatione, aliove modo transfertur ad Ecclesiam, Capitulum, vel Monasterium, aut annectitur alicui beneficio, dignitati, &c. *Lancel. Inst. hoc tit. Canis. eod. Anton. Cucch. l. 2. tit. 9. Regi. l. 30. tit. 3. c. 16. Vall. l. 3. tit. 37. §. 1. Covar. l. pract. qq. c. 36. n. 2. Fr. Leo par. 2. Fori Eccl. c. 2. Garz. pa. 4. c. 1. n. 594. Laym. l. 4. tit. 2. c. 13. n. 3. & 4. AZ. l. 1. c. 19. Zer. par. 1. V. Jus patronatus. Pia. par. 2. c. 5. n. 5.* Differunt in hisce quatuor. 1. quoad derogationem, quia Jus patronatus Laicorum solus Papa derogare potest, nec derogare censetur, nisi expressa mentione facta: Juri patronatus Ecclesiastico potest etiam Legatus à latere derogare. 2. Laicus patronus habet quadrimestre tempus ad præsentandum, Ecclesiasticus vero semestre. 3. Laicus patronus, cum semel præsentavit, variare potest, & proponere alium: idem Ecclesiastico patrono non permittitur. 4. patronus Ecclesiasticus eligens scienter indignum, privatur illa vice potestate præsentandi, laicus vero non privatur. *Lamb. de ju. e patron. l. 3. q. 10. art. 1. Sanch. l. 2. consil. c. 3. D. 53. n. 9.*

II. Jus patronatus spectando primam originem quinque modis acquiri potest. *Primus est* Si quis Ecclesiæ extruendæ fundum concedat. *c. nobis de jure patron. c. Quicunq. c. decernimus 16. q. 7.* *Secundus*, si cum consensu Episcopi Ecclesiam construat. *Tertius*, si eam dotet, vel beneficium

fiat aliquod erigat. *Con. Tr. Sess. 25. c. 9.*
Hinc Versiculus iste,

Patronum faciunt Dos, edificatio, fundus.

Quartus multiplicatis præsentationibus à tempore immemoriali, seu consuetudine, de quâ *Con. Trid. Sess. 25. c. 9.* *Quintus* concessione Summi Pontificis, à quo olim propter instantem necessitatem Imperatores & Reges Patroni Ecclesiarum rogati & constituti sunt. Neque omnia ab ipsis solis beneficia erecta fundataq; prudenter cogitare, & affirmare possumus. Idem à Monasteriis quibusdam factum liquet cū magno fructu primū, mox damno, quando Principes, & Dynastæ totum electionis, & institutionis jus sibi vindicârunt. Ob quam causam à *Con. Trid.* datur potestas Episcopis examinandi patronorum titulos, & abrogandi illorum jura, quæ juxta formam præscriptam probata non fuerint: item examinandi præsentatos, sive ab ipsis instituendi sint, sive ab aliquo inferiore Denique prohibet, jus patronatus vendi sub pœnâ excommunicationis & interdicti ferendâ, & sub pœnâ amissionis illius juris ipso facto incurrendâ. *Con. Trid. Sess. 25. c. 9.* & ibi declarationes *Cardin. Silv. V. Jus patronatus n. 2. Fr. Leo in Thes. fo. Eccl. par. 2. c. 21. Piafec. par. 2. c. 5. n. 5.*

III. Ad probandum Jus patronatus sufficit primò documentum, seu scriptura authentica, qualis esset Episcopi Bulla, vel consensus in scripto datus ad fundandum, construendum, seu dotandum: facit enim plenam fidem in iis, quæ fiunt sine figura judicii sola scriptura, aut sigillum Episcopi. *c. post cessionem iun. Glo. V. literas de probat. Secundò* consuetudo præsentandi per antiquissimum tempus nun-

quam interrupta, seu immemorialis temporis. *Tertio*, si de solo possessorio agatur sufficit probatio per testes *Zerola V. Jus patron. ad 3. Barb. ad c. 9. Sess. 25. Con. Tr. Piafec. par. 1. c. 5. pag. 382.* ubi addit libros visitationum non probare sufficienter, cum fiant sine causæ cognitione. Item consuetudinem immemoriam probandam esse ad diem motæ litis juxta declarationem *Congr. Cardinalium.*

IV. A jure patronatus non excluduntur fœminæ *c. ult. de cõcess. præb.* neque impuberes, neque illegitimi *Arg. c. 1. Pia mentes. & c. Frigentius 27. 16. q. 7.* ubi omnibus Christianis jus patronatus permittitur. Nec difficile est causam indagare. Expedi enim piam fidelium propensionem ad fundandas, dotandasque Ecclesias fovere & promovere. Si contingat jus patronatus annexum esse bonis à muliere in dotem viro datis, probabile est hunc patronum fore: secus si aliis bonis annexum fuerit: tunc enim ad mulierem præsentatio pertinebit. Pupilli, jus patronatus habentis absque auctoritate tutoris præsentatio non fiet. Minoris verò etiam sine Curatoris consensu facta valebit. *Garz. par. 5. c. 9. n. 177. Anto. Cucchus l. 2. Inst. tr. 9. Moscon. l. 1. par. 3. c. 2. Silv. V. Jus patron. n. 5. A. 7. 11. l. 5. c. 21. n. 16. Laym. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 18.*

V. Cum de possessione juris patronatus alicui mota est, à præsentando abstinerebit *Arg. c. ex literis de iure patron. Gloss. in c. 2. V. electionem. de in integr. rest.* Si verò bonæ fidei possessori mota lis est de proprietate juris, admitti quidem præsentatio, sed præsentatus lite pendente institui non debet. Si autem possessor ante litem conditam præsentavit, institutio fieri

N

fieri

fieri debet, quamvis supervenerit lis. *Abb. in c. cit. ex liter.* Presentatio enim est quasi fructus Juris patronatus. Plus autem juris habet bonæ fidei possessor ante litem contestationem, quam postea. *Gonz. ad reg. 8. Cancell. Glo. 45. Piaf. par. 2. c. 5. Gutier. consil. 4. n. 34. Barb. in c. consultationibus de iur. patr. Zypars l. 1. de iurisd. Eccl. c. 38.*

VI. Quatuor potissimum jura competunt patrono tam Laico quam Ecclesiastico. Primum est presentare Episcopo instituendos ad beneficia tum simplicia, tum curata, quando vacant. Ante vacationem enim non tantum irrita presentatio est, sed etiam ipsa promissio alicui specialiter facta: quin etiam commissio facultatis presentandi, si fiat favore personæ determinatæ, ut illa ad beneficium proximè vacaturum presentetur. *c. ult. de concess. præb. secundum*, Patroni præcipuus honor est in processibus, sessionibus, & similibus. *16. q. 6. c. Piamenti & c. Frigentius.* Addunt aliqui Ecclesiæ Prælatum aliosq; Clericos Patrono, ut benefactori suo reverentiam debere. Tertio Patronus ad inopiam redactus cum filiis suis ab Ecclesiâ ejusq; beneficiatis alendus est ex iis, quæ supersunt: si non fecerint, actio contra illos tanquam ingratos permittitur. *c. qui sunt, 16. q. 7. & c. nobis ead.* Extra hunc casum non licet illi quicquam exigere: neq; Ecclesiam gravare exactionibus, aliisve oneribus, nisi aliter in ipsâ fundatione constitutum sit. Quarto Patrono incumbit jus & onus tuendi ac defendendi Ecclesiam. *c. filii 16. q. 7.* ubi dicitur. Licitum sit (filiis etiam, & nepotibus Patroni) hæc bonæ intentionis habere solertiam, ut si Sacerdotem vel ministrum aliquid ex collatis rebus præviderint defraudare, aut

commonitionis honestæ conventionem compescant, aut Episcopo vel judici corrigenda denuncient. Quod si talia Episcopus agere tentet, Metropolitano ejus hæc insinuare procurent. Si autem Metropolitanus talia gerat, Regis hæc auribus intimare non differant. *Item in c. decernimus ead. q. dicitur, ut quamdiu fundatores Ecclesiarum supersunt, pro iisdem locis curâ habere sollicitam permittantur.* Quod tamen ita limitandum, ut non existiment Patroni Laici ad se pertinere jurisdictionem, vel administrationem bonorum, ut de illis rationem exigant & pro arbitrio disponant: sed juxta tenorem capituli septimi supra citati, ne quid damni patiatur Ecclesia, attendant & si factum fuerit, Episcopo denuncient. *Zyp. l. 2. de iurisd. Eccl. c. 85.* Prædicta privilegia continentur his *VV.*

Patrono debetur honor, onus, emolumentum, Presentet, præsit, defendat, alatur egenus. Gloss. in c. nobis de iure patr. Vivian l. 3. n. 380. Alagona in comp. p. 512. Azor. l. 1. c. 20. Barb. in c. cit. Nobis.

VII. Episcopus non potest mutare conditionem, & qualitatem ex rationabili causâ à fundatore appositam. *c. tua nobis de testa.* ubi generaliter dicitur. In omnibus piis voluntatibus generaliter providendum est, ut secundum defuncti voluntatem universa procedant. Unde merito dicit *Abb. ad c. cit. n. 5. & Covar. n. 11.* A solo supremo Principe ultimis voluntatibus per plenitudinem potestatis, cum justa causa subest, derogari posse. *Juxta Clem. contingit de rel. dom.* Quod si dubium oriatur de mente fundatoris, vel testatoris, ab Episcopo petenda interpretatio erit, qui etiam, si irrationabilis videatur, impe-

impedire potest. Vnde consequitur, absque consensu patroni Episcopum nihil disponere posse in beneficiis patronatis, mutando, transferendo, vel extinguendo. *Abb. in c. cum dilectus n. 5. de consuet. Less. l. 2. c. 34. dub. 9. Laym. l. 4. tr. 2. c. 13. n. 9. & 12. Armilla. V. Ius patronatus n. 6.* Alia est in Summo Pontifice, qui in quocunque patronatu, Laicò, & Ecclesiastico derogare potest, ut ex *Covar. l. pract. 99 c. 36.* f. u. s. explicat *Less. l. cit. Lay. in def. just. c. 2. p. 59.*

VIII. Nec institutus semel renunciare potest beneficium in favorem alterius, aut permutare illud absque consensu patroni: qui tamen consentire tenetur, si id necessitas vel major Ecclesie utilitas exigat. *Abb. in c. cum accessissent n. 6.* cum quo idem alii sentiunt. Nihilominus in simplici & libera renunciatione non videtur necessarius Patroni consensus, quia nihil ipsius iuribus derogat. Licet enim illi tantum quemcumque alium presentare, ut notavit *Garzia. par. 11. c. 3. n. 19.* Idem dicendum in aliis casibus, ubi jus Patroni non laeditur. Vnde sequitur *Primo*, Rectorem Ecclesie posse novas fundaciones altarium recipere. *Secundo* Coadjutorem, aut Vicarium temporalem constituere, ad titulum, vel potius sustentationem Ecclesie suae, ordinandos Episcopo presentare. *Tertio* addit aliqui pensionem temporariam, non transeuntem ad successores beneficio imponi posse absque consensu patroni. *Lambert. de iure patr. l. 3. q. 5. Gonz. ad reg. 8. Cancell. §. 3. Laym. l. cit. n. 13. Barb. in c. Ad hac de off. Vicar. Rochus de iure patron. q. 3. n. 9.*

IX. Jus patronatus quatuor modis transferri potest juxta *Glo. in c. Pie mentis 16. q. 2.* nimirum Donatione, permuta-

tatione, Venditione, & testamento. De donatione legimus in *c. ex insinuatione de in. patro. si donetur loco, vel personae religiose non opus est consensu episcopi, si laico.* Interest enim cui detur, ne forte nimis potens sit, à quo plus damni, quam emolumentum sperare ecclesia possit. Sufficit tamè, consensum episcopi post factum impetrari. Permutationem quod attinet, licita omnino est, modò cum simili aliquo iure spirituali permutetur. Consensus tamen episcopi impetrandus propter causam modò indicatam. De Venditione diximus n. 2. prohibita esse. Testamento autè transferre licet, quin etià ab intestato, nec solum ad agnatos, sed extraneos quoque, masculos & feminas. Ex duobus patronis si unus in plures transtulerit ius suum, plures isti loco unus erunt, nec plures in presentando, sed unam duntaxat vocem habebunt. *Clem. 2. de in. patro. in ult. Glo.* Vbi additur, Vt facilius provideatur ecclesiis, conveniens reputamus, patronos ipsos inter se posse liberè convenire de rectore ab eis alternis vicibus presentando. Quin etiam benè annotavit *Glossa prima communiter recepta*, quod patroni plurium ecclesiarum inter se iura sua dividere possint, ut unus presentet in una ecclesia, alter in altera. *Gloss. in V. Fundatione in c. Pie mentis 16. q. 7. Jac. de Graff. Par. 2. l. 2. cap. 25. Zechus de benef. & pens. c. 12. n. 5. Barb. de potest. episc. par. 3. allegat. 71. Layman. n. 20.*

X. Idem ius totidem modis amittitur. 1. Si patronus vendat, vel contra, quam oporteat immutet. 2. si usurpet suum incommodum. 3. si mortem intentare audeat Rectori ecclesie. 4. per hæresim. *Zerola V. Ius patro. par. 1. §. ad octavum. Vallens. l. 3. tit. 38. §. 7. Jac. de Graff. par. 2. l. 2. c. 6. n. 25 & sequ.*

§. II.

De Electione.

I. **E**lectio propriè sumpta est alicuius personæ ad Ecclesiam vacantis pastoralem dignitatem canonica vocatio. Latius accepta comprehendit quamlibet nominationem, qua aliquis legitimè nominatur, designatur, vel offertur illi, qui confirmare potest. Confirmatio significat consensum, & approbationem superioris, quæ tamen non est necessaria in omnibus, sed tantùm in Prælati Ecclesiasticis, non religiosis, qui per electionem propriè & strictè sumptam à Collegio Clericorum eligi debent, de qua est ritulus in l. 1. & 6. *Decretalium*, *Clementinis* quoque & *Extravagantibus*. Cæterùm *Canonica vocatio* dicitur, in qua servata est forma electionis à iure præscripta. *c. quia propter iun. Glo. V. Senior*. Sed quæ prædicta forma non uno modo servatur, Canonica electio triplex invenitur. Una strictè, altera, strictius, tertia largo quodam modo. In ea enim præter consensum electorum, nulla iuris solennitas adhibetur: cum in strictè accepta substantiales, in strictiori etiam accidentales observentur, de qua propterea loqui communiter jura existimantur *Barb. in c. Illa de el. Canonius l. 1. Instit. tit. xi. Lancel. l. 1. tit. 6. Anto. Cucus eod. silv. V. Electio n. 1. & 2. Vallen. l. 1. tit. 6. §. 1. Reginald. l. 30. pag. 691.*

II. Qui electus est, nondum habet jus in re, sed ad rem tantùm, ac proinde confirmatione indiget, à qua plenum jus tribuitur. Unde sequitur *Primo*, si electus moriatur ante confirmationem, beneficium non vacare, per illius, sed per obitum præcedentis possessoris. *secundo*, non posse usurpare administrationem. *c. nosti c.*

qualiter de elect. alioqui jus per electionem acquisitum amittit c. Avaritia eod. in 6. Insuper perceptione fructuum privatur, & acta irritantur. Extrav. 1. de elect. Dispensativè tamen in c. nihil de ele. permittitur, ut Prælati à summo Pontifice confirmandi, in remotis provinciis ante confirmationem suscipere queant administrationem tam in Spiritualibus, quàm temporalibus, ita tamen, ut ex Ecclesiæ bonis nihil alienent. Lancel. l. 1. tit. 9. Laym. qq. Canon. pag. 99. Cansl. l. 1. tit. 13. Pia, ec. in prax. pag. 9.

III. Est autem Romanæ Curie moderna consuetudo, ut post propositionem promovendi in consistorio firmetur *Breve*, & mittatur pro capienda possessione, antequam Bullæ expediantur: accepta verò possessione sive vigore *Brevis*, sive *Bullarum* plena administratio competit confirmato, quamvis nondum consecratus fuerit, statimque administrare, & exercere ea omnia potest, quæ ad potestatem jurisdictionis pertinent, cujusmodi est judicare, excommunicare, juramenta à Vassallis recipere, beneficia conferre, & instituere. *transmissam de elect. iun. Glo. V. de talibus. Indulgentias quoque concedere potest, etiam si nondum Sacerdos foret, quia indulgentiarum concessio jurisdictionem sequitur, non ordinem. Piasec. in Praxi pag. 17. Silv. V. Indulgentia n. 10. Em. Sa. n. 16. Nota 1. Non vacare beneficia electi, nisi post confirmationem, & consecrationem, aut saltem post trimestre tempus à iure definitum, ut colligitur *ex c. cum in cunctis*. 2. Talem Episcopum percussus non incurrit excommunicationem duodecimam *Bulla Cæne Domini*: imò nec si confirmatum percussisset ante illius consecrationem. *Glo. in clem. dignum. de celebr.**

lebr. Miss. Nav. c. 3. n. 67. 3. Occidens episcopus solummodo electus, teste. *Mofconio, pag. 158.* mitiori poena pleandus est, quam si consecratum occideret *Glo. in c. Tuo nos.* Addit, neminem appellandum episcopum, nisi fuerit confirmatus, & consecratus: quod tamen in Germania hae nostra minimè observamus. Cum enim Principes simul sint cum omnimoda seculari iurisdictione non decet subditos in honorando paucos esse.

IV. Ius eligendi penes Collegium est. *c. 1. de elect. c. Congregatio 10. Q. ult.* Et vocandi omnes sunt, quibus eligendi potestas competit ut nimirum per se, vel procuratorem compareant. *c. Quod sicut De elect.* quamvis duo tantum fuerint, sufficiens numerus censetur. *c. Nullus citato de elect.* In uno ut conservetur Collegij ius secundum ea, quae *Barb. notat in c. Nullus de elect. Eberh in loco à genere ad spec. n. 2.* seipsum tamen eligere non poterit, ne ambitionis reum se faciat, *Arg. c. Per nostras de iure patron.* Poterit autem idoneum aliquem nominare, & Superiorem proponere confirmandum, vel in Superiorem, aliumve clericum unum, aut plures ius eligendi transferre, quo casu etiam ipse eligi poterit. Ex consuetudine etiam vel privilegio, qui de Collegio non sunt, interesse electioni possunt. *c. Romana inncta Glo. V. Consuetudine de elect.* praesertim principes & patroni. Ille quoque qui est in quasi possessione iuris eligendi aut praesentandi, validè eligit, & praesentat, licet postmodum in iudicio causa cadat, quia praedicti actus eligendi vel praesentandi censentur esse fructus iuris beneficii aut patronatus. Unde sequitur, quemadmodum bonae fidei possessor

fructus validè alienat, ita praesumptus elector validè eligit. *Abb. Zabarell. Visianus in Ration. iuris l. 1 p. 126. Alagon Compend pag. 49. Anto. Augustus coll. l. 3. Decretal l. 1. r. 6 cap. 16.*

V. Si contingat aliquem ex illorum numero, quibus eligendi ius convenit, non vocari ad electionem, cum posset, ac deberet, electio quidem non propterea censetur invalida, ipse tamen actionem instituere poterit adversum eos, à quibus contemptus est, & electionem infirmare. *c. Quod sicut. c. Bona de postul. Pral. ubi Abb. num. 7.* Praeterea si quis cum posset, adesse, abesse malit, pro ea vice juri suo renunciare cogi non debet, nisi fortè ex absentia illius damnum aliquod ecclesiae aut praesudicium timeret. *Abb. & Glo. in c. Quia propter V. Quis volunt. Sotus l. 4. q. 6 a. 3. Armilla V. Electio n. 20. Layman l. 4. r. 2. c. 12. n. 4. Gutier. l. 2. c. 99. c. 11 n. 86.*

VI. Ab electione facienda, ut incapaces, excluduntur 1. Excommunicati. *c. Constitutus 1 de appell. 2. Suspendi ab officio. c. cum dilectus de consuet. 3. Irregulares c. Is qui §. ult. de sent. excom. in 6. 4. Qui in loco interdicto scienter celebravit. 5. Eligentes indignum seu incapacem c. cum in cunctis de elect. 6. Qui per abusum admittit saecularis potestatis elegerunt 7. Qui tribus mensibus distulerunt electionem Praelati, pro illa vice privati sunt jure electionis. *c. ne pro defectu cod. 8. Impuberes c. Ex eo quod de elect. in 6.* Requiritur enim in ecclesiis cathedralibus, & collegiatis aetas annorum 22. ut in Subdiaconis. 9. qui in ecclesiis regularibus aut monasterijs expressè vel tacitè profecti non sunt. Similiter excluduntur Laici conversi. *c. Ex eo quod §. ult. de elect.**

in 6. Qui eiusmodi sunt, ab electione facienda prohibentur: in dubio admitti possunt cū protestatione, eorum suffragia non plus valitura, quàm valere secundum Canones debent: *Abb & alii DD. in c. Cumanana de elect. n. 2. Anton. Cucchus l. 1. Instit. sc. 7. Vallensis l. 1. tr. 6. §. 5. Layman l. 4. Tr. 2. c. 12. n. 3. Az II. l. 6. c. 14. Q. 8.*

VII. Ius eligendi Prælatum ecclesiasticum cū nullo pacto, fundatione, aut donatione Laicis concedi potest. *c. Sacrosancta 51. de electione.* Quia ius eligendi Prælatos spirituale est, cuiusmodi tractare ex officio Laicis minimè competit. *c. 2. de iudic.* Neque id patitur ecclesiastica libertas. Cùm ergò Prælati summo Pontifice inferiores libertati ecclesiasticæ præiudicare nequeant, manifestum est, ab illis in laicos eligendi potestatem transferri non posse. *Azor l. 1. c. 19.* Nihil vetat tamen, quò minus summus Pontifex regi alicui vel Principi tale ius concedat. Nam Galliarum rex generalem potestatem habet in toto regno suo nominandi Prælatos & episcopos à Papa confirmandos iuxta *Sanctionem Pragmaticam*: de qua *Rebuffus & Degrasfalus l. 2. Regalium Francia circa initium.* Idem regibus Hispaniæ Lusitaniæ & Imperatori indultum constat. *Barbosa in c. cum terra de elect. Vbi n. 9.* monet, prædicto iuri seu privilegio non derogari per reservationes in Regulis Cancellariæ Apostolicæ fieri solitas. Illud verò fabulosum est, quod ex *Sigeberto, & Luitprando Gratianus* refert omnium ecclesiarum investituram ab *Adriano Papa Carolo M. & à Leone octavo Ottoni primo Imperatori* donatam fuisse. *Baron. A. C. 774. Regin. l. 30. tr. 3. c. 17. Ferdinandus ab Efferen in Manuali politico l. 4. puncto 7. Bellarm. l. 1. de cleric. c. 10. l. de*

translat. Imp. c. 12. & Recognitionem p. 17. Laym in defens. iusta c. 4. p. 259.

Electionis Canonice tres modi sunt. Per secretum, seu secretam collectionem suffragiorum. Per Compromissum, si certis & idoneis personis electio committatur, & per viam Spiritus Sancti, cùm omnes quasi uno consensu unum aliquem nominant. Electio quæ alio modo quàm ex prædictis aliquo peragitur, irrita censetur, & qui ita elegerunt, pro ea vice eligendi potestate privandi sunt. *c. Quia propter 42. de elect.* Vbi notanda differentia. Qui in materiâ peccant, indignum eligendo, ipso iure privati sunt potestate eligendi: qui verò in formâ seu modo, per sententiam Iudicis privandi sunt. *Silv. §. 1. nu. 9. innoc. in c. Quia propter de el. Vallens l. 1. tr. 6. §. 4.*

IX. Solennitates accidentales, antè electionem Prælatorum faciendæ quinque potissimum sunt. 1. Ipso electionis die Missa de Spiritu Sancto celebratur, & electores communicant. 2. Hymnus *Veni Sancte Spir.* ab omnibus alta voce recitatur. 3. Totius Capituli nomine unus aliquis protestatur, nolle se quemquam admittere ad electionem aut suffragium illius valere, qui ad eligendum de iure inhabilis est. 4. Absoluuntur omnes ab excommunicatione, aliisque censuris in ordine ad effectum Canonice electionis. 5. Aliquando præmittitur tractatus, in quo personæ aliquæ palàm nominantur, & proponuntur in Capitulo tãquam idoneæ ad Prælaturam. Et hæc ubi consuetudo viget, omninò servanda sunt, quamvis accidentalia videantur, & sine quibus consistere possit electio. *Gutier. Q. Q. Canon. c. 4. Mosconius l. 1. p. 1. c. 8. Brasius de elect.*

elect. Par. 3. requis. 22. & cap. 13. Emm. Roderic. Tom. 11. Q. 54. artic. 1. Silu lo. sit. Canisius l. 1. inst. 11. Lancelot. l. 1. 11. 6.

§. II.

De electione per Scrutinium

I. DE Scrutatoribus extat *cap. 42. de elect.* ubi præcipitur, ut assumantur tres de Collegio fide digni, qui secretò, & sigillatim vota cunctorum diligenter exquirant, & in scriptis redacta mox publicent in communi nullo prorsus appellationis obstaculo interiecto, ut is collatione habita eligatur, in quem omnes, vel major & sanior pars Capituli consentit. Censetur autem sanior pars, quæ pietate, & iustitia prævalet. *Ita ibi.* Nuncius obtinuit in multis locis, ut Scrutatores non ex Capitulo, sed aliunde sumantur exacto iuramento de fide & taciturnitate. *c. Quia propter de elect. Cucchus l. 1. inst. 11. 7. §. sed ne quid. Moscon. l. 1. par. 1. c. 5. Laym. l. 4. Tr. 2. c. 12. num. 6. Arnold. Corvinus l. 1. Aphorism. 11. 4.*

II. Scrutinium duobus modis fieri potest, Voce, Scripto. Rogantur à Scrutatoribus singuli, ut iurati vel iuxta conscientiam suam nominent, qui dignus videatur. Hæc suffragia Notarius aut tabellio excipit. Cùm Scrutatores de ipso Capitulo sunt, postquam Capituli præses elegit, à se invicem exigunt suffragia, duo ab uno, idque ab initio, antequam aliorum auditæ sententiæ sint, ne ex his suam ipsi postremò determinationem accipiant. *Silu. V. Electio. Moscon. de maiest.*

eccl. l. 1. par. 1. c. 2. Vallens. parat. l. 1. ss. 6. §. 40. Azor. 11. l. 6. c. 14. Q. 11.

III. Electione legitimè peracta coram omnibus de Capitulo faciendâ est publicatio, ut intelligat quilibet, quis, vel qui electi sunt. At nomina eligentium & suffragia, præsertim si scripto data supprimuntur, vel etiam comburuntur. Est autem permissum electoribus ante publicationem mutare, revocare, aut alteri dare suffragium suum, quia nondum omninò completa censetur electio, quamdiu publicatio differtur.

Vbi notandum, si forma in *c. Quia* propter præscripta servanda sit, electionem quasi duplicem fieri; Vnam in privato apud Scrutatores, alteram in publico per publicationem, & acceptationem. Quòd si scrutatores differre publicationem ex quacunque causa voluerint, quilibet ex Capitulo, maxime qui se electum esse confidit, contradicere, aut licet intendere potest. *Con. Tr. sess. 25. c. 6. Lancel. l. 1. ss. 6. Tholos. l. 1. ss. 29. c. 5. Roderic. Tom. 11. QQ. regular. Q. 52. artic. 14. Cucchus l. 1. inst. 11. 7. pag. 70.*

IV. Scrutini publicationem in Capitulo factam proximè sequitur collatio à Scrutatoribus, vel à Capitulo Deputatis faciendâ videlicet numeri ad numerum, zeli ad zelum, & meriti ad meritum. Numeri collatio fit, ut appareat, an aliquis à maiori parte electus sit: zeli, ut appareat, quis electus sit à saniori parte: Meriti, ut quis è pluribus dignior sit, innotescat. Hoc tempore solius ferè numeri excessus attenditur supponendo neminem ita obligationis suæ immemorem esse, ut indignum eligere velit. His positis, si nulla quæstio moveatur vel contra electores

ctores vel contra electum, aut formam electionis à persona ad id deputata publica & solennis promulgatio fit hoc ferè modo. *Ego N. nomine meo, & eligentium, mihi que consentientium invocata Spiritus sancti gratia in Episcopum, Abbatem, & eligo N. & electum pronuncio, & coram vobis publico in nomine Patris. & c. Suar. IV. de Relig. l. 2. cap. 5. num. 24. Canis. l. 1. tit. 11. Cucchus. l. 1. tit. p. 70. Tabiena. V. Electio. Barb. in c. Quia propter de elect.*

V. Prædicta electionis forma non est in iure præscripta nisi pro iis Prælati tantum, qui generalem & ordinariam iurisdictionem habent, quales sunt episcopi Prælati regulares, & ecclesiarum Collegiarum Præpositi, ab episcoporum iurisdictione exempti. Nam *Lateran Concilium in c. quia propter* pro ecclesiis viduatis tantum præscribit formam electionis. Non dicitur autem ecclesia viduata, nisi quæ pastorem suum velut sponsum amisit. Sponsus autem primo loco episcopus cæsetur, deinde Prælati episcopo minores. In aliis electionibus sufficit, quocumque modo consensus præstitutus maioris partis Capitularium, seu Collegiarum, & consuetudo attenditur. *Laym. QQ. Canonic. pag. 67. & l. 4. Tract. 2. c. 12. n. 6.*

VI. Dubium est, An scrutini forma etiam in postulatione Prælati adhibenda sit? Adhibendam in non solenni postulatione, cum Abbas, vel alius Religiosus ad episcopatum, aliamve Prælaturam postuletur ex *c. quia propter de elect.* colligitur, quia æquiparatur vere electioni. Idem igitur in solenni faciendum erit à potiori. Non minus enim sic postulatus ad prælaturam ius consequitur, quàm si solenniter

electus esset, ut cum *Abb. in citatum cap. quia propter Silv. V. Postulat. o & alii DD. notant Regim. l. 30. tit. 3. c. 14. Az. 11. l. 6. 17. Q. 3.* refert opinionem quorundam, omnes in postulando concordare debere aded, ut vel uno discrepante irrita sit postulatio: quæ nimirum gratiæ & favoris est. Verùm obtinuit hodie contraria opinio & maioris partis vota sufficiunt. *Goff. Off. Abb. Silv. V. Postulatio & c.*

§. II.

De electione per Compromissum.

I. **P**ER Compromissum facultas datur à Capitulo certis personis eligendi, quem prælatura dignum iudicavit. Parvi enim refert, teste Paulo I. C. An ipse ordo (*Decurionum*) elegerit, an is, cui ordo negotium dedit. Possunt autem Capitulares compromittere etiam in personas incertas, ita ut hi unum pluresve designent, per quos constituantur Compromissarii. Illud observatione dignum est, ne Compromissum fiat, unum solùm de Capitulo impedire posse. *c. si compromissarius de el. in 6. Moscon. l. 1. par. 1. c. 2. Vallens. l. 1. tit. 6. §. 4. Laym. l. 4. Tr. 2. c. 12. n. 7. Anton. Cucchus. l. 1. inst. 11. 7.*

II. Compromissarii non nisi ex Clero sumendi sunt, quia à Laicis tractari ecclesiastica munia nequaquam convenit. Perinde fuerit autem, ex Capitularibus deligere Compromissarios, vel ex aliis, qui idonei censentur. Nec repugnat unum tantum constitui, v. g. episcopum, cui Capitulum ecclesiæ regularis, aut sæcularis subiectum est. Quo in casu episcopus eligit primò, deinde Capitulo proponet, postea,

Postea, si nihil obstat, electum confirma-
bit. *Glo. & Innoc. in c. cum inter 21. de ele.*
Ad praxim cōducit numero impari elige-
re Compromissarios, quamvis id nō sem-
per necessarium sit. *c. Contingit de arbitris*
Az. 11. l. 6. c. 14. Qu. 11. Tuschus concl. 505.
Laym. lo. cit. Silv. V. electio §. 11. n. 18.

III Compromissio fit vel absolutè, vel
limitatè. In absoluta eligendi potestas to-
ta in Compromissarios transfertur, ut quē-
cunq̄ue iudicaverint, dignum eligant. In
limitata verò ad certum genus hominum
restringitur. Nō admittitur hæc Comprom-
missi forma, ut electus censeatur, in quem
maior Compromissariorū numerus comparatione
aliarum partium consenserit.
v. g. Si ex septem Compromissariis duo
cōsentiant in Titium, alij verò in Sempronium,
nō potest formari Decretū electionis de Sempronio
quia electio per Cōpromissū nomine totius Capituli
facienda est. Vnde *Bonif. VIII. in c. sicut 21. de elect. in 6.*
in electione per Compromissum promul-
gationem fieri vult ab uno aliquo nomi-
ne communi, & collectivo. *Ego N nomine meo, & aliorum mihi consentientium eligo Sempronium &c.* Quod hic de electione,
de postulatione quoque dictū sit. Nā hæc quoque
Compromissariis committi potest. *V. Layman loco cit. Tabienam V. Electio §. 2 de forma Compromissi.*

IV. Nisi prohibitio obstat, ex suo numero
Compromissarii aliquē eligere possunt.
Neque enim iure suo per Compromissum
privantur. Neque convenit ex officio suo
quempiā damnū pati: multò minùs eccle-
siæ commodis obesse debet. Idē *ex c. cum in iure 33. de ele.* liquet, ubi ex septē
Compromissariis per tria vota electus suo ad-
dito pronunciat legitime in Decanū ele-

ctus, addita tamen clausula dummodò a-
liquid Canonicū non obstat. *V. Mosconiū*
Par. 1. c. 2. ubi Ioannis XXIII. exemplo con-
firmat qui seipsum elegit, cum Cardinales
in ipsum solum compromississent. Quod
facti, nō iuris est, ut ibid. *Moscon. fatetur,*
& latè probat Roder. To. 11. Q. 54. ar. 9. &
Silv. V. Electio §. 2 n. 19.

V. Si quis cōpromissarius à collegis suis
electus est, addere suffragiū suum potest,
& de se factam electionem cōfirmare seu
corroborare. Patet hoc ex *n. prac. & arg.*
l. Planè iunct. Glo. V. Potest ff. Quod cuiusq̄
univers. idem tradit Ioa. Andr. Imola. Cal-
derinus & ex recentioribus multi: quia sic
electus principaliter seipsum nō eligit, sed
aliis eligentibus consentit, illorū volunta-
tem approbans. Neq; de ambitu hic quæ-
rendum, cum ambitiosus minimè censeat-
ur, qui aliorum de se vero & benigno iu-
dicio subscribit. Hinc sequitur, si tres ele-
ctores essent, quorū unus Titium eligeret, is
suffragiū pro se suum addere posset, ita ut
per duo ista suffragia censeatur electus. Si
verò duo tantum forent, & unus alterum
eligeret, poterit simili modo consentire.
Deniq; si in unum tota potestas confera-
tur, ordinariè quidē seipsum eligere non
poterit, quia præsumitur cæco sui amore
corruptum iudiciū habere: non videtur
tamen rationi dissonum, sese aliis offerre,
& proponere acceptandum. Quo obten-
to causa quidem erit electionis suæ, se ta-
men ipse propriè loquendo non eligit.
Atque ita factum à Ioanne XXIII. credide-
rim, qui seipsū elegisse in Pontificem dicitur.
Azor tamen 11. l. 4. c. 2. Q. 8. electionē
Ioannis pro rata & firma habita putat, tū
quia licuit illi ex Compromissi forma, tum
quia postquā elegit seipsum, seu proposuit,

Cardinales confenserunt & acceptarunt
*Moscon l. 1. par. 1. c. 8. p. 183. Emman. Rodrig.
 To 11. Q. 55. art. 12. Silv. lo. cit. §. n. 23. Bar
 bosa in c. si Petrus. §. Q. 1. Armilla n. 31. Ze-
 rola par. 1. v. electio. §. Quarto.*

VI. Compromissum communi consen-
 su factum ordinatæ revocari non potest.
Primò si res integra non sit, cum videlicet
 substantialia in manu, iamque tractari
 coeptum de hoc vel illo eligendo: secus
 si præparatoria tantum facta, cuiusmodi
 est Missæ celebratio, & similia. *Secundò* si
 in gratiam Compromissariorum à Capi-
 tularibus eligendi potestas illis data sit.
 Tunc enim instar gratuiti muneris, vel do-
 nationis est, quæ revocari non solet, nisi
 gravi urgente necessitate. Cæterum per se
 expirat 1. tempore quod præfixum erat, si-
 nico 2. absoluta electione, quamvis irrita.
 3. si aliqua conditio servata non sit, vel si
 in ecclesiæ utilitatem concessa potestas
 sit, & res integra, ab iis, qui dederunt, re-
 vocari potest: ita tamen, ut vel omnes de
 Capitulo, vel certè maior pars in id con-
 fenserit, ne si paucorum arbitrio fiat, quod
 semel placuit, displicere, temerè videatur.
*Silv. V. Compromissum. n. 24. & seq. Laym.
 Q. Canon. pag. 81.*

VII. Dubium est, si duo ex tribus in-
 dignum eligant, & propterea amittant jus
 eligendi, in unum reliquum tota potestas
 recidat, vel potius ad Capitulum devo-
 luatur? Affirmant aliqui cum *Abb. in c. si
 Compromissarius. de elect. in 6.* ad unum
 devolui, qui innocens, est, sed absque fun-
 damento. Melius igitur alii in Capitulum
 reducant. Non enim præsumi potest cum
 plures designarint, unius arbitrio rem to-
 tam subicere voluisse. Novo igitur consi-
 lio alios Compromissarios creabunt, cum

instructione, & mandato electionem cõ-
 lebrandi. Sine novâ commissione enim,
 qui semel errarunt in electione, ad aliam
 progredi nequeunt *c. Causam. V. Recipi de
 el. Silv. V. electio §. 2. n. 24. Anton. Cucchus
 l. 1. instit. et. 7.*

VIII. Quando potestas eligendi data
 cum conditione est, ut in consilium certas
 personas adhibeant Compromissarii, ob-
 servabunt 1. ut matèrè admoneant consi-
 liarios, & tempus respondendi cõcedant.
 2. ut nõ existiment sibi necessariò sequen-
 dum esse consilium, quia fieri potest, ut in
 se bonum, hinc & nunc tamen ecclesiæ cõ-
 modum non sit. Excipe, nisi Consultor in of-
 ficio, vel administratione sit. 3. si mandatũ
 sit, ut aliquorum consilium audiant, v. g.
 trium Abbatum, consilium in uno aliquo-
 trum illorum executioni mandari potest,
 isque eligatur, quamvis repugnet: quem-
 admodum si mulieri prohibitum sit a-
 lienare quid absque consilio duorum cõ-
 sanguineorum, uni ex illis vendere potest,
 non minus, atque aliis non consanguineis.

De electione per viam Spiritus Sancti.

I. **H**uius electionis formam hisce tem-
 poribus raram, & vix cognitam
Mosconius l. 1. de maiest. eccles. par. 1. c. 8. ita
 describit. Cum electores intrant omnes si-
 mul in locum, ubi electio faciendâ, seque
 recipiunt ad tractandũ de electione, prius
 invocato subsidio Spiritus Sancti statim
 unanimiter absque alio tractatu præcedẽ-
 te omnes repente in unam personam con-
 sentiunt, ita ut quasi divina revelatione
 absque alio hominis ministerio illum eli-
 gerent, ut legitur de Fabiana Papo, Nico-
 lao episcopo, & similibus. Unde dicitur, si
 unus tantum contradiceret, talis electio

non teneret in simili formâ, præsumendo videlicet, non diffensionis, sed unionis Spiritum esse, qui ad certum hominẽ eligendum impellit. *Paratit. Vallensis l. 1. tit. 6. § 4. Anton. Cucchus pag. 65. Silv. V. electio n. 28. Armillan. 36.*

II. Quod à Mosconio hic, & in c. quia propter de elect. dicitur quasi divina revelatione nõ eodem ab omnibus sensu accipitur. Aliqui enim nõ diminutionis, sed veritatis notam esse, ut in c. Parochianis de decimis & c. 1. Ioan. quasi unigeniti à patre: alij cum Ostiensi duas electionis formas indicari putant: quarum una verè per inspirationem fiat, qualis erat Nicolai, Ambrosij, Severini, & quorundam aliorum; altera non per veram inspirationem, sed instar veræ, ut quando non constat à Deo procedere, sed præsumitur, eò quòd nullo præcedente tractatu electores in unũ aliquem cõsentiunt, ita ut repente unus post alium sine intervallo eundem eligat. *Abb. in c. Quia propter. de elect. Oldr. conf. 155. annot. Lanceloti l. 1. tit. 6. Ioan. Andr. in c. quia propter. de elect. nu. 40. Biaxius in Director. elect. par. 3. c. 16. & alij ap. Barbosa in c. cit. quia propter n. 31.*

III. Dubiũ est quale peccatũ sit, eligere dignũ, vel minũs dignũ excluso digniore, ad beneficium vel prælaturam ecclesiasticam. Breviter, quia à Theologis discuti accuratius solet in *Tr. de iustitia & iure.*

R. 1. Qui indignum scienter eligit, mortaliter peccat, & tenetur ad restitutionem omnium damnorum, quæ inde cõsequuntur. Est communis & per se nota. Nã gravi malo temp. vel ecclesiã afficit, ad quod uti cavendũ antequã fieret lege charitatis, & iustitiæ tenebatur; ita postquã illatum est, ad reparandũ obligatur. Porro dignitas ge-

neratim loquendo cõsistit in eo ut sit aptus & sufficiens ea præstare, quæ officiũ ad quòd eligitur, requirit. *Card. Lugo disp. 35. Sect. 1. Sanchez l. 2. Consil. 6. 1. D. 45. Silv. n. 18. Armillan. 21.*

R. 2. Qui dignum eligit, excluso digniore per se loquẽdo etiam lethali peccato se obstringit. Ita multi Theologi, Summistæ & Canonistæ apud *Azor l. 1. l. 6. c. 15. Sanch. l. 1. consil. c. 2. Lessium c. 34. dub. 14. Arragonum Q. 63. art. 2. Comitol. l. 1. q. 77.* Omissis antiquioribus *Con. Trid. Sess. 24. c. 1.* peccate mortaliter Antistites dicit, nisi quos digniores & magis ecclesiæ utiles iudicaverint, præficiẽdos curaverint. Item *c. 18.* præcipit eligi, qui cæteris magis idoneus censetur ad curã animarum. Vnde tamen aliqui occasionem sumunt restringẽdi ad beneficia curata, & Prælaturas majores, cuiusmodi est episcopatus. *Alexander Par. 2. Q. 119. art. 3. Card. Lugo disp. 35. Sect. 1. Comuolus autẽ l. cit.* hanc opinionẽ hoc tempore post Constitutionem *Pii V. in conferendis. An. 1566.* editã non solum verissimam, sed solã esse defendendã, quãdo nimirũ de beneficiis curatis, & per concursum conferendis agitur. *V. Barb. latè de offic. & potest. Parochi pag. 29.*

Dixi, Multos Theologos, Summistas & Canonistas ita sentire, quia aliqui mitiorẽ sententiam tenent, non peccare videlicet, qui minus idoneũ eligũt ad beneficiũ aut Prælaturã, quia pũtãt sibi favere Cõc. Trid. Sess. 7. c. 3. ubi nihil aliud requirit, nisi ut beneficia ecclesiastica, præsertim curam animarum habentia personis dignis, & habilibus cõferantur. *c. Constitutis V. Magis utilem. de appell. c. Licet. V. Qui præstantior 8 Q. 1. c. Quoniã V. Qui maioribus de iure patron. & c. 2. de officio Pastoris.*

V. Sanctior. quibus omnibus in locis *Glo-*
sa docet satisfacere, qui dignum eligit. Est
autem, *inquit*, bonus eo ipso quod malus
non est. Certè onus grave & insupporta-
bile videtur; in omni electione digniores
secernere, & præferre: adeoque nemini
imponendum, nisi lege aliqua vel manife-
sta ratione evincatur. Quam ob causam
plerique episcopi, teste *Arragono Q. 63.*
art. 2. à contraria sententia in praxi rece-
dunt, quos omnes quis arguat de peccato?
Certè *Bannez Q. 63. a. 2.* excusat patro-
nos, qui dignos tantum præsentant, eò
quòd opinionem probabilem sequantur.

R. 3. In quinque casibus licet eligere
dignum, digniore excluso. *Primus* est, si
patronus præsentet. *Secundus*, si benefi-
cium ex institutione suà alicui de familià
conferendum sit. *Tertius*, si digniores pro
beneficiis curatis necessarii sint. *Quartus*, si
plurium suffragia inclinent in indignissi-
mum, nihilque profuturum censeatur
meum suffragium, expedit ad impedièn-
dam electionem indigni, minus dignum
eligere. *Quintus*, qui in favorem alterius
resignat beneficium, non tenetur inquire-
re, quinam digniores sint, sed cuicumque
voluerit, modo dignus sit, conferre potest.
Covarr. in reg. peccatum par. 2. §. 7. Caiet.
V. Beneficium Navar. c. 17. n. 72. Arrag. Q.
63 art. 2. Bannez ibid. Sanchez. l. 1. Con-
sil. D. 45. Fm. Sa. n. 9. Salon. q. 63. a. 2. Tan-
nerus disp. 4. Q. 8. Dub. 2. n. 17. Diana
p. 2. tr. 15. resol. 38. Par. 4. tr. 4. Re-
sol. 210. tr. 15. Resol. 40.

§. III.

De Postulatione.

I. **P**ostulatio generatim loquendo est
gratiæ petitio secundum *Gofr.* cum
aliqua vehementia seu maiore affectu. A-
pud *Iuris Consultos* dupliciter accipitur.
1. pro Vocatione, seu advocacy, per
quam desiderium suum unusquisque; apud
eum qui juri præest, exponit, vel alterius de-
siderio contradicit. *Sciendum §. 1. l. Pau-*
lus 1. & ibi Bart. ff. de legib. item c. 1. de po-
stulando 2. est unus ex modis providendi
ecclesiæ vacanti, & definitur, alicuius per-
sonæ, quæ eligi non prohibetur, nõ prop-
ter vitium, sed propter defectum, qui ta-
men non omnino inhabilem reddit, ad
providendum ecclesiæ concors, & certa
Capituli petitio. *Summa Confess. Pisana.*
Archiep. Silvest. V. Postulatio Pralatorum
n. 1. Quod dicitur Concors in duabus Ca-
pituli partibus salvatur. Certitudinem par-
it unius tantum petitio, excluso quolibet
alio. Vallens de benef. l. 1. tit. 3. n. 6.

II. Non omnis unius generis est Postu-
latio, sed duplicè facit *Panorm. in c. Quia*
propter. de elect. alia solennis est, alia non
solennis, aut simplex. Per hanc postulato-
nõ acquiritur ius prælaturæ, ad quam vo-
catur, sed tollitur inhabilitas, propter quã
eligi non poterat, puta, si filius familias à
patre suo, in cuius potestate est, vel regu-
laris professus ab Abbate, vel prælate de-
potestatur, isque consentiat, cum absque ta-
li consensu regulari nulla dignitas confe-
ratur. Solennis dicitur, per quam, quia ni-
hil impedimenti est, prædictum ius acqui-
ritur non secus ac per electionem. Porri-
gitur

gitur enim illi, qui super omni impedimento postulati dispensare potest, cuiusmodi est respectu omnium Clericorum Papa, respectu sibi subditorum Episcopus. *Sily. V. postulatio n. 1. Rosellan. 7. Anton. Cucchus l. 1. Inst. tit. 8.*

III. Ut valida & legitima postulatio sit, requiritur 1. potestas seu licentia postulandi in illis, qui indigent. 2. ut dirigatur ad illum, qui admittere potest. 3. Ut de eo fiat, qui promoveri possit à superiore, cuius est admittere seu approbare postulationem. Atque hæc tria ad substantiam pertinent, utriusque postulationis solennis scilicet & non solennis. Quartum requiritur propter maiorem facilitatem admittendi, concordia votorum scilicet, ubi sufficit, maiorem partem consentire, quem admodum in electionibus quoque ut sufficiens recipitur. Excipe, nisi electio cum postulatione concurrat, unus postuletur, alter verò eligatur. Tunc enim in postulato duplo major suffragiorum numerus requiritur. Rationem dant, quæ electio jure nititur, adeoque difficilior expugnata est, quam postulatio, quæ à gratia & favore manat. *c. scriptum 40. de elect. & ibi latè Panorm. & Imola.*

IV. Postulari non potest in Prælatum 1. perjurus, homicida, & inobediens: perjurus dico non in quolibet negotio, sed in iudicio: inobediens verò, qui non paret sententiæ & voluntati Prælatorum suorum. *c. 1. de postulatione Prælatorum.* 2. non professus tacitè vel expressè in Prælatum regularem non postulatur. *c. cum causam & c. cum ad nostram de elect.* Limita quo ad causam necessitatis, & si eedere professionem patatus est. *c. cum monasterium, & c. officii de elect.* 3. nec Epilep-

ticus, nisi fortè liberatus iam sit per annum *c. Cum inter de elect. c. Communiter Dist. 33. 4. nec mutilatus c. Exposuisti. de corpore vitiat. 5. Nec bigamus, & irregularis, quia eiusmodi omnino inhabiles censentur. 6. Vnius ecclesiæ episcopus, si confirmatus est, ad aliam ecclesiam, seu episcopatum eligi non potest, quia priori ecclesiæ spirituali quodam matrimonio unitus censetur. *c. ult. iun. Glo. V. permissione. de postul. Prælator.* Postulari tamen poterit. Si electus tantum, & nondum confirmatus, electioni prius factæ, uti potest, renunciaverit, habilis ad novam electionem erit. Idem dicendum, si confirmatus, & consecratus episcopatum legitima abdicatione dimittat. *c. Post translationem. de renunciat. Laym. l. 4. Tr. 2. c. 12. n. 8. Barb. in c. etsi unanimis. 6. de elect. Chokier de iurisd. episc. in exemptos Par. 4. Q. 5.* Denique quibus nihil obstat, quo minus eligi possint, non postulandi à quoquam, sed more, & ritu consueto eligendi sunt. Postuletur, cui ætas deest, quem natales destituunt, qui sacris ordinibus, professione, aut alia quavis requisita qualitate caret.*

V. Vtrum in postulatione servanda sit eadem, quæ in electione forma, à pluribus quaesitum est? servandam esse in solenni postulatione formam in *c. Quia propter electioni præscriptam communior opinio fert.* In minus solenni non requiritur, quia post illam primò electio instituitur, in qua servanda erit *Exemplum capte.* Caius laicus postulatur, id est, ab eo petitur, ut admittere sacros ordines, presbyteratum, & episcopatum velit, nec scruini, nec compromissi actio hic locum habet: sed consensu obtento, alteru-

tro modo in præsidem eligerur, nisi ali-
quod aliud impedimentum se offerat.
Idem apparet in quolibet Regulari, cum
quo ut dispenset Prælati, aut licentiam
tribuat, electuri petunt.

VI. Amplius vitanda est verborum, &
orationis confusio, per quam incerta e-
lectio fieret, & postulatio. Finge Colle-
gium hæc verborum congerie uti. *Eligi-
mus postulando, vel postulandum, & postula-
mus eligendo, vel eligendum*: quis inde dis-
cernere poterit, utrum desiderent, ele-
ctionem, an postulationem? ac proinde
propter incertitudinem nihil egisse cen-
sebitur. Similiter improbanda est ista
conceptio. *Eligo, & postulo, prout melius de
jure videbitur*. Quia non utrumque simul,
sed alterum fieri potest: nisi fortè quis
justam, & rationabilem causam dubita-
tionis suæ reddere valeat, utrum ille po-
stulandus, an eligendus sit. Quo facto al-
ter utram viam sic optatus eligeret, vel po-
stulationis, vel electionis, isque consen-
sus intra mensem post acceptum opta-
tionis instrumentum præstandus est. *Barb.
in c. perpetuo de postul. Prælat.*

VII. Postulatio ritè facta, & summo
Pontifici, vel inferiori cuiquam Antistiti
oblata firmitatem induit, ut revocari
deinceps nequeat: ante oblationem ve-
rò ut revocetur, nihil obstat. In quo
multum ab electione discrepat: hæc e-
nim publicato Scrutinio nullam altera-
tionem admittit, ne juri acquisito inexcusabile præjudicium fiat. *c. Bonæ me-
morie. de postulat. Prælat. ubi Abb. num. 10
Anton. Cucchus loco cit. p. 82.* In hoc au-
tem conveniunt electio & postulatio,
quòd utraq; sicut eandem formam
exigit, ita pari modo examinanda est,
expressis omnibus defectibus, qui in

firmare electionem, aut postulationem
possunt. *Abb. in c. quia propter de elect.*

VIII. Qui scienter indignum, seu
incapacem eligunt, postulanteve, eli-
gendi & postulandi facultate privantur,
eaque facultas ad alios, licet numero
pauciores transfertur. *c. cum in cunctis §.
sanè c. cum Vintoniensis de elect. cap. 2. de
postulat. Prælat. ubi Glossa & Abb. num. 2.
& 3.* Quibus adde, quod in *Extrav. un.
de postulat. Prælat.* statuitur, ut qui vice-
simum septimum ætatis annum necdum
ingressum ad Ecclesiam Cathedrali
postularint, vel professum ordinis Men-
dicantium ad inferiorem Cathedrali,
pro illa vice eligendi ac postulandi jure
priventur, & à beneficiis in eadem Ec-
clesia possessis per triennium suspensi
sint. *Barb. in c. cum in cunctis de el. §. Cler.*

IX. Affinis postulationi nominatio
est, eaque duplex Solennis, & non so-
lennis. Aliquando enim, quibus electio
competit, priusquam ad Scrutinium fa-
ciendum accedant, inter se aliquos ex
omnibus nominant, præ aliis aptiores,
& magis idoneos, *Abb. in c. 1. num. 34. &
c. Quod sicut num. 1. de elect.* Qui modus
nominandi exiguum quid, si tamen
aliquid, operatur. Aliquando Colle-
gium duos vel tres, qui aliis omnibus
præstant (plures etiam, si videatur) de-
ligit, quorum nomina scripto solenni-
ter inserta ad Summum Pontificem, aut
alium ipso inferiorem antistitem mittit
supplicando, ut unum aliquem ex eo
numero Ecclesie vacanti præficere velit.
Differt hæc nominatio, licet solennis sit
à postulatione, quia per eam plures pro-
ponuntur: convenit verò, quia illam
variare, aut mutare non licet: nisi fortè
Prælati

Praelatus ipse in mutationem consentire velit. *c. Bona memo. de electione Vallens. l. 1. de benef. tit. 3. n. 7.*

X. Ad extremum nosse oportet, quod *Clem. Dilectiosam. de iudic.* definitum est, ut omnes causae super electionibus, postulationibus, vel provisionibus, aut super dignitatibus, officiis, canonicatibus, & similibus, simpliciter, & de plano, ac sine strepitu iudicii & figurâ iudicentur. Quod non solum ad futura negotia, sed ad praesentia, & adhuc etiam per appellationem pendentia extenditur. Item quod nullus forti locus est neque in electione neque in postulatione, neque in constituendis compromissariis, & quamvis inter duos jam electos decisio sit facienda. *c. fin. de Sortileg. ubi commaniter DD. contra Gloss. in Summa V. Sortes 26. quest. 2. quia textus citati cap. finalis indefinitè & absolutè usum sortium condemnat.* Ad eundem igitur in dubio superior potius, qui litem dirimat. *V. Sanchez. l. 2. in decal. cap. 38. n. 74.*

§ IV.

De Confirmatione.

I. C Onfirmatio in electivis beneficiis tantum, ut ex §. praec. liquet, necessaria est. Superior enim electum, si idoneus est, confirmare tenetur: alius injuriam & electo & electoribus infert. Interest etiam Ecclesiae, non excludi aut differri ministros, & pastores idoneos. Excipit supremum Magistrum, vel ut alii loquuntur, plenitudinem potestatis in principe, qui propter publicam utilitatem etiam legitime electum

repellere potest, ut magis dignus promoveatur. Alicubi tamen uti receptum est, ut Praelati Ecclesiastici, & Regulares à Capitulo electi, quamprimum electionem acceptant, omne jus consequantur nulla Superioris expectata confirmatione. *Abb. in c. de transl. Episcop. Barbosa in tit. de elect. Vancel. Cucchus. Canisius Vallens. Az. part. 11. l. 6. cap. 16. sub init. Suar. IV. de Relig. l. 2. c. 5.*

II. Quando Ecclesia pluribus subiecta est. ad proximum superiorem confirmatio pertinet. Abbates igitur, & Praepositi non exempti ab Episcopo confirmandi sunt: Guardiani, Abbates, & Priores Ordinis exempti, qui Generalem Ministrum, vel Praepositum habent, ab eodem Generali petere debent, & accipere confirmationem: Generalis vero, & Abbates quidam exempti, à Summo Pontifice, vel Legato illius, si in Provincia sit, confirmantur. E contra multorum Ordinum electi plenam potestatem absque ulla confirmatione accipiunt. *Suar. loco cit.* Quod vero Episcopos attinet, olim Metropolitani permissu Summi Pontificis confirmabant, cum onere ad Sedem Apostolicam referendi, quinam confirmati essent. Hodie Episcoporum, qui eliguntur, ut in Germania nostra à solo Pontifice petenda confirmatio est. *Paratit Vallens. l. 1. tit. 6. §. 7. Emman. Rodr. to. 11. q. 53. a. 6. Az. l. cit. q. 7. Corvina l. 1. tit. 6.*

III. Tempus quod attinet, electus intra tres menses, quorum initium sit die acceptationis seu consensus, confirmationem petere debet: secus electio irrita censetur. Idem de postulato intellige. Qui ad Episcopatus, vel Ecclesias Sedis

Apostolice

§. IV. DE CONFIRMATIONE.

Apostolicæ immediatè subjectas electi sunt, pro confirmatione petendâ vel personaliter Romam ire, vel si impediti sint, personam idoneam mittere debent. *c. nihil 44. de elect. c. cupientes 16. eod. in 6.* Et hoc in Germaniâ nostra observari non semel ipsi vidimus. Notat autem *Piascius in praxi pag. 9.* testimonium confirmationis obtentæ scripto adferendam esse, aliàs non recipi electum, imò pœnam suspensionis incurrere, qui eum recipiunt. *Extrav. iniuncta de elect.* quam Julius III. innovavit. Aliquando propter moram, priusquam expediantur litteræ confirmationis Breve datur ad capiendam possessionem, quo velut compendio litterarum Apostolicarum energia continetur, evitanturque incommoda, quibus dilata confirmatio obnoxia est. *Staphil. de reser. in forma Brevis tt. 2. n. 3. Piasc. l. cit.*

IV. Intra quod tempus confirmare electum superior debeat, jure decisum non reperitur, fortè, quia electorum & patronorum desideria, & continuæ preces non patiuntur dilationem, ita ut periculum non sit, ne nimium prorogetur confirmatio: si tamen fieret, à superiore immediato, cogi à mediato potest, & debet, ne dissimulata ignavi pastoris cunctatio, innoxio gregi periculum ac nocuum adferat.

V. Ante confirmationem capienda informatio est, de formâ, & modo factæ electionis, ut appareat, an omni vitio & culpâ vacet. Vbi plurimum proderit decretum electionis, in quo authenticè continetur processus, de quo V. quæ diximus §. *preced. & tt. 2. §. 2.* De qualitatibus eorum, qui eligendi sunt ad beneficia & Prælaturas, nam si excludantur, quos ex-

cludi ipso jure diximus, facile erit examen, & cognitio illius, qui confirmationem expectat. Præter hæc notandum primò est, si quis ex aliquâ Prælaturâ eligatur ad aliam, vel postuletur, iteratò examen instituendum est, quia evenire potest, ut interea temporis novum aliquod impedimentum enatum sit. *Secundò*, si adsint aliqui, qui factæ electioni contradicant, vel sibi deberi propter quorundam suffragia putent, coram ac nominatim vocandi & audiendi erunt. Si nullus adsit, ad Ecclesiæ valvas edictum affigendum erit, quo ad certum diem peremptoriè citentur, quibus oppugnandi factam electionem, & futuram confirmationem animus est. *Tertiò* qui indignum scilicet confirmat, pro primâ vice confirmandi potestate privatur, & aliis insuper pœnis afficitur. *c. nihil de elect. c. postquam eod. Azor. II l. 6. c. 16. q. 3. Bonacina tomo III. pag. 354. Cucchus l. II. Instit. tt. 9.*

VI. Vtrum audiendi sint, qui post generale edictum, & secutam confirmationem opponere volunt, quæri potest? Vbi illud pro certo sumitur, admittendos ordinariè esse, qui ad denunciationem Canonice se offerunt, ne indignus & inhabilis Ecclesiæ obrudatur: at qui quocunq; modo ingerere se & opponere velit, non facilè admittendus est, nisi absentiam, & ignorantiam suam probabilibus conjecturis adstruat, & insuper juramento confirmet.

VII. Confirmatione obtenta, si jus ordinarium spectes, possessionem adire Prælati potest, omniaque exercere, quæ beneficio, vel dignitati suæ conveniunt. *c. ad hac de off. Archid. c. cum Bartoldus de sen. & re jud.* Unde qui titulum institutionis verbalis,

verbalis, aut legitimæ collationis à superiore consecutus est, possessionem vacantem capiendi, & administrationem inchoandi perfectum jus habere censetur. *Dico* vacantem, quia antiquum possessorem non licet invitum expellere, sed publicè ad id auctoritate opus est: imò qui vim adhibet, privationem juris, & tituli meretur. In quibusdam Ecclesiis tamen alia consuetudo viget, ut nimirum confirmatus post verbalem institutionem, & tituli traditionem solenniter, & corporaliter in possessionem mittatur, quod *installare* vocant. Olim Archidiaconus, nunc in plerisque Ecclesiis alii id faciunt. *Chokier de jurisd. ordinarii in exemplis par. 2. pag. 222. A. 11. l. 6. c. 16. Q. 3.*

VIII. Investitura quemadmodum Dynus definit, est collationis institutionisve confirmatio, seu declaratio. Melius diceret, obsignatio, per quam inducitur confirmatio. Inductio autem in possessionem est concessionis & investituræ realis executio. Et hæc vera esse, subjungit, secundum absolutam & propriam significationem verborum. Cæterum investitura fit per traditionem bireti, annuli, libri, aut alterius symboli secundum eujusque loci consuetudinem. Interdum additur institutio verbalis, & tituli traditio. Est autem notatu dignum, quod per investituram non datur actualis possessio vacantis beneficii, sed potestas adeundi possessionem vacuum, nisi aliud consuetudo permittat. Actualis autem possessio in temporalibus traditione clavium acquiritur. *l. clavibus ff. de contrabenda emptio- ne: sive tradantur claves in rem præsentem, sive in conspectu rei, sive extra conspectum, quando constat ea intentione*

tradi, ut possessio acquiratur. In beneficiis autem apprehensione vera vel ficta, aliquo exteriori signo facta, ut fufius declarat *Covar. l. 3. Var. c. 16. n. 10.* Interdum omnibus peractis investitura additur, tantum ut solennitas quædam, quemadmodum Episcopus in altari solet poni, cujus cæremonix alius effectus non est, nisi ut significat hunc & neminem alium electum esse. Si quæris cur per clavium traditionem potius, quam annuli aut libri possessio tradatur, respondet *Dynus in Reg. 1. pag. 22. sub clavibus res ipsas servari & custodiri, adeoq; tradi simul cum clavibus censentur Annulus verò, & liber nihil habet commune cum rebus ipsis, quæ in beneficio continentur: ac proinde alia adhuc actio requiritur, per quã possessio actualis capiatur. Tuschus V. possessio concl. 407. Oldend. in Lex. Barb. in c. proposuit de concess. praben.*

S. V.

De Appellatione contra Electionem.

I. **C**ontra electionem faciendam aut factam non licet appellare illis, quorum nihil interest, nisi fortè quis nomine Ecclesiæ, ne indignus eligatur, appellare velit, quo in casu nunquam deneganda audientia est. *c. cum inter 15. de elect.* E contra cuilibet de Capitulo ex justa causa appellatio permittitur contra electionem factam, vel faciendam. *c. cum inter 22. de elect.* Convenit enim singulos ejus corporis, cui ut membra coherent, curam ac sollicitudinem gerere, cum alterius ex altero salus dependeat. *Card. Tusch. V. appellatio concl. 402.*

P

II. S.

II. Si appellatio simpliciter fiat, postulando, ne electio inchoetur, aut fiat, nisi manifestè frivola appareat appellatio, electores intermittere debent, & suspendere intentionem suam usque ad responsum superioris. Si tamen neglectà appellatione elegerint, electio valida erit, quamvis appellans offerret, in continenti probationes de defectu, quia ejusmodi appellatio extrajudicialis est, quæ effectum suspensivum non parit. *c. cum inter 3. de elect.* Quod si pro appellante superior responderit, acta omnia & attentata post appellationem rescindi debent perinde, ac si ab initio invalida fuissent. Proprium enim illud est in qualibet materiâ sententiæ condemnatoriæ, & irritanti, ut retrahatur ad diem commissi, & operetur.

III. Si appellatio coram Ordinario, puta, Episcopo fiat, ad quem confirmatio pertinet, judicialis censeri debet, nec ad confirmationem procedere poterit, nisi omninò, & manifestè frivola foret appellatio. Nam Regula generalis est, quod attentata post appellationem interpositam in irritum revocari debeant. *c. super eo. 10. jun. Gloss. V. appellationem fieri de appell. c. non solum. eod. in 6. clem. fin. ut lite pendente l. uni ff. nihil innovand. appell. pend. DD. in l. 3. C. de appell. Gail l. 1. obs. 146. n. 1.*

IV. Quia non expedit lites multiplicare, & feverilibidinem oppugnandi aliorum sortem, unde Ecclesiis damnum emergat, à SS. Pontificibus constitutum est, ne appellantes faciliè recipiantur. Prius igitur juxta *c. statimus 1. de elect. in 6.* qui electionem postulationem, aut provisionem factam oppugnat, objiciens aliquid contra personam, vel actum ele-

ctionis, si appellaverint ad Sedem Apostolicam, tam is, qui opponit, quam qui defendit, & generaliter omnes, quorum interest, per se vel procuratores suos ad causam instructos ad Sedem Apostolicam à die objectionis numerando intra mentem iter arripere debent. *Secundo*, si post adventum unius partis altera expectatà per dies 20. non appareat, in negotio electionis non obstante cujuscunque absentia procedendum est. Nam terminus à Judice vel à jure præfixus appellatibus, vel iis contra quos appellatur, citationi peremptoriæ æquivalet. *Gail. l. 1. obs. 57. Tertio* juxta *c. ut circa de elect. in 6.* qui appellant contra electiones, postulationes, vel provisiones, ea omnia, quæ obiecturi sunt contra personam, vel formam electionis exprimere debent, & jurare, quòd credant vera esse, seque probare posse. Si quid non expresserint, de eo audiendi non sunt, nisi de novo emergat, aut superveniat probandi facultas, de quo similiter juramentum præstabunt. *Anton. Cucchus l. 1. inst. tit. 7 §. Caterùm.* Hæc observata facient, ut qui conceperunt, non pariant iniquitatem, & Scrutantes Scrutinio ante tempus deficiant.

V. Si contingat pro appellatione judicari contra N. confirmatum, ipsa confirmatio in nihilum recidit: acta nihilominus post confirmationem, cum bona fides, & ignorantia publica defectus dureret, vim suam retinent. Sunt enim hi actus plurimùm diversi, nec à se mutuò pendunt. Quamvis enim sine electione esse confirmatio non possit: sine illâ tamen electio consistit. Et electio quoque quæ Canonicè celebrata fuit, non infirmatur, juxta *Reg. 37 in 6. inutile ab inutili*

non vitatur, quando unum ab altero separari potest. de quo *V. Dymum, & Barbof.*

VI. Appellans contra electionem & deficiens in probatione pœnæ talionis reus est: & insuper ad expensas tenetur, nisi probabilem appellandi & litigandi causam se habuisse demonstrat. *c. signifi- caverunt de test. & attest. c. ut debitus eod.* Hoc enim generaliter obtinet, ut qui defecerit in appellatione, condemnatur ad expensas. Quod etiam fiet, si renuncia-

verit appellationi, etiam invito appella- to, sive res integra sit, sive non. *Sigism. Scacc. in tr. de appell. q. 17. Limit. 2. num. 112.* amplians. Licet appellatus non receperit appellationem, nihilominus in expensas condemnandum esse appellantem. *Excipe nisi renuntiasset conditionaliter. V. Barbof. in c. Interposita 70. de appellat. & que di- cturi sumus in Par. 3. tit. 10. Lancel. l. 3. tit. 17. Mynsing. Centur. 4. obs. 55.*

TITULUS VII.

De Episcopis.

Multum laborant nostri tempo- ris Sectarii, ut persuadeant Episcopos à Presbyteris, & ministris Ecclesiæ solo nomine differre, nullum habere ordinem aut potestatem majorē. *Calvinus l. 4. Inst. c. 4. n. 2.* Non sic, ait, honore & dignitate superior erat Episcopus (in veteri Ecclesiâ) ut dominium in Collegas haberet, sed quas partes habet Consul in Senatu, ut referat de negotiis, sententias roget, consulendo, monendo, hortando, aliis præeat, auctoritate sua totam actionem regat, & quod decretum communi cōsilio fuerit, exequatur; id muneris sustinebat Episcopus in presbyterorum cœtu. Atque idiplum pro temporum necessitate fuisse humano consensu inductum, fatentur ipsi veteres. Ita *Hieronymus in ep. ad Titum.* Idem, inquit presbyter, qui Episcopus. *Et paucis inter- iectis* singula Collegia politix tantum, & pacis conservandæ gratia uni Episcopo suberant, qui sic alios dignitate antece-

debat ut fratrum cœtui subicerentur. Ita *Calvinus* cum suis, quorum error & falsitas ex dicendis patebit. *V. Bell. l. 1. de Pontif. c. 9. & l. 2. c. 27. Valent. l. de discrim. Ord. Sacerd. & Episcop.*

§. I.

De nomine & Dignitate Episcopi.

I. S. *Augustinus l. 19. de Civ. Dei. 19.* cum allegasset illud Apostoli, *epist. 1. ad Tim. 4.* Qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat. Exponere, inquit voluit, quid sit Episcopatus, quia nomen est operis non honoris. Græcum est enim, atque inde ductum vocabulum, quod ille, qui præficitur, eis, quibus præficitur, superintendit, curam eorum scilicet gerens. *ἐπι* quippe super, *σχετος* verò intentio est: ergo *ἐπισκοπῆν*, si velimus latinè *superintendere* possumus dicere, ut intelligat, non se esse Episcopum, qui præesse neglexerit, nō prodesse.

Ita Augustinus. Alii à speculando dici episcopos volunt. Ciceronem secuti, qui ad Atticum scribens *l. 10. ep. 7.* vult me, ait, Pompeius esse, quem tota hæc maritima ora habeat *ἐπισκοπον*, id est, speculatorem & custodem. Vnde apparet à sæculari magistratu ad sacros antistites translatum esse. In *l. Munerum 2. ff. De munerib. & honorib. episcopi* vocantur, qui præ sunt pani, & cæteris venalibus, quæ civitatum populis quotidianum victum suggerunt. *Budeuse* episcopi nomen non magis, & veriùs Speculatorem, quàm inspectorem significare putat. Nam Græcis episcopi, & ephori erant, quibus non solum oculis iustrandi potestas, sed etiam providentia, & cognitio commendabatur. *Lancelotus l. 1. tit. 21. Tholosanus l. 16. c. 8. Mosconius par. 1. c. 8. Alvar. Pelagius l. 2. ars. 18.*

II. Episcopi propter excellentiam dignitatis suæ vocantur aliquando summi Sacerdotes *c. ult. 3. Q. 1.* ubi *Fabianus Papa* ad episcopos Orientales scribens dicit. Deus ad hoc præordinavit vos, & omnes, qui summo Sacerdotio funguntur, ut iniustitias removeatis, & præsumptiones abscindatis. Aliquando Pontifices *c. Messana de elect. & Nicolaus l. rotatus in c. 4. Causa 7. Q. 1.* ubi monet abiiciendos non esse pontifices, id est, episcopos, qui aliqua occupant infirmitate, vel ægitudine. Aliquando Papæ nomen illis tributum est. Ita *S. Augustinus in epist. suis ep. 91. 94. 98. Hieronymus* ter quater ve sanctum, & venerabilem Papam appellat. Eodem titulo utitur scribens ad Chromatiû Aquileensem episcopum. Verùm hoc tempore usus obtinuit, ut Papæ appellatio soli Romano pontifici tribuatur, quia is verè pater patrum, episcoporum præles, & sum-

mus ecclesiæ pastor est. Deniquè in iurè civili episcopi nominantur illustres. *Barb. in l. Omnes populi q. 4. ff. de iust. & iur.* Item personæ egregiæ, quæ domi manentes testimonium reddere possint. *Glo. in l. Egre-gias ff. De iureiur. Silv. V. Episcopus nu. 1.* Multis nimirum virtutibus ornatum esse. Antistitem cupimus, quarum singulæ propriam commendationem mereantur.

III. Episcopus maior est Sacerdote simplici, non tantùm auctoritate seu dignitate, sed etiam potestate tam ordinis, quàm iurisdictionis. De potestate ordinis patet, quia solius episcopi est, creare presbyteros, quod præci vocant generare ecclesiæ patres. *Epiphanius har. 75. Damasus Papa ep. 3. Leo 1 ep. 88. & Hieron. ad Evagrium ep. 85.* Quid facit episcopus exceptâ ordinatione, quod presbyter non facit? Adde *Conc. Trid. definitionem s. 23. c. 7.* si quis dixerit, episcopos non esse presbyteros, vel non habere potestatem confirmandi & ordinandi, aut eam, quam habent, illis esse cum presbyteris communem, anathema sit *c. Presbyteros D. 95. c. olim. ibid. & sequ. Tholosan. l. 16. c. 8. Greg. de Valent. l. de discrim. Sacerd. & episc. ordinis.*

IV. Dubiæ quæstionis est, An episcopatus sit ordo à Sacerdotio distinctus? Esse verum ordinem communior sententia est *Barb. in c. Quorundam. de testam.* sed à Sacerdotio indistinctum, nisi velis, episcopatum in completè accipere, nimirum, ut significat officium, & administrationem in conferendo Sacramenta confirmationis, & ordinis. Nam quatenus est nomen potestatis in consecranda & administranda Eucharistia, in episcopo & Sacerdote eadem cernitur juxta priorem acceptio-nem *Anacletus ep. 3. c. 2.* in fine dixit. *Amplius*

plius, quàm isti duo (episcopatus, & Sacerdotiù) ordines Sacerdotù nec nobis à Deo collati sunt, nec Apostoli docuerunt. Et *Damasus ep. 4.* Quia inquit, sunt duo tantùm primi in ecclesia ordines, id est, Apostolorum & 70. discipulorum. *Du rand. in 4. D. 24. q. 6. Palud. ibid. Q. 7. Vasq. Disp. 240. c. 5. Lancelot. l. 1. tt. 21. Cucchus l. 1. pag. 41. Ag. Coninck. disp. 20. de Sacramento Ord. dub. 2. cir. fin. Em. Sa. V. Ordo n. 7. Laym. l. 5. tr. 9. c. 4. num. 3. Henriq. l. 10. cap. 7.*

V. De Characterè etiam opinionum diversitas est: ut compendiò: dicam si character in ipsa potestate consistit, secundùm *S. Thomæ Aquin.* mentem, cui adhæret *Sotus in 4. D. 1. q. 4. Zecchus de Sacram. in gen. c. 14. conc. 6. Tolet. l. 2. c. 16. n. 10. Em. Sa. V. Ordo. n. 7.* dici potest, distinctum characterem imprimi episcopo, quia in consecratione sua accipit potestatem ordinis distinctam à Sacerdotali, quandoquidem Sacramentum Confirmationis, & Ordinationis solus administrat. Si autem non necessariò cum potestate multiplicatur character, affirmare licet, eundem in episcopo & Sacerdote simplici characterem esse, quamvis in Episcopo ad plura Sacramenta extendatur. Denique si character, ut *Gabr. Vasquez placet disp. 134. c. 3.* merum signum est seu qualitas spiritualis primæ speciei, cuiusmodi aliquando equis & ovibus imprimuntur distinctionis causa, faciliè admittimus, in episcopis distinctum esse, quia alia ipsius dignitas, alius gradus & potestas est, quam significare potest Character. *V. Card. Lugo de Sacram. in gen. disp. 6. Sect. 3. p. 106. & sequentibus. Franc. Suarez disp. 11. Sect. 1. Ag. Coninck de Sacram. Q.*

63. art. 1. & 2. Filliut. Tract. 1. c. 8. nu. 117. Navarr. c. 22. de Sacram. Ord. n. 17. Fernandez Exam. Theol. pag. 505. Petr. Soto lect. 4. de ordine Palac. in 4. dist. 24. Silv. V. Character. Armilla. V. Ordo. n. 5. Angel. V. Ordo n. 1. Sauch. l. 7. Confil. c. 1. dub. 9. nu. 1. Tanner. IV. disp. 7. Q. 2. n. 34.

§. II.

De electione episcopi.

I. **A**D ecclesiam seu populum universum pertinere electionem episcoporum contendunt nostri Sectarii. *Calvinus l. 4. Inst. c. 5. nu. 2.* iam in eligendo, inquit, totum illud ius populi sublatum est: Vota, assensus, subscriptiones, & omnia eiusmodi evanuerunt. Ad solos Canonicos integra potestas translata est. Illi, in quem volunt, conferunt episcopatum, eum mox in conspectum populi producunt, non examinandum, sed adorandum. Vult nimirum persuadere *Calvinus*, quod iure divino electio non à clero, sed à multitudine, seu cœtu fidelium fieri debeat: quod nunquam impetrabit. Nam exempla *Matthiæ*, & *Diaconorum* nihil aliud probant, quàm initio ecclesiæ multitudinis suffragia valuisse, non verò necessario id faciendum esse. Ecclesiæ arbitrio relictus, & commendatus est electionis modus, qui pro temporum varietate, & necessitate non semel mutavit. Multis annis totius ecclesiæ iudicium, & arbitrium placuit, postea in clerum electio translata est; deinde regibus & principibus propter dissensionem cleri, & populû permissa à quibus novissimè ad paucos & meliores è clero pervenit. Quamobrè

à solis Cardinalibus Papa, à Canonicis maioribus episcopi eliguntur. Allegatur in contrarium *S. Cyprianus, qui ep. 68.* traditione divinâ & Apostolica servandum dicit, ut præsentem plebem, quæ singulorum vitam plenissimè novit, episcopus eligatur. Verùm *Cyprianus* divinæ traditionis nomine non intelligit ius aliquod, vel legem à Christo sancitam, sed ritum & morem, qui primis ecclesiæ annis observatus est, ut patet ex *Actor. c. 1. & 6.* ubi electus est Matthias, & septem Diaconi *Barb. de potest. Episc. l. 1. tit. 1. c. 3. Moscon. l. 1. par. 1. cap. 8.*

II. Hoc tempore propter eximia merita, aliasque non leves causas, nominandi episcopos potestas, quæ ab Apostolis in caput supremum Ecclesiæ Papam devoluta erat, in multis locis permessa est regibus: ita ut excepto Imperio Romano Germanico, ubi secundùm Concordata inter *Nicolaum V. & Fridericum III.* Ecclesiarum Cathedralium Canonici capitulares electionem habent, in Hispania, Gallia, aliisque provinciis episcopi omnes, & alicubi maiores prælati etiâ à solis Regibus nominentur & offerantur summo Pontifici confirmandi. Qui modus maioribus commodis an dânis pateat, meritò dubitari potest; tolerandus tamen, quia longi temporis usu firmatur, & absque magno animorum motu & offensione tolli non potest. *c. ult. s. sed nec D. 51. c. Cleri D. 26. c. Vota D. 27. c. obeuntibus D. 25. c. ult. D. 79. & c. 1. de elect. Barb. lo. cit.*

III. Iure Canonico vetitum est, ne sibi successorem episcopus nominet. *c. Episcopo 1. & 2. plerique. c. Moses. c. Apostolica 8. Q. 1.* Neque enim conveniens videtur, ut dignitates ecclesiasticæ partim à Christo, partim ab Ecclesiâ institutæ instar civilium of-

ficio- rum hæreditate acquirantur. Dixi iure Canonico, quia de divino non constat, damnari successionem: sed historia ecclesiastica docet Petrum Apostolum sibi Clementem surrogasse *c. si Petrus. 3. q. 1. & Augustinus à Valerio episcopo Hipponensi successor nominatus est. Severus quoque episcopus Milevitanus successorē sibi delegit. Dicit tamen posset, adfuisse populi & cleri vel tacitum, vel expressum consensum, quemadmodum hoc tempore ceteris esse, cum soli Capitulares episcopum eligunt. *Turrecrem. de potest. eccl. l. 2. Card. Iacobac de concil. l. 1. o. art. 7. Barb. in c. Acceptimus. de transactionib.**

IV. In episcopo eligendo attenditur ætas, scientia, ordo, & vitæ integritas. Ætatis annus tricesimus completus exigitur *c. cum in cunctis de elect.* ita, ut irrita sit electio, si annum tricesimum non compleverit. Quod scientiâ attinet *Conc. Trid. sess. 22. c. 2.* statuit, ut alicuius Academiæ, aut Gymnasii publici auctoritate sit creatus Magister, aut Doctor, vel Licentiatum in Theologiâ aut Iure Canonico: si nullo prædictorum gradu insignitus sit, publicum testimonium alicuius Academiæ, quo probetur idoneus ad docendam alios, sufficiet. In Monacho requiritur similis testificatio per superiorem ipsius facta. Necessarius præterea est ordo, minimum Subdiaconatus. *c. A multis de ata. & qual. Ord. c. Nullus D. 60.* Qui eo ordine caret, postulari tantum potest, non verò eligi. Denique qualis vitæ integritas requiratur, Apost. explicat *ep. 1. ad Tim. 3. & c. 1. ep. ad Titum.* Oportet episcopum sine crimine esse: Oportet episcopum irreprehensibilem esse: quo unico verbo totius vitæ episcopo convenientis perfectio includitur.

Vnde

Vndecim virtutes enumerat *Ioan. Buscus de statu episcop. cap. 3. Viguierius 11. de statu eodem pag. 633.* Quæritur aliqui, an qui debita scientiâ, & virtutibus necessariis caret, in conscientia teneatur resignare munus episcopi? Dicendum non teneri, modo paratus sit serid operam dare, ut quæ sibi defunt, acquirat. Quod si videat etiam studio adhibito se non assequi, adiutorem asciscet sibi, à quo subleuetur. *Silvester V. Episcopus num. 4.* propositâ quæstione, an peccet mortaliter episcopus, qui rogatus an sciat Novum & Verus testamentum, responderet, quod sic? Non peccare dicit, si duo Testamta sciat, quoad ea, sine quibus officium suum convenienter exercere non potest, licet in alijs sit indoctus: quia consuetudo non videtur plus requirere. Tolerari posse, si longo usu rectè norit exercere munus suum, vel si scientiæ defectum Charitatis perfectio suppleat *Barbosa dicit de potè Episc. Par. 2. alleg. 1. n. 25. Moscon l. 1. c. 8.*

V. Episcopi electio intra tres menses faciendâ est, c. *Ne pro defectu de el. c. postquam. D. 50. c. Obventibus D. 63.* Computari autem debent non à die vacantis Ecclesiæ, sed à die, qua innouit Canonici vacatio Ecclesiæ. *Innoc. & alii in c. Ne pro defectu de el. de forma, & modo eligendi V. qua diximus s. 2. legenda etiam Bulla Greg. XIV. Onus apostolica apud Passecium pag. 2. qua Concilii Trid. sess. 22. c. 2. instructio innovatur, & pluribus additis locupletatur.*

VI. Facta electione examen à Vicinioribus aliquo episcopo instituendum est super certis articulis per idoneos & iuratos testes astruendis. Quod examen sive procel sus Romam mittitur ad impetrandam cõ-

firmationem. Articuli sunt ferè isti sex. 1. An electus episcopus ex legitimo matrimonio, & Catholicis parentibus natus sit. *c. cum in cunctis. c. 2. Schæretici. de her. in 6. 2.* An tricesimum ætatis annum compleverit. *c. cit. cum in cunctis.* Pro iis, qui postulati sũt, anni 27. inchoati sufficiunt. *Extrau. un. de postul. prel. inter com. 3.* An saltem lex mensium spacio in Sacro ordine constitutus sit. *Co. Tr. sess. 22. c. 2. 4.* An in theologia, vel iure Canonico Doctor, aut Licentiatus, vel saltem publico Academia alicuius testimonio ad alios docendos idoneus iudicatus sit. *Con. Tr. l. cit. 5.* An bonæ famæ, & vitæ integræ sit. *c. Tr. sess. 6. c. 1. 6.* denique num in ecclesiasticis functionibus versatus, prudens, & rebus gerendis idoneus sit. *Con. Tr. sess. 24. c. 1. sess. 21. c. 2. Moscon pag. 190 Franc. Leo thesaur. 6. l. Par. 1. c. 3. nu. 7. & sequ. Barb. de potest. episc. l. 1. tit. 1. c. 5. V. Interrogatoria.* Vidi informationem quandam Ann. 1623. in qua septem articuli erant hoc modo concepti. 1. An ex legitimo matrimonio, & Catholicis parentibus natus sit & ubi? 2. Cuius sit ætatis, & an saltem tricesimum ætatis annum expleverit. 3. An sit presbyter, vel saltem in aliquo ordine constitutus, & à quo tempore. 4. An sit Doctor seu Licentiatus in sacra Theologia vel in iure Canonico: atq; ea doctrina polleat, quæ in episcopo ad alios docendũ requiritur. 5. An in ecclesiasticis muneribus dia versatus sit. 6. An fidei puritate, innocentia vitæ, prudentia, usu rerum, & integra fama præditus sit. 7. An dignus videatur, quæ ecclesiæ N. præficiatur?

VIII. Si absens sit electus, Canonici electores intra 8. dies electionem factam illi indicare debent, si commodè fieri

fieri queat. *c. Cupientes. de elect. in 6.* si neglexerint, aut distulerint, ab electionis prosecutione penitus exclusi sunt, & à beneficiis suis per triennium suspensi: ad quæ si intra illud tempus se ingesserint, ipso iure illis privati sunt. *Vallens. l. 1. tit. 6. c. 7.*

VIII. Electus in episcopum olim intra tres menses, hodie autem intra mensem computandum à tempore electionis sibi indicatæ consensum præstare tenetur. Si non fecerit, ius per electione acquisitum amittit, nisi fortè ea sit electi conditio, ut electioni suæ absque Superioris consensu ex prohibitione, aut qualibet provisione Sedis Apost. consentire non possit. Quo casu idem electus vel electores ipsius consentiendi licentiæ ab eius Superiore, cum ea celeritate, quam Superioris ipsius absentia permiserit, petere studeant, & obtinere. Alioqui si elapso tempore pro eiusdem superioris præsentia, vel absentia moderando huiusmodi licentiæ eos minimè contingat obtinere, electores ex tunc ad aliam electionem procedendi liberam facultatem habent. *Canis. l. 1. Institut. tit. 13. pag. 63. Zerola Par. 2. V. electio nu. 2. Corvinus l. 1. Aphorismor. tit. 6.*

IX. Si electus non acceptet, aut postquam consensit, abdicet, aut moriatur, electoribus integrum est, aliam electionem instituere, dummodò in præmissis nihil subdolè & fraudulenter actum sit. *c. si electio de el. in 6.* Idem fiet, si secundò, tertio, aut quarto facta electio non sortiatur effectum. *Anto. Cucchus l. 1. tit. 7. pag. 75.*

X. Quemadmodum electione à pluri- bus facta, sic etiam simplici collatione vel designatione episcopi fiunt. Vnde vulgò dicitur, Romanum Pontificem uno verbo

creare Sacerdotes, & episcopos, dicendo v. g. *Sis Sacerdos, vel episcopus.* Quod intelligendum de potestate iurisdictionis tantum: quia Ordinis potestas sine consecratione non confertur: quemadmodum ex ritu consecrationis & ipsa praxi manifestum est & amplius declarat *Azorius II. l. 3. c. 29 Q. 4. Canis. l. 1. tit. 11. p. 57. Barb. de potest. Episc. l. 1. tit. 1. c. 3. n. 42.* Idem de illis Regibus & Principibus dicendum est, qui, ut *Pisafecius* loquitur pag. 2. iure patronatus prætenso nominant pro libitu eligendum, & Capitulum super huiusmodi persona nominata format, seu fingit electionis suæ processum.

§. III.

De Confirmatione Episcopi.

I. **I**us confirmandi episcopum ritè electum olim Metropolitanis, Primates & Patriarchæ habuerunt Quod *Nicolaus Papa* agnoscens Ioanni Ravennati Archiepiscopo scribit in hunc modum. Episcopos per Æmyliam non consecres, nisi post electionem cleri, & populi. *c. Episcopos. D. 63.* quod etiam supponitur in *c. Transmissam. de elect.* Nunc autem tota potestas confirmandi episcopos soli summo Pontifici reservata est. Quocirca sive à Dynastis nominentur, sive à Capitulo eligantur, à Pontifice confirmationem expolcere debent. Liberum tamen Pontifici est, Archiepiscopo alicui vel alteri prædictam potestatem committere. Modum & praxim petendi & obrinendi invenies apud *Mosconium* pag. 187. & *Pisafecium* pag. 11. *Anton. Cucch. l. 1. Inst. tit. 9.*

II. Episcopus electus intra unum mensem

sem à die habitæ notitiæ, vel dari cõsensus electioni in persona, vel si legitimè impeditus est, per Procuratorem pro confirmatione obtinenda ad sedem Apost. iter arripere debet, alioqui amittitur acquisitum per electionem, nisi causam rationabilem longioris moræ habuerit. Ita constituit Nicolaus III. Decretum Gregorii X. quò triemestre spatium conceditur, contrahēs, propter quorundam locorum vicinitatē, ad unius mensis periodum. *c. cupientes 16. de el. in 6. Cucchus lo. cit. Lancel. l. 1. Inst. tit. 2. Coruinus l. 1. Aphorism. tit. 6.*

III. Confirmationis suæ testimonium in scripto exhibere debet, nec absque illo ecclesia vel Capitulum recipere illum vel de proventibus quicquam elargiri tenetur. Imo qui receperint absque literis Apostolicis efficiuntur. *suspens. Extrav. in v. Ela de el. inter comm. quam Julius III. renovavit & ampliavit Constitutione relata per Quarantam V. Beneficiorum possessio.* Quamobrem Romanæ Curie cõsuetudo servat, ut expediantur Bullæ confirmationis quamvis sæpe propter necessitatem, ne Ecclesia vacans ex mora detrimentum aliquod patiatur post propositionem promovendi in Consistorio concedi solet Breve ad capiendam possessionē antequam Bullæ expediantur. Hanc esse praxin Curie vulgarissimam testatur *Piascius in Praxi episc. pag. 15. allegans Staphil. de Rescriptis in forma Brevis Tit. 2. n. 3.*

NOTA. Episcopus Braccarensis ante omnem confirmationem administrat ea, quæ sui muneris sunt, ex consuetudine Portugalliæ, quemadmodum testatur *Oldrad confil. 5. & Card Tuschus in V. Braccarenf. Ecclesia conclus. 124. j.*

IV. Accepta sive per Bullam sive per

Breve possessione episcopus plenā administrationem licet nondum conlectatus adipiscitur, omniaque exercere & perficere potest, quæ jurisdictionem episcopalem concernunt, cuiusmodi est iudicare, excommunicare, corrigere, iuramenta à Vassallis exigere, & recipere, beneficia conferre, instituere. *c. Transmissam de elect. tit. Glo. V. de talibus Sancti l. 8. de Matr. disp. 2. & l. 7. in Decal. c. 5. nu. 65.* Indulgentiam quoque iure ordinario concedere potest: hæc enim jurisdictionem sequitur. In d. licet non esset Sacerdos, ut iuristæ passim docent, *Silv. Armilla, & accurate Franc. Suarius tom. 4. in 3. p. Disp. 55.* Verùm, habeatne potestatem illam iure divino seu immediatè à Christo, an potius à summo Pontifice, dubium est? Non nisi ex commissione summi Pontificis habere *Durandus censuit D. 20. q. 5. inductus fortè ex eo, quòd restringi potestas illa ab summo Pontificè solet, quo tamen non obstante malim dicere, cunctis episcopis ratione muneris sui convenire potestatem distribuendi indulgentias.* Etenim ut Romana ecclesia principalis aliarum respectu, sic alie quælibet particulares quidam cœtus, & respublica videntur esse, quibus ut principes episcopi præsident, adeoque possint, ut tales sunt, communiem illum thesaurum subditis dissipare: quod insinuat etiam *c. Quod autem, & c. cum ex eo de penitentis & remissionib.* In hoc enim potestas qua aliqui immoderatè usi fuerant, dando videlicet absque numero dierum & annorum pro arbitrato suo limitatur: in illo autem episcopi proprii iudices appellantur. Nihilominus *Barbosa* in Commentario *cap. Ex eo n. 7.* adducendo multos Auctores persuadere nititur, prædictam potestatem ex Ecclesie

Q

clesie

clesia ordinatione tãum manare, quamvis ipsum pastorale munus ex institutione Christi, & iure divino sit, quod ut probabile recipi potest. *Zerola Par. 1. V. Indulgẽ. n. 1. Bellarm. l. 4. de summo Pontif. c. 24. Valent. disp. 7. de Indulg. puncto 3. pag. 1876. ubi illud notatu dignum addit, episcopis ita restrictam potestatem esse, ut secreto tamen & in foro pœnitentiæ concedere queant maiores indulgentias, prout expedire iudicaverint. Idem cum Gemin. asserit Zerola Par. 2. V. Indulgẽ. n. 12. quia licet restrictio facta sit in indulgentiis, quæ sunt publicæ, non tamen in foro pœnitentiæ. Curabunt autem Antistites, ne eniquam fiat offendiculo, modum & limites per ind. secretam liberalitatem excedant.*

§. IV.

De Consecratione Episcopi.

I. Confirmationem episcopi consecratio sequitur quæ faciendã intra tres menses post confirmationem, ut definit *Cons. Chalced. relatum in c. Quoniam D. 79. cui conformiter Conc. Tr. sess. 23. c. 2. Ecclesiis, inquit, Cathedralibus, seu Superioribus, quocumque nomine, ac titulo præfati, etiam si S. R. E. Cardinales sint, si manus consecrationis intra tres menses non susceperint, ad fructuum perceptorum restit. & nem teneantur. Si intra totidem menses postea id facere neglexerint, ecclesiis ipso iure sint privati *Mosconius l. 1. c. 8. pag. 208. Præsec in Praxi p. 16. Less. c. 34. n. 99. & 103. Silvest. V. Consecratio. n. 2. Zerola Par. 1. eod. n. 1. Barb. ad c. 2. sess. 23. Co. Tr.**

II. Consecrationi olim intererat *Metropolitani*, & cuncti comprovinciales episcopi, aut saltem per literas illorũ assensus petebatur. *c. Episcopi ex Conc. Nic & c. Ordinationes ex Anacleto.* Ut à tribus episcopis peragatur consecratio ab Apostolis constitutum esse creditur *c. Porro D. 66. ex Anacleto.* Nam B. Iacobus Apostolus cognomento iustus à Petro, Joanne, & altero Iacobo Apostolis ordinatus est, successoribus ea forma relicta, ut non nisi à tribus episcopis fiat consecratio. Vbi personarum defectus est, ex summi Pontificis dispensatione unus episcopus consecrare poterit. Ex *Pis. V. indulto seu dispositione pro duobus episcopis, quando haberi non possunt, duo Abbates, vel alij in dignitate constituti presbyteri sufficiunt, quod hodie passim usu venit. Vnde colligitur, formam supradictam ab Apostolis relictam non esse iuris divini, ac proinde mutabilem, neque recipiendam, quod Hugo dixit si tantum in mundo duo superessent episcopi, tertius consecrari non posset, donec Papa alium institueret, vel eo mortuo Generalis Ecclesia mutaret formam ab Apostolis constitutam, & institueret, ut episcopus episcopum consecraret *Declar. Concil. Trident. sess. 23. c. 10. Barbosa de potest. episc. l. 1. tit. 1. cap. 5.**

Quid si, inquit, unus aliquis, & solus episcopus alium consecraret, valdane erit consecratio? Probabile est validam fore, quia trium episcoporum coniunctio non est de essentia, sed præcepto ecclesiastico tantum necessaria. Concedunt præterea multi, quamvis adessent tres episcopi, & manus simul imponerens, ab uno tantum collatum iri potestatem, & characterem: ut pluribus explicat cum antiquioribus

quoribus *Azor* II. l. 3. cap. 30. *Antonin. P.* 3. tit. 16. c. 15. *Vasq. de ord. disp.* 243. cap. 6. *Barb. in c. ne episcopi. de tempor. ordinand.* Neque obstat c. Porro *Dist. 66.* quamvis enim tres requiri dicat, non tamen irritam fore consecrationem definit ab uno perfectam.

III. Dubium est, an potestate à summo Pontifice delegata presbyteri episcopum consecrare possint? *S. Thom. Aquin. in 4. D. 25. q. 1. art. 1.* ita respondet. Papa, qui habet plenitudinem potestatis, committere potest non episcopo pertinentia ad episcopalem dignitatem, modò illa non habeant immediatam relationem ad corpus Christi verum, ideoque ex eius commissione Sacerdos simplex potest conferre ordines minores, & confirmare, non autem non Sacerdos, nec Sacerdos majores ordines, qui habent immediatam relationem ad corpus Christi verum, supra quod consecrandum Papa non habet maiorem potestatem, quam simplex Sacerdos. Non sunt igitur audiendi *Durandus*, *Paludanus*, & *Glo. inc. Mannus 4. de consec. dist. 5. & c. Pervenit. D. 95.* quemlibet auctoritate summi Pontificis id Sacramentum conferre posse aliis, quod ipse suscepit, ita ut laicus confirmatus confirmare alios queat, & Diaconus consecratus Diaconos, presbyter verò Sacerdotes ordinare. Manet enim fixum, & firmum illud Apostoli, Maiorem à minore non benedici *ad Hebr. cap. 7.* Episcopus igitur à non episcopis nunquam consecrari potest. At, demandare alicui non episcopo poterit summus Pontifex? Minimè, quia iure divino presbytero & Diacono episcopus maior est.

IV. Episcopi & Archiepiscopi ex Apostolica traditione non alio, quam Dominico die consecrandi sunt. Testatur id *Leo I. Paparelatus in c. Quod die dist. 75.* allegans illud *Actor. cap. 13.* Apostolorum factum, qui Paulum & Barnabam ex Spiritus sancti præcepto ad prædicandum missi ieiunantes, orantes illis manus imposuerunt: ut intelligamus, quanta, & dantium & accipientium devotione curandum sit, ne tantæ benedictionis Sacramentum negligenter videatur impletum. Ideò, infert, non nisi die Dominico iuxta Apostolorum morem consecrationem faciendam esse. Convenit etiam ut in Ecclesia Cathedrali peragatur iuxta c. *Qui in aliquo §. sed nec* quamvis id non semper necessarium sit. c. *Qui in aliquo dist. 51. V. Silvester. V. Consecratio §. 1. numer. 4. Armilla numer. 3. Tanner disp. 7. Q. 3. num. 43.* qui etiam explicat dispositiones tam in ordinante, quam ordinando necessarias.

V. Inter episcopum electum, confirmatum, & consecratum, & ecclesiam ipsi attributam contrahitur vinculum quoddam matrimonij spiritualis. *Hoc ostendit in summa de translat. episc. numer. 2.* comparatione matrimonij carnalis explicat. Nam sicut matrimonium carnale aliud est inchoatum, nimirum sponsalia de futuro, aliud ratum, videlicet sponsalia de præsentibus, aliud denique consummatum, quando copula accessit, ita etiam matrimonium spirituale inter episcopum & Ecclesiam suam inchoatur per electionem, ratificatur per confirmationem, per consecrationem denique consummatum. Vnde episcopus confirma-

Q² tus ve

rus verus ecclesie suae sponsus maritus & pastor est, eaque omnia praestare potest, quae solius iurisdictionis sunt. At per consecrationem consequitur, ut etiam exercere possit ea, quae iure divino vel ecclesiastico ordini episcopali annexa sunt, videlicet clericos ordinare, baptizatos confirmare, factum Christum conficere, vasa, altaria, & Virgines consecrare, clericos degradare, & Sim. c. *Quamvis dist. 68 c. Inter corporalia. de transl. episcoporum. Azor II l. 3. c. 30. Q. 5. & 6.*

Vl. Quæritur à nonnullis, an episcopus consecrari possit, qui non est Sacerdos? *Covar. l. 1. Var. cap. 16.* aliquos iuris Canonici interpretes affirmativam opinionem tueri ait, existimantes ordinem Sacerdotii solo iuris ecclesiastici præcepto prærequiri, Est enim, *inquiunt*, potestas episcopi indelebilis, & ab aliis officiis distincta, tamen eam exercere non possit, qui presbyter non est, secundum *Joann. Andream, & alios in cap. 1. de Cler. per saltum promoti* quos sequitur *Jacobinus de Concilio l. 10. art. 7. Fornarius in l. 6. Tolot. cap. 6. num. 4.* Aliud huius rei argumentum inde sumitur, quod etiam non suscepto ordine Diaconatus vero Sacerdos initiatur: quia nimirum ordinum inferiorum gradatio non ex natura rei, sed ecclesie statuto oritur. Quid ni igitur simili modo creatur episcopus, nondum Sacerdotio initiatus? Verum contraria opinio haud dubie vera est, & Theologorum propterea communis, nunquam videlicet fieri posse ut episcopalem potestatem accipiat, qui non prius Sacerdotium adeptus est. Quid enim absurdius excogitari possit, Episcopo, qui maior Sacerdos in jure vocatur, si solam jurisdi-

ctionis externae potestatem habeat, & Prætoris regii instar ius dicere, plectere reos, exercere iudicia forensia, nulli verò de peccatis suis pœnitenti absolutionem, nemini Christum aut sacrum ordinem conferre queat? Hoc nimirum est, quod Apostolus ait 2. ad Cor. 5. V. 18. Sacramentum reconciliationis commissum episcopis, & munus dispensandi Sacramenta cœlestia: hoc solo ecclesiam Christi regunt, oves pascunt, si leges & lites quæque reip. tranquillitatem foveant, pro viribus attendant? At necessaria ordinum sacrorum non est gradatio? Est vel maxime: Nam Sacerdotium & episcopalis ordo habent se, ut magis & minus perfectum: quamvis in Diaconatu & aliis ordinibus id locum non habeat, quia sic diversi sunt quoad potestatem, ut à se invicem necessitate non dependeant. *Abb. in di. c. 1. de cler. per saltum promoti. Azor. II. l. 3. cap. 30. Q. 9. Silvestr. in V. Ordo. n. 2. Scotus. Rich. Palud. Sotus, & alii Theologi communiter.*

§. V.

De abdicatione, & translatione Episcoporum.

I. **Q**uia Episcopus cum ecclesia sua spirituale matrimonium iniit, ut §. præc. n. 5. diximus, idè non potest pro libitu desistere illam, vel abdicare. Vnde *Evaristus Papa relatus in c. Sicut vir 7. quest. 1.* ad episcopos ait. Sicut vir non debet adulterare uxorem suam, ita nec episcopus ecclesiam suam, id est, ut illam dimittat, ad quam sacratus est absque inevitabili necessitate, aut apostolica, vel regulari mutatione, & alteri se ambitus causa.

causâ conjungat. Et sicut uxori non licet dimittere virum suum, ut alteri se vivente, illo matrimonio societ, sed juxta Apostolum aut viro suo reconciliari debet, aut manere in nupta; ita Ecclesiæ non licet dimittere Episcopum suum, aut ab eo segregare se, ut alterum eo vivente accipiat. Poterit autem Episcopus abdicare se, si Summi Pontificis consensus accedat, qui consensus unam de sex causis prærequirit, quas in sequentibus Versiculis vides.

Debilis, ignarus, malè conscius, irregularis, quem mala plebs odit, dans scandalum, cedere possit.

Prima igitur causa est corporis debilitas. Secunda defectus scientiæ. Tertia delictum aliquod gravius. Quarta Irregularitas. Quinta odium populi. Sexta denique grave scandalum. *V. l. 1. Decretal. tit. 9 c. 10.* ubi singulæ cautæ fusiùs explicantur. Quibus addi possunt duæ aliæ, crebra & continua hostium incurratio. *c. tribus de consec. D. 1. & aeris intemperies c. quorundam Dist. 74.*

II. Causa Episcopatum resignandi sufficiens non est propriæ salutis & quietis desiderium in ordine aliquo religioso; quia Episcopus obligavit se Ecclesiæ ad providendum ipsi, ut sponsæ, vel ut pastor gregi suo. Quamdiu igitur præstare potest ad quod se obligavit, præstare tenetur. Hinc Innocentius III Episcopo Claritano scribit *in c. nisi cum de renunc.* Cum deceat te animam ponere pro subditis nulla occasione, dummodo prodesse illis possis ab eorum regimine convenit te excusare: quoniam si laboris causam præ tendis, exemplum te Apostoli sublevabit, qui suadet tibi ejusmodi laborem non

refugere. Item Monemus te, ut laborem pastoralis regiminis non refugias, ne forte ad pedes suos cum Maria spernat te accipere, qui sibi apud te divertendi sprevisse cum Marthâ sollicitâ ministrare. Quid si profiteatur, inquit, in aliqua Religione nunquid ratum erit? R. si absque consensu Summi Pontificis edat professionem Episcopus, quietioris vitæ desiderio tantum, professio irrita est. Nam, ut diximus, Ecclesiæ suæ tenetur deservire, & suâ illius necessitati commoditatem posthabere. Valida autem professio erit, si Pontifex annuerit, etiam ex causa alias insufficiente. *Less. c. 41. dub. 3. Moscon. l. 1 par. 1. p. 168.*

III. Si Episcopus qui Ecclesiæ adhuc servire potest votum concipiat de ingredienda, & profitenda religione, ut propriæ salutis melius vacare queat, irritum censei potest, quia non est de bono meliore. Melius enim est, & sibi simul, & aliis prodesse in regimine Pastoralis, quam privati commodi rationem habere. Ac proinde *S. Thom. 2. 2. q. 185. a. 5.* expressè dicit, talem Episcopum assumendo habitum religiosum non tendere ad perfectionem, sed ab ea recedere: quod pluribus à *Dom. Soto explicatur l. 10 q. 2. art. 4.* Petat licentiam, ait. Illam Summus Pontifex, nec debet, nec potest concedere. Potior est gregis, quam hominis salus, illius præsertim, qui se obligavit. Neque obstat *c. per tuas de voto*, ubi Innocentius III. Gebennensi Episcopo suadet, ut resignato Episcopatu votum de religione factum adimpleat: quia votum illud, antequam eligeretur Episcopus, nuncupatum erat: adeoque non acceptare Episcopatum, sed votum servare debuit. Si

Q 3

autem

autem post susceptam religionem electus fuisset, consentire poterat, ut loco citato manifestè dicitur. *Silv. V. Religio II. q. 8. Votum III. quest. 3. Sanchez l. 4. Moral. c. 17 n. 5. Azor. l. 1. c. 16. q. 2. Barth. à S. Fausto l. 1. q. 191. Barbof. ibid.* post enarratas plurium opiniones.

IV. Quamvis morbo etiam incurabili laboret Episcopus, cogi non potest, ut contra voluntatem suam, Episcopatu se abdicet. *c. quamvis 17. VII q. 1 ubi S. Gregor. ad Eleutherium scribens, ait.* Quia viventem Episcopum ab officio suo necessitas infirmitatis, non crimen abducit, alium loco ejus, nulla finit ratio ordinari: sed si intervalla ægritudinis habere est solitus ipse datâ petitione non se ulterius ad hoc ministerium intellectum habere, nec ad alia officia subvertente infirmitate posse fateatur assurgere, & alium suo loco expectat ordinandum. *Et infra.* Si nullo tempore ad sanæ mentis redit officium, persona fidelis ac vitæ probabilis est eligenda, quæ ad regimen Ecclesiæ idonea possit existere, atque de animarum utilitate cogitare, Ecclesiasticarum rerum curam gerere. &c. Similia leges in *c. scripsit & sequentibus causa VII. citatâ.*

V. Propter crimen seu delictum privari Episcopum posse, manifestum est ex *c. nisi cum pridem de renunc. ubi Innocentius III.* agnoscit cedendi licentiam dari posse criminis causâ, sed fortè non cujuslibet, verum illius duntaxat, propter quod ipsius officii executio post peractam pœnitentiam impeditur, cum si omnes, quos arguit conscientia cujuslibet culpæ, cederent, pauci vel nulli in illo ministerio remanerent. Ex quibus verbis interpretes colligunt, Inno-

centium loqui de crimine, vel criminibus, quæ titulum Episcopatus invalidum reddiderunt, verbi gratia, si Simoniacè electus, aut institutus fuit. Tunc enim si notorium fuerit, Episcopatum deserere potest, etiam non petitâ Summi Pontificis licentiâ. Si verò occultum sit, vitandi scandali causâ renuntiare debet in manibus Papæ, vel ab eo tituli revalidationem impetrare. Si quis institutus sit in excommunicatione, suspensione, aut irregularitate occulta, sublato per eum, qui absolvere potest, impedimento validari titulum probabile est. Jam si Episcopus post Canonicam institutionem crimen commisit, puta, Sodomiz, per quod secundum Pii V. Constitutionem pœnam incurrit depositionis, aut suspensionis in perpetuum, ac sine spe relaxationis, tunc sufficientem causam habet à Summo Pontifice cessionem petendi. Si tamen occultum fuerit crimen, ideoque infamia careat, proprius Confessarius Episcopum absolvere poterit. Si verò annexa crimini infamia sit, Papa remove debet, vel etiam, cum expedire videbitur, restituere. Denique facti infamia, quam vitæ impuritas parit; adulterio, incestu, aut simili delicto, ante condemnationem Judicis non privat quenquam dignitate, & munere acquisito, ut ex communi resolutione de pœnarum obligatione constat. *V. Proleg. §. 8. Covarr. de Sponsalibus part. 2. cap. 6. §. 8. Mantica de conject. ult. Vol. I. 20. tt. 4. Clarus §. fin. Quest. 79.*

VI. Crimina, quorum causa privari Episcopus potest, à Mosconio *l. 1. part. 1. cap. 8.* numerantur ista. 1. est hæresis.

Quod

Quod sicut de elect. 2. falsificatio literarum Apostolicarum c. ad falsariorum de crim. falsi. 3. Conjuratio contra alios Episcopos. c. conjugationum xi. quast. 1. 4. Magia, incantatio, Sortilegium & similia. 5. Continua ebrietas Concilium Tolet. IV. cap. 28. 6. V. s. iura Canon. Apost. cap. 44. 7. Episcopatum arripuisse favore regio, aut seculari. 8. Connivere & permittere in Clero suo fornicationes c. nemo dist. 83. 9. invadere & occupare Sedem Episcopalem adhuc viventis. c. audivimus 3. quast. 2. 10. Carnaliter cognovisse filiam spirituales c. fin. 30. quast. 1. 11. revelare confessionem in casibus non concessis c. Sacerdos de pen. Dist. 6. 12. suis manibus percussisse aliquem, ut eatenus terrori sit. Can. Apost. 28. 13. Negotia secularia tractare. Can. Apost. 7. 14. Ordinare Cleri. os per Simoniam. Conc. Chal. cap. 2. 15. Beneficia Ecclesiastica, præbendas, vel altaria per Simoniam dare. c. si quis Episcopus 1. quast. 3. 16. Si contempserit Constitutiones, & Decreta Apostolica, vel Concilia c. fin. dist. 40. 17. Si mandatis Apostolicis noluerit obedire. c. nulli fas. dist. 19. 18. alienare bona Ecclesie extra casus concessos. c. fin. x. quast. 2. & Constit. Pauli II. de rebus Eccles. non alien. 19. Si excommunicatus scienter celebret. Specul. de accus. §. 1. V. Porro. 20. Si homicidium commiserit. Concil. Agath. cap. 50. c. si Episcopus dist. 50. 21. Si consecratur Episcopus non electus legitime Calix. Paparelat. cap. 3. dist. 2 & consecrans, & consecratus absque recuperationis spe deponatur. Item dicendum de illo, qui indignum scienter consecraret: Item, si confirmet non idoneum. 22. Si consecret Ecclesiam in

aliena Dicecesi existentem, aut Ordines conferat, sine commendatitiis, aliave pontificalia exerceat. Concil. Antioch. cap. 13. Concil. Trident. Sess. 6. c. 5. 23. Deponitur præterea pro quolibet crimine notorio & capitali Conc. Agath. c. 50. 6. si quis Episcopus dist. 50.

NOTA 1. non deponi quenquam Episcopum, nisi propter crimina in jure expressa c. 1. & 15. q. 8. Gloss. id. & in c. Ex tenore de temp. ord. Item c. sicut, & c. fin. de elect.

NOTA 2. depositionem ab alio nullo, quam Summo Pontifice fieri posse.

NOTA 3. non semper requiri, ut crimen manifestum, aut notorium sit. Nam si indignè promotus fuerit, vel homicidium commiserit, vel bigamus sit, non attenditur, an sit manifestum vel non, sed ipsa facti veritas sufficit. Felin. in cap. si quando num. 1. & c. Sciscitatus num. 8. de rescriptis Flaminius de resign. benef. l. 30. quast. 18. nn. 18. Barbos. in cap. Ex literis de excess. Pralat.

VII. Propter inobedientiam plebis aut grave scandalum licet interdum Episcopo cedere, & derelinquere Ecclesiam suam. c. nisi cum de renun. Non tamen pro quolibet culpa pastor debet gregem deserere, ne mercenario comparetur, qui videt lupum vententem, & dimittit oves, ac fugit. Sed de superioris licentia tunc demum potest non tam timidè fugere quam providè declinare, cum oves convertantur in lupos, & qui debuerant humiliter obedire, jam irrevocabiliter contradicunt: cum etsi tales sint graviter pro crimine puniendi, sunt tamen pro tempore utiliter tolerandi, quia sanguinem elicit, quò

nimium

minimū coniungit. Ibidem de scandalo subiungitur. Pro gravi quoque scandalo vitando, cum aliter sedari non potest, licet Episcopo petere cessionem, ne plus temporalem honorem, quam æternam videatur affectare salutem, memor illius, quod Apostolus dicit *1. Corinth. 8.* Si esca scandalizat fratrem, non manducabo carnem in æternum. Sed inter scandalum & scandalum subtiliter distinguendum est, sicut Dominus ipse distinxit, *Matt. 17.* cui cum dixissent Apostoli. Scis quia Pharisei audito hoc verbo scandalizati sunt, respondit, *Sinite illos, ceci sunt, & duces cecorum.* Alibi verò dixit. *Qui scandalizaverit unum de pusillis istis, qui in me credunt, expedit ei ut suspendatur mola asinaria in collo ejus, & demergatur in profundum maris.* Exemplum habes in S. Greg. Nazianzeno, qui Ecclesiam Constantinopolitanam sponte deseruit propter scandalum & odium Orientalium Episcoporum ut fufius declarat. *Baron. Anno Christi 381.*

VIII. Quod Irregularitatem attinet, ea vel est indispensabilis, in qua nimium non solet Pontifex dispensare, ut si bigamus sit, vel uxorem viduam duxerit, & tunc omninò abdicare se debet: vel est dispensabilis, ut natalium defectus: tum si occulta fuerit, non de abdicatione, sed dispensatione cogitandum est, præsertim si ex copula non damnata manet. Similiter dispensare potest Pontifex cum illo, qui irregularitatem contraxit ex homicidio, quod occultum manet, non verò si publicum & notorium fuerit. Neque enim decet, imò dedecet plurimum, ut vir sanguinum ascendat altare Domini, hostias paciferas offerat, cujus vindi-

ctam gladius appetit. *Suar. tom. V. disp. 44. Sess. 4. n. 35.*

IX. Translatio Episcopi de Sede in Sedem utilitatis, vel necessitatis causa fieri potest, ut exempla docent, 1. S. Petri, qui ab Antiochia Romam, 2. Eusebii, qui ex parva civitate Alexandriam, 3. Felicis, qui Ephesum translatus est, à civitate, in qua ordinatus fuerat, ut refertur in *c. mutationes VII. q. 1. ubi antherus.* Mutationes Episcoporum scitote communi utilitate atque necessitate fieri licere: sed non propria cuiusque voluntate, aut dominatione. *Et infra.* Non transit de civitate in civitatem, nec transfertur de minori ad majorem, qui hoc non ambitu, nec propria voluntate facit, sed aut vi à propria sede pulsus, aut necessitate coactus aut utilitate loci, aut populi non superbe sed humiliter ab aliis translatus est. *Rursum infra.* Non tamen sine Sacrosanctæ Sedis Romanæ auctoritate & licentia. Alia est enim causa necessitatis, & utilitatis, alia avaritiæ, & præsumptionis, aut propriæ voluntatis. Idem declarat *Pelagius II. in c. scias frater VII. q. 1. & in Conc. Carth. III.* statutum est, ne Episcopus de loco ignobili ad nobilem per ambitionem transeat; quod si utilitas Ecclesiæ poposcerit, decreto Clericorum, & Laicorum Episcopis potestato in præsentia Synodi transferatur. Atque hæc intelliguntur de Episcopo non tantum consecrato, sed etiam confirmato. *V. Gloss. in c. cit. scias.* quæ addit. *Hic apparet ratio, quare Episcopus non debeat fieri Monachus invito Papa, ne privata major, quam publica utilitatis estimatio sit.*

X. Ut non fiat translatio Episcoporum de loco in locum sine gravi causa,

ex lege Ecclesiasticâ, & traditione manavit, cujus quia initium ignoratur, Apostolis auctoribus tribuitur. Nam ut præclare Covarr. l. 1. variar. c. 10. n. 3. consuetudo à temporibus Apostolorum per universas Ecclesias observata argumentum est ad demonstrandum, quod ea sumpsit originem ab Apostolorum traditione, qui didicerunt ab illo, quem semissurum eo sine Christo promisit, ut omnem illos doceret veritatem. Quam ob causam appellari etiam divina potest. Quo sensu Innoc. III. in c. 3. de transl. Episc. Conjugium Episcopi cum Ecclesiâ suâ dicit non humanâ, sed divinâ auctoritate dissolvi: quia nimirum Apostolorum, & suprema Pontificis potestas, non ab hominibus, sed immediatè à Deo confertur. Sic divina appellantur alia quædam ab Apostolis relicta, ut observatio quadragesimæ, admixtio aquæ in calice, & sim. c. eos. 1. q. 1. c. predicatur 16. q. 1. Barb. in c. omnes dist. 39. Exemplum translationis (legitimæ, an secus, non disputo) suppeditat Chronicon Bambergense, ubi Lambertus numero tricesimus, à Borne dictus primò obtinuit Episcopatum Brixientem, cui paucis annis præfuit, mox ad Spirenses transiit, etiam contra Cleri voluntatem, ubi novem annis exactis Argentinam concessit, ibique non diu moratus Episcopatum Bambergensem obtinuit, quo demum post annos viginti tres resignato ad Monasterium Gengebacense in Alsatia remigravit, ibique diem extremum clausit. Gasp.

Brusch. in Catal. Episc. Bambergensium.

* *
*

§. VI.

De potestate ordinis, quam habet Episcopus.

I. **E**X dictis liquet, duplicem potestatem episcopi consecrati esse, Ordinis nimirum, & jurisdictionis. De hac in sequenti §. agendum erit: de illa passim Summistæ comprimis Silvester V. Episcopus numer. 2. & in c. Quamvis D. 86. Primo igitur Sacramentum Confirmationis iis, qui baptizati sunt, conferre potest, inque eum finem charisma conferre, ut oleum infirmorum quoque. Co. Tr. Sess. 7. concil. VVormat. cant. c. 2. Secundo sacros ordines tribuere, create Sacerdotes, Diaconos, & Subdiaconos. Item degradare clericos. Co. Tr. sess. 13. c. 4. Laym. l. 5. Tr. 9. c. 9. Tertio Alios episcopos consecrare, i. ad Titum cap. 1. Quarto. Sacras Virgines benedicere, seu consecrare. Leo Papa. ep. 86. Quinto. Tempia, altaria, vasa sacra, vestes ad divina mysteria celebranda necessarias benedicere. Abb. in c. Aqua de consecr. Item Reges, Abbates, & Abbatissas. Piasec. pag. 62. Sexto Dare benedictionem solemnem in Missa solenni post Orationem Dominicam. Septimo Pœnitentes publicos in Missa palam reconciliare. Octavo. Literas formatas dare. Con. Tr. S. 23. c. 4. c. Quamvis D. 68. c. Aqua de consecr. eccles. Silv. V. Episcopus. n. 9. Bonacina de Ord. 20. 3. p. 243. Moscon. l. 1. Par. 1. cap. 8. Piasecius par. 1. c. 3. 4. 5. Toletus l. 5. c. 4. Lorichius in V. Episcopus n. 14. Foll. Tr. 3. c. 1. n. 13. Fernandez in Exam. Theol. ad lit. E. c. 7. Busæus de statu episcop. ca. 4. Barb. in c. Transmissam. de elect.

R

II. Inter

I. Inter ea, quæ Episcopo ratione ordinis competunt, discrimen est. Quædam enim jure divino seu ex institutione Christi habet, alia verò ex Ecclesiæ ordinatione. Jure divino Chrisma conficit, & oleum infirmorum; Sacramentum confirmationis confert, Clericos creat, Sacerdotes & Episcopos cõsecrat. Reliqua in Jure Canonico sancita & Episcopis tributa sunt. Unde per dispensationem aliquando minoribus Episcopo Prælati communicantur. At *inquis*, etiam priora illa quæ jure divino competere dicuntur, ab aliis subinde conficiuntur. R. fieri aliquando nutu & auctoritate Summi Pontificis, qui quasi Delegatos constituit; quâ in re Pontifex jus divinum, & Christi institutionem non mutat, quia non facit, ut inferior Sacerdos sit Minister ordinarius, sed solum efficit, ut Minister delegatus sit, quod Christus minimè prohibuit. Idem tamen de Diaconis non est dicendum, quasi pari modo potestas cõsecrandi Eucharistiam, & offerendi illis tribui possit, quia licet in sacro Ordine consistant, characterē Sacerdotali, & potestate, quæ multò superioris gradus est, carent. In casu necessitatis tamen, cum nemo Sacerdos adest, corporis Domini ei dispensationem faciunt. *V. Layman. l. 5. tract. 4. c. 6. n. 2.*

III. Si Episcopus Presbytero committat ea, quæ ordinis Episcopalis sunt, ut confirmare, chrisma conficere, & sim. non solum illicita, verùm etiam irrita collatio est: quia ejusmodi potestatem delegare ad solum Pontificem pertinet. *Glo in c. pervenit D. 93. c. Manus de cons. dist. 6. Abb in c. Quanto de consuetudine Armilla V. Episcopus n. 11. Bellarm. de Confirm. cap. 12.*

Greg. Valent. IV. disp. 5. q. 2. pun. 1. Filiuc. tr. 3. c. 2. n. 27. Reginald. l. 28. cap. 4. n. 17. & seq. Neque audiendus *Ledesma qui q. 72. art. 1.* offerit, tantam in Diœcesi sua potestatem habere Episcopum, quantam in universa Ecclesia Pontifex habet. Hoc enim illimitatè positum à DD. passim rejicitur, quia nec ratione probati, nec exemplis, aut inductione confirmari potest: sed potius falsum esse patet 1. ex potestate dispensandi in sacrorum ordinum exercitio 2. irritandi clandestina matrimonia, quod nemo Episcopus potuisset. 3. reddendi personas inhabiles ad matrimonium: vel ratione voti, aut alicujus delicti. 4. constituendi & determinandi censuras. 5. ex potestate canonizandi Sanctos Denique aliis multis, quæ communem Ecclesiæ statum concernunt. Quocirca axioma illud, licet non à *Ledesma*, sed aliis pluribus laudetur, vel omninò explodendum est, vel ita limitandum, ut intelligatur de eo rerum, & actionum genere tantum, quæ ad ordinariam, & cõmunem animarum curam, ac provisionem pertinent, sine quibus manca & inutilis Episcopi vigilantia, & administratio esset. *V. Barb. de potest. Epis. par. 2. ad. 33. Suar. V. disp. 7. Sess. 4. n. 5. Sanch. l. 1. de Matr. disp. 51. n. 3. Laym. l. cit. c. 7. §. 2.*

§ VII.

De Potestate Jurisdictionis.

Quia potestas Jurisdictionis varia, & multiplex est, in certas classes redigemus. Septem invenio. Prima est eorum, quæ pertinent ad Sacramentorum administrationem in totâ Diœcesi suâ. *Secun-*
da

da de corrigendis superstitionibus, & ab-
usibus rituum, aut caeremoniarum, quæ
per incuriam pastorum irrepunt. *Tertia*
de prædicatione verbi divini per Diœce-
sin suam. *Quarta* de causarum Ecclesia-
sticarum decisione. *Quinta* de visitatione
Diœcesis. *Sexta* de specialibus quibus-
dam officiis. *Septimo* denique de his, in
quibus Episcopus, ut Sedis Apostolicæ
Legatus agit.

CLASSIS I.

De Curâ Animarum.

1. Episcopus sollicitè invigilare debet,
Ene animarum cura in Diœcesi sua
ullo prætextu negligatur, exemplo Chri-
sti, & Apostolorum, Pauli cum primis,
qui omnes pro ovibus suis posuerunt a-
nimam suam. *Ioan. 10. Act. Apost. histor. Eccl.*
Et Conc. Tr. Sess. 6. c. 1. omnes quocunq̃ue
nomine aut titulo præfectos Ecclesiarũ
monet, ut attendentes sibi & universo
gægi, in quo Spiritus Sanctus posuit
eos, regere Ecclesiam Dei, quam acquisi-
vit sanguine suo, vigilent, sicut Apосто-
lus præcipit *Actor. 10. 1. Tim. 4.* in omnibus
laborent, & ministerium suum impleant.

2. Examinare quoscunq̃ue beneficia-
rios à patronis suis præsentatos, licet
confirmatio illorum ad inferiores Præla-
tos spectet. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 9. de ref.*
Item quoslibet extraneos Clericos ab a-
liis ordinatos, antequam ad Ecclesiastica
munera admittantur *Con. Trid. Sess. 14. de
ref. cap. 3.*

3. Instituire Vicarios in curatis bene-
ficiis quæ unita sunt cathedralibus, Colle-
giatis, aut aliis ecclesiis, vel monasteriis.
Nominatio siquidem eiusmodi Vicariorũ
ad patronos pertinet, sed approbatio ad
episcopum *Co. Tr. Sess. 7. c. 7. & Sess. 24. c. 18.*

& *ibid. in Comment. Barbosa.*

4. Parochis infirmis & illiteratis qui
officio suo ritè fungi nequeunt constitue-
re Coadiutores *Co. Tr. Sess. 21. c. 6 Salzedo
in Pract. Diaz c. 21.*

5. Vicarium constituere in ecclesia va-
cante, donec legitimus parochus cano-
nicè eligatur *Co. Tr. Sess. 24. c. 18.*

6. Approbare Contestatos omnes sæ-
cularium, sive ii Regulares, sive sæculares
sint. *Con. Tr. Sess. 23. c. 15.* ubi à Congrega-
tione Cardinalium definitum est, absolu-
tionè invalidã esse, quæ datur à Sacerdote
nõ examinato & approbato per Episcopũ.

7. Eligere, & approbare summum Pœ-
nitentiarium pro sua diœcesi *Con. Tr. Sess.
24. c. 8.* quod in nostra Germania fieri non
solet, fortè quia religiosorum familiæ pas-
sim confessionibus audiendis incumbunt.
V. Tit. 4. §. 6.

8. Parochias dividere, cum necessariũ
videtur: beneficia item ex dirutis ecclesiis
ad alias transferre & pauperibus parochiis
unire, aliãque his similia præstare, de qui-
bus *Con. Tr. Sess. 24. c. 13. Sess. 21. c. 4. §. 7. Sess.
25. c. 13.*

9. Singulis annis Synodum diœcesanã
celebrare *Co. Tr. Sess. 24. c. 2.* secundum an-
tiquos Canones *dist. 18. ubi c. 2. 3. & 4. ex
Coe. Niceno, Antiocheno, & Cabilensi præ-
cipitur episcopis ut bini conventus seu Sy-
nodi quolibet anno habeantur propter
ecclesiasticas causas, & controversias de-
finiendas.*

10. Denique leges ferre potest conve-
nientes, & necessarias suæ diœcesi que-
madm. fecisse præ aliis *S. Carolum Borro-
mã Archiep. Mediolanensem Acta, & mo-
numenta testantur V. quæ diximus in Pro-
leg. §. 2. n. 3.*

CLASSIS II.

De corrigendis abusibus.

I. **C**urandum Episcopo est, ut omnia Sacramenta ritè administrantur, & ne quid in decorum aut inordinatū in iis admittatur *Con. Tr. Sess. 14. c. 3. Sess. 21. c. 5. Sess. 22. Decreto de observandis, & vitandis in celebratione Missæ. Item Sess. 25. Decreto de invocatione Sanctorum.*

II. Item abusus in celebratione Missarum magno studio emendare conabitur, nimirum *primò*, ne fiant pacta, conditiones, vel illiberales exactiones Eleemosynarum, & quicquid pro novis Missis datur. *Secundò*, prohibebit, ne vagis & ignotis Sacerdotibus liceat Missas celebrare: publicè criminosis ne quidem interesse permittet. *Tertiò*. Non permittet extra Ecclesiam Missas celebrari, præterquam in Oratoriis à se, vel alio quopiam Ordinario approbatis, & astantibus ritè pieq; ad audiendum compositis. *Quartò* interdicit, quicquid scurrile, & indecens est in Musica, & organis: item omnes actiones sæculares, vana colloquia, deambulationes, strepitus clamores, & quidvis aliud inordinatum in templo fieri, ut domus DEI debito cultu ac veneratione honoretur. *Quintò* tollit abusum, & superstitionem certi numeri Missarum, & candelarum. *Sextò* attendet, ne Sacerdotes incongruo tempore novis, & minimè approbatis ritibus aut ceremoniis in Missarum celebratione utantur. *Con. Trid. sess. 22. Decret. de observandis & vitandis in celebr. Missæ.*

III. Prohibere debet, & proscribere

vulgatos quæstores Eleemosynarum *Con. Trid. Sess. 5. c. 2.* hominum genus vafrum, fictum, & periculosum.

IV. Indulgentiarum aliarumque Spiritualium gratiarum publicationem deinceps fieri curabit per seipsum, adhibitis duobus è Capitulo debitis temporibus, Et tunc licebit ei Eleemosynas, & oblata charitatis subsidia colligere, nulla tamen prorsus mercede accepta, ut omnes intelligent cœlestes hos thesauros non ad questum, sed animarum salutem ordinari. *Con. Trid. Sess. 21. c. 9. & Sess. 25. decreto de Indulg. Barb. hic & Tr. de Parocho c. 16. n. 19.*

V. Curabit, ut omnis supersticio in Sanctorum invocatione, reliquiarum veneratione & imaginum sacrarum usu tollatur, omnis turpis quæstus eliminetur, omnis denique lascivia viteretur, ita ut procaci venustate imagines non pingantur, nec ornentur: & in Sanctorum celebratione ac reliquiarum veneratione homines comestationibus, atque ebrietatibus non abutantur, quasi dies festos in honorem Sanctorum institutos per luxum & lasciviam agere liceat. *Con. Trid. Sess. 25. Decreto de invocat. Sanctor.*

VI. Prædicta omnia, & quæ eodem pertinent, Episcopus sollicitè curabit, ita ut nihil inordinatum, præposterum, aut tumultuariè accommodatum, nihil profanum & inhonestum appareat. Ideò in templis nulla imago insolita ponenda, nulla nova miracula admittenda, nullæ novæ reliquiæ recipiendæ sunt sine Episcopi approbatione. *Con. Trid. loc. cit.* ubi etiam quid in dubio faciendum, sit decernitur.

CLAS.

CLASSIS III.

De predicatione Verbi Dei.

1. **O**Mnes episcopi, Archiepiscopi, & Primates debent ipsi prædicare Verbum Dei, nisi legitimè impediti sint. Impediti suis sumptibus constituent viros idoneos, qui id munus præstent. *Con. Tr. Sess. 5. c. 2.* Hoc quia in Germania nostra non omnino servatur, mirum non est hæreticorum calumniis episcopos & Prælatos apud populum traduci. *Calv. l. 4. Inst. c. 4. n. 3.* portenti instar fuisse ait Vere. u. n. ævo, si quis episcopus non prædicasset.

2 Parochos urgebit, ut saltem diebus Dominicis, & solennibus festis concionentur: tempore Adventus, & quadragesimæ singulis septimanis ter. *Con. Tr. Sess. 24. c. 4.* ubi additur diebus Dominicis, & festis pueros in singulis Parochiis fidei rudimenta, obedientiam erga Deum, & parentes diligenter ab iis, ad quos spectat, docendos esse.

3 Concionatores quoslibet examinare, & approbare debet, eorumque lapsus, & errores corrigere, ac punire, *Concil. Tr. Licit.* Additur in *Sess. 5. cap. 2.* Regulares qui ad concionandum in templis sui Ordinis admissi & approbati à Superioribus sunt debere se personaliter cum licentia suâ episcopo præsentare, ab eoque benedictionem accipere, antequam prædicare incipiant: pro aliis verò templis etiam ab episcopo approbandos esse. *Rosella.*

V. Prædicator n. 1. Silvest. Armilla, & alii Summ. cod.

CLASSIS IV.

De foro Iudiciali.

1. **A**D Episcopum pertinent iudicanda, & definienda omnes controversiæ de beneficiis, omnesque in iisdem defectus. *Con. Tr. Sess. 24. c. 20.* Sunt autem plurima, quæ in hac materia obvenire possunt, de quibus *V. tit. de Benefic.*

2. Ad eundem pertinent causæ criminales Clericorum. *Con. Tr. Sess. 14. c. 4. & 5 item Sess. 13. cap. 4. ubi de Clericorum degradatione. & c. 3. ubi de appellatione. & c. 5. ubi de obrepitis gratis contra episcopi sententiam agitur.* Cuiusmodi autem processus observandus sit in decernendis pænis *Sess. 25. cap. 3. explicatur. Rosella. V. Episcopus n. 1.*

3. Idem de Causis matrimonialibus dicendum *Concil. Tr. Sess. 24. Can. 12.* si quis dixerit causas matrimoniales non spectare ad iudices ecclesiasticos, anathema sit *iuxta c. Multorum 35. Qu. 6. c. 1. de cons. & affinit. c. Ex auditis de præscript. & c. Accedentibus de excess. præl. Notat. Franc. Lec. in thes. fo. eccl. pag. 372.* quia matrimoniales causæ arduæ sunt, ut tradit *Abb. in c. Matheri n. 6. de iureiur.* non esse committendas inferioribus iudicibus, sed episcopo soli: adeoque privilegiatas censeri, ita ut si extra provinciam causa committatur, & pars contra quam erat commissa, paupertatem allegaverit, & verè probaverit, non teneatur extra provinciam litigare in secunda & tertia instantia, nisi adversa pars sumptus, & alimenta subministrare voluerit.

4. Ad episcopum similiter pertinet executio

R 3

cutio

curio ultimarum voluntatum, & visitatio quorumvis hospitalium, & aliorum piorum locorum, quamvis illorum cura ad laicos spectet. *Con. Tr. Sess. 22. cap. 8. Idem in c. Tu nos Greg. IX. asserit, præcipiens episcopo cuidam, ut executores testamentorum monitione præviâ compellat ad fidelem distributionem bonorum. Idem in c. Ioannes clericus eo. tt. leges.*

5. Cum subinde lites oriantur inter personas ecclesiasticas de loco, & præcedentiâ sive in choro, sive in processionibus, funeribus, & simil. episcopus remota omni appellatione, & non obstantibus quibuscunque componere debet. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 13.*

6. Eiusdem est suscipere causas mercedum, & miserabilium personarum etiam civiles contra clericos quoscunque exemptos tam sæculares, quam regulares *Con. Trid. Sess. 7. c. 14.* Potest insuper episcopus de causis civilibus ad se delatis iudicare, præsertim, si mixti fori sint: Item sæculares iudices in diœcesi suâ, si malè iudicent, punire, causasque ad suum tribunal revocare. Patet ex 1. ad Cor. 6. & multis Veterum exemplis apud *Baronium An. no Cbr. 57.*

7. Causas Capitularium extra Visitacionem cum duobus de Capitulo iudicabit *Con. Tr. Sess. 25. c. 6.*

8. Dispensationes à summo Pontifice impetratas non admittet, donec summarè cognoverit eas vitio surreptionis carete. *Con. Trid. Sess. 25. cap. 5. & Sess. 22. c. 18.*

Zerola V. episc. V. Vicarius V. Visitatio. Piafec. Par. 2. c. 4. & alibi Silu. Bonac. Barb.

CLASSIS V.

De officio Visitacionis.

1. **E**piscope tenentur quotannis visitare diœcesin suam sive per se, sive per alios, qui idonei sunt. Visitanti procuratio debetur. Si diœcesis magna, & lata sit, biennio visitabitur. Causæ plures sunt, *Prima*, ut sana doctrina conservetur, & hæreses excendantur. *Secunda*, ut mores tam cleri, quam populi emendentur. *Tertia*, ut disciplina ecclesiastica sanciat, & scandala tollantur. *Quarta*, ut Sacramentum confirmationis tribuatur. *Concil. Trid. Sess. 24. cap. 3. & Sess. 23. c. 4. Jacob. De Graff. Par. 2. l. 2. c. 28. num. 8. & sequ.*

2. Regulares exempti à suis Prælati visitandi sunt. *Concil. Trid. Sess. 25. c. 20.* ubi annotatur ex Declaratione Cardinalium, hodie non omnes moniales pleno iure episcopis subesse, secundum privilegia Apostolica. De qua re agens prolixè *Rodericus Tom. II. Q. 62.* docet, nullam eiusmodi exceptione episcopis iniuriâ fieri: uti nec principibus sæcularibus, quando aliqui per Imperatorem libertate donantur.

3. Episcopus visitare potest omnes personas sæculares de quibuslibet criminibus, ut de hæresi, perjurio, sacrilegio, Simonia, superstitione, cultu idolorum, concubinato, adulterio, peccato contra naturam, Vsurâ, & similibus. *Concil. Trid. Sess. 24. cap. 10.* Eodem modo subiecti sunt Regulares non exempti. Illi quoque, qui aliàs exempti curam animarum gerunt. Omnes item clerici sæculares & Vicarii curam

curam animarum habentes, cuiuscunque tandem sint Vicarii. Neque in his, ubi de morum correctione agitur, exemptio aut ulla inhibitiō, appellatio, vel querela etiam ad Sedem Apost. interposita executionem impedire, aut suspendere debet. *Concil. Trid. sess. 6. cap. 2. & 4. sess. 7. cap. 5. & 7. sess. 21. c. 8. & sess. 24. c. 9. 10. 11. sess. 25. c. 8. 11. 20.*

4. Visitare potest, & debet quaelibet pia loca non exempta privilegio Papæ, cuiusmodi sunt hospitalia, Collegia, Confraternitates, Foundationes, Montes pietatis, & horum similia. *Concil. Trid. sess. 22. cap. 8. sess. 25. cap. 8. & 9.* Tempora item, & res cultui divino consecratas, quæ sunt in locis non exemptis, ut Vasa, vestimenta, aliamque suppellectilem. Imagines quoque, picturas, reliquias, epitaphia, omnemque structuram, ut nihil in ea relinquatur inordinatum. Huc etiam pertinent ecclesiæ in nulla diocæsi sitæ. *Concil. Trid. sess. 7. c. 8. De ref. sess. 24. c. 9. & 10. sess. 25. de cr. de invoc. Sancti.*

5. Maiora loca episcopus per se, minora per alios visitat. Familium & comitatus honestus erit, & modestus: cavebitque, ne expensis nimis graventur subditi. *Concil. Trid. sess. 24. cap. 1. Barb. in c. inter cetera xi. Q. 1.* In visitatione Regularium utriusque sexus nullus sæcularis ad Capitulum inducendus est. Reliqua de modo visitandi utiliter leges apud Anton. Restam in *Directorio Visitat. Mich. Timotheum. Piasecium par. 2. c. 3. Rodericum II. Q. 5. lac. de Grass. l. cit.*

6. Dubitant aliqui, an episcopo liceat familiam armatam habere ad exequendum pœnas delinquentibus constitutas. *Notat Piasecius pag. 128. cessare dubium*

in locis, ubi ecclesiæ coniunctum habet dominium temporale, adeoque in Germaniâ Superiore tota, & Imperio Romano, ubi episcopi simul Principes sunt, & territorium sæculare habent; in aliis autem locis excusari posse si habeat armatam familiam episcopus, cautius facturam tamen ubi consuetudo non est, si in executione faciendâ non utatur propriis ministris ad evitandam offensionem, & invidiam sæcularium, sed utatur auxilio brachii sæcularis, ita ut iudex sæcularis familiam suam armatam episcopo præstet. *c. 1. de off. ord. Innoc. & DD. communiter. Ad Franc. Leo in thesauro fo. eccl. c. 9. n. 19. absolute pronunciat, licere episcopo pro exequenda sententia familiam armatam alere, probatque. 1. ex antiquis Canon. c. Attendendum xvii. Q. 4. & c. Hi qui eadem Qu. & aliis nonnullis. 2. ex consuetudine, & observatione plurium locorum. 3. quia multa crimina sunt mixti fori, in quibus præventioni locus est. 4. ex Con. Trid. sess. 25. c. 3. ubi deernitur in causis iudicialibus ecclesiasticis iudices posse, & debere contra quoscunque laicos procedere per multas pecuniarias, captionem pignorum, personarumque distractionem faciendam per proprios vel alienos executores. Ex quibus sequi videtur armata manu uti posse adversum contumaces: quod facile persuadabitur illis, qui ex familia equestri ad intulam sublati sunt. V. Imm. Roder. Tom. IV. pag. 149. Barb. de potest. Episc. Par. 3. allegat. 105. Bozinum l. 1. de iure status cap. 9. cir. fin.*

CLASSIS VI.

De specialibus quibusdam officiis.

1. **I**N Ecclesiis Cathedralibus Episcopus Lectorem Theologiæ, & Grammaticæ designabit: Regulares verò compellet, ut in monasteriis suis Theologum Lectorem habeant. *Concil. Trident. Sess. 5. cap. 1.* A Cardinalibus declaratum est, sufficere, si vel Scripturæ Lectio vel Scholasticæ Theologiæ doceatur. Vbi tam exigua est populi, & cleri multitudo, ut theologiæ lectio haberi non possit, saltem Magistrum habeant, qui clericos aliosque Scholares Grammaticam gratis doceat, ut deinceps ad ipsa S. Scripturæ studia, annuente Deo, transire possint.

2. Ad Episcopum pertinet examinare, & approbare libros de rebus sacris scriptos & evulgandos: neque ulli licet imprimere, aut imprimi facere quosvis libros de rebus sacris sine nomine auctoris, neque illos in futurum vendere, aut apud se retinere, nisi prius examinati, approbatique fuerint ab ordinario, sub pœna anathematis & pecuniæ in Canone Conc. Lateran. novissimi apposta *Con. Tr. Sess. 4.* ubi additur, approbationem scripto dandam esse, quæ in fronte libri vel scripti, vel impressi authenticè appareat: idque totum hoc, id est, examen & approbatio gratis fiat.

3. Potestatem habet Episcopus quoslibet Notarios, etiam Apostolicos examinandi, approbandi & minus idoneos removendi *Con. Tr. Sess. 12. c. 10.* quia ex imperitiâ Notariorum plurima damna, & multarum occasio litium oriri potest.

4. Seminario pro nutriendis studiosis

erigere debet iuxta formam à *Con. Trid.* præscriptam *Sess. 23. c. 18.* Quod si Cathedralium, & aliarum ecclesiarum Prælati in Seminario erectione, eiusque conservatione negligentes fuerint, ac suam portionem solvere detrectarint, episcopum Archiepiscopus, Archiepiscopum & Superiores Synodus provincialis acriter corrigere, eosque cogere debet. *Con. Tr. loc. cit.*

5. Si hæredes negligentes sint in exequendis ultimis voluntatibus, episcopus executionem in se recipiet. *Con. Tr. Sess. 22. c. 8.* ubi inter Declarationes proposita quæstione, An episcopi ita sint piatum dispositionum executores, ut Archidiaconi, Diaconi, & cæteri inferiores non possint de iis cognoscere iuxta eorum consuetudines etiam immemorales, Congregatio censuit, Episcopos cumulativè executores esse piatum dispositionum ad alios inferiores.

6. Ad Episcopum pertinet confirmatio novorum miraculorum, novarum imaginum, & reliquiarum. *Concil. Trid. Sess. 25. Decr. de invoc. Sanctor.* Singula igitur accuratè discutiet adhibitis theologis aliisque peritis vitis, num quod factum narratur, arte, vel naturali modo fieri potuerit: quod faciliè dijudicari poterit comparatione facta cum veri miraculi natura, quod lubidè in instanti fieri, & ex omni parte perfectum esse debet. c. Sunt plures. *de pœn. D. 3. Turrecr. ibi S. Thom. 3. p. Q. 44. a. 3.*

7. Episcopus explorare debet voluntatem Virginum volentium religionem profiteri *Conc. Tr. Sess. 25. cap. 17.* quod Congregatio Cardinalium ita declarat. Virgines antequam ingrediantur monasterium adducantur ad matronas honestas,

stas, nec sanguine illis iunctas, nec aliquo modo suspectas, ubi remotis omnibus earum propinquis examinentur ab episcopo earum voluntates. Etenim omnimoda libertas requiritur in monasticæ vitæ delectu, pro qua libertate obtenta est causa cuiusdam dominæ ad annullandam eius professionem metu factam. Anno 1586. *men. Febr. V. infratt. 17. §. 1.*

8. Curandum episcopo, ut omnia, quæ de Regularibus à Conc. Tr. decreta sunt, in monasteriis suæ diocesis serventur, idque non obstantibus privilegiis, sub quibuscunque verborum formis conceptis, ac *Mare magnum* appellatis, etiam in fundatione obtentis *Concil. Trident. Sess. 25. cap. 22.*

9. Rationem exiger à Visitatoribus, quos misit, itemque ab œconomis constitutis Sede vacante, & à procuratoribus priorum locorum. *Con. Trid. sess. 24. c. 3. & sess. 22. c. 9.*

10. Solus episcopus decernit monitiones sub pœnâ excommunicationis pro revelatione rerum perditarum, aut ablatarum diligenti adhibita consideratione, an expediat, non aliorum quorumcunque rogatu, sed secundum suam solius conscientiam, *Con. Tr. sess. 25. c. 3.* quia bonorum temporalium amor infidus consiliarius est.

CLASSIS VII.

De his, in quibus agit ut Sedis Apostolica delegatus.

1. Episcopus, ut Sedis Apostolicæ delegatus agit in compellendis Abbatibus, Prioribus, & similibus, ut in mo-

nafteriis suis lectionem theologicam instituunt ubi commodè fieri potest. *Con. Tr. sess. 5. c. 1.*

2. In quibuscunque prædicatoribus, quando hæreses docent, amovendis & iuris ordine condemnandis. *Con. Tr. sess. 5. c. 2.* ubi additur, cavendum, ne quis prædicator, vel ex falsis informationibus, vel aliis calumniosè vexetur, iustamve de iis conquerendi occasionem habeat.

3. In corrigendis Clericis regularibus cuiuscunque ordinis extra monasteria degentibus, & clericis sæcularibus cuiuscunque privilegii personalis titulo se tutos præsumentibus, si deliquerint *Con. Trid. sess. 6. c. 3.* quod Congregatio Cardinaliû declarat, locum habere in omnibus Regularibus, qui legunt extra Monasterium etiam cum licentiâ suorum Superiorum, ita ut si deliquerint, puniri queant à locorum, Ordinariis.

4. In non admittendis facillè impetratis privilegiis reorum post inchoatum iudiciale processum ad eorum condemnationem. *Con. Tr. sess. 13. c. 5.* quod etiâ extenditur ad quoslibet facinorosos *sess. 14. c. 4.*

5. In visitandis monasteriis, commendatis, Abbatibus, Prioratibus, & Præposituris, in quibus non viger regularis disciplina, itemque beneficiis curatis & non curatis, sæcularibus aut regularibus, qualitercunque; commendatis etiam exemptis, idque singulis annis. Si autè vigeat in illis regularis observantia, monebit Superiores, ut eâ secundum statuta sua observent, & nisi intra ex menses fecerint, episcopus curabit, ut fiat. *Con. Tr. sess. 21. c. 8.*

6. In tollendis quibuscunque abusibus, qui in celebratione Missæ obvenire possunt, de quibus supra *Conc. Tr. Decreto de*

S obser.

abserv. & evit. in celeb. Missar.

7. In recognoscendis dispensationibus à Sede Apostolica impetratis extra iudicium *Con. Tr. Sess. 22. c. 5.* Nullibi fraudum opulentior Seges.

8. In Notariis examinandis, & si imperiti deprehendantur, deponendis *Con. Tr. Sess. 22. c. 10.* quod, ut *Bald. in Consil. 6.* dixit, Notariorum ignorantia destruit totum mundum.

9. In visitandis beneficiis in ecclesiis nullius certæ diocesis. Sæpe autem proximioribus. *Con. Trid. Sess. 24. c. 9.*

10. In exercenda iurisdictione in omnes clericos, quomodolibet privilegiatos, nisi habitent intra septa alicuius Ordinis approbati, aut nisi religionem professi sint *Con. Tr. Sess. 24. c. 11.*

11. In puniendis quacunque Simonia admissa in beneficiis, non obstantibus quibuscunque statutis, Constitutionibus, consuetudinibus etiam immemorialibus. *Con. Trid. Sess. 24. c. 14.*

12. In constituenda clausura Monasterii, adhibito etiam, si necesse fuerit auxilio brachii sæcularis *Con. Tr. Sess. 25. c. 5. de Regular.*

13. In gubernandis monasteriis Monasterii Sedi Apostolicæ immediate subiectis, & in sua diocesi constitutis *Con. Tr. Sess. 25. c. 9. de Regular.* quod de gubernatione spirituali tantum intelligitur.

14. In recognoscendo & dijudicando iure patronatus diversorum *Co. Tr. Sess. 25. c. 9. de reform.*

15. In suspendendis beneficiatis Concubinariis notariis, & post primam correctionem perseverantibus aut relabentibus: obstinati maneat graviore pœna castigandis. *Con. Tr. Sess. 25. c. 14. Congregatio*

Cardinalium addit, episcopum contra prædictos Concubinarios procedere posse de iure non expectata forma textus citati capituli. Est enim intolerabile peccatum. Item contra omnes procedere posse etiam incarcerando, quando timetur de fuga iuxta traditam formam in *c. 6. huius sessionis*, idque absque monitione prævia. *V. Prædict. Crimin. Diaz. c. 80.*

§. VIII.

Satisfit dubiis quibusdam circa potestatem episcoporum.

DVB. I. An episcopus subditos suos ab hæresi absolvere possit?

R. Concil. Triden. Sess. 24. c. 6. episcopis concedit facultatem absolvendi suos à crimine hæresis occultæ in foro conscientie: at *Congregatio Cardinalium num. 7.* declarat, tam neque episcopum, neque Inquisitorem in foro conscientie hominem hæreticum absolvere posse, licet facultas hæc ipsis à Concilio Triden. concessa sit, idque propter *Bullam Pii V. scilicet Cæne Dni.* Insuper Decreto Concilii derogatum esse non tantum in crimine hæresis, sed in omnibus etiam casibus comprehensis in dicta Pii V. Bulla. *Navar. cap. 27. num. 265. Viasco. Par. 2. cap. 1. pag. 98. Zerola Par. 1. V. absolutio num. 4. Az. 1. lib. 8. cap. 8. Q. 10. Em. Sa. V. Hæresis nu. 13. Fill. Tr. 7. c. 10. num. 287. Swarez. IV. disp. 30. Sess. 2. num. 7. & V. disp. 43. Sess. 1. num. 7.*

NOTA. Hanc Cardinalium declarationem *Henric. lib. 13. cap. 27. num. 6. Lit. Q.* in fine Comm. ait factam esse tantum pro locis Romæ vicinis. Quod si verum est, Germaniæ episcopi beneficio *Conc. Trid.*

Trid. adhuc fruuntur, & à crimine hære-
fis occultæ in foro conscientiaæ absolueri
possunt. *V. Coninck de Sacram. disp. 14.
dub. 16. nu. 243. Ferdinandez Exam. par.
3 cap. 9. §. 16. num. 6. Roderic. Tomo 1. Q.
20. art. 10. Kiene de Castb. reserv. pag.
325.*

D. 2. An episcopus absolueri possit à
Casibus Sedi Apostolicæ reservatis, & ab
irregularitatibus?

R. *Concil. Trid. sess. 24. c. 6.* ita loquitur.
Liceat episcopis in irregularitatibus om-
nibus & suspensionibus excepta ea, quæ
oritur ex homicidio voluntario, & excep-
tis aliis deductis ad forum contentiosum
dispensare, & in quibuscunque casibus oc-
cultis etiam Sedi Apostolicæ reservatis
delinquentes quoscunque sibi subditos in
diocesi sua per seiplos, aut Vicarium ad id
specialiter deputandum in foro conscien-
tiaæ gratis absolueri imposita pœnitentiâ
salutari.

Hanc potestatem posse Episcopum
non tantum Vicario Generali sed etiam
pœnitentiario, aut Vicario ad id speciali-
ter deputato committere, Cardinalium
Congregatio declaravit. Episcopus igitur
absolueri subditos suos ab omnibus casi-
bus reservatis potest quando occulti, nec
in forum contentiosum deducti sunt. Idem
(& hic secundus modus est) licet ipsi,
quando pro casuum reservatorum abso-
lutione summus Pontifex adiri nõ potest.
de quo *Reginald. l. 1. c. 7. & de prudẽ Con-
fessarii pag. 465 Henricus in summa l. 6. c.
14. §. 7. Piasecius par. 2. c. 1 p. 99. Bonacina
V. absolutio à Censuris Bulla nu. 4. Chapea-
ville de Cas. res. c. 6. Zerola in Praxi par. 2.
V. absolutio dico sept. mo Suar. IV. disp. 30.
§. 3. Navar. Man. c. 27. nu. 88. Em. Sa. V. E.*

episcopus. n. 34.

NOTA, prædictam potestatem compe-
tere Capitulo Sede vacante, & Prælati-
s habitibus iurisdictionem quasi episco-
palem docet *Sanch. l. 8. de Matrim. disp. 2.
n. 10. & seq.*

D. 3. Cum quibus possit dispensare,
quod aliqui vocant, à Canone, lege, vel
iure communi solvere.

R. Dispensare posse 1. cum bigamo, ut
recipiat ordines minores, vel beneficium
simplex. 2. cum clerico, qui uxore habet,
ut beneficium simplex, cuius alioqui capa-
ces laici, retineat. 3. cum eo, qui irregulati-
tatem contraxit ex eo, quia bis baptizavit,
modò crimen occultum sit. 4. Cum cleri-
co, ut habeat duo vel plura beneficia sim-
plicia, quando unum ad honestam vitæ
sustentationem non sufficit, nec utrumq;
residentia exigit. 5. cum eo, qui natus est
extra legitimum matrimonium, ut recipiat
primam tonsuram, minores ordines, &
habeat beneficium simplex. *Is qui. de fil.
presb.* etiam si beneficium unitum sit cum
habente curam animarum. Item ut habeat
Canonicatum in ecclesiâ Cathedrali, qui
non requirat Ordin. *Sacram. Con. Trid. S.
24. c. 12. 6.* cum habentibus tantum mi-
nores ordines dispensat ad Abbatiam, vel
aliam dignitatem, dummodò tamen intra
annum ad Sacerdotium promoveri pos-
sint. 7. Cum clerico homicida occulto ut
retineat beneficium simplex, quod ante
habebat, vel si non habeat consequatur,
cum laico etiam homicida, ut accipiat or-
dines minores tantum. Intellige de homi-
cidio casuali, occulto, & non deducto ad
forum contentiosum, ut in *Par. 3. tt.
16. §. 15. V. de homic. fortuito dicitur.
Concil. Tr. Sess. 14. cap. 7. 8.* cum illis, qui

ab alieno episcopo ordinati sunt per ignorantiam, ut in suscepto ordine ministrent. Item, qui ab episcopo excommunicato ordinati sunt, si ignorabant. Item cum clerico per saltum promoti, ut in suscepto ordine ministrent. Item cum idiotis ut in susceptis ordinibus seruiat, dummodò instruantur, & capax efficiantur. Item cum illis, qui in cunabulis vel à dominis ac barbaris aut alia violentia facti sunt, vel qui lepræ alteriusve morbi motu se castraverunt, etiam ut ad maiores ordines ascendant. Denique cum eo, qui ordines recepit extra tempora præscripta, ut ministret in ordine suscepto. nō tamen, ut ad altiorē conscendat. 9. dispensat cum Sacerdotibus, qui nuptias contrahunt, quoad executionem ordinū. Nam ut *c. Sanè de cler. coniug.* dicitur, quas nuptias contrahunt, non nuptiæ, sed contubernia potius nuncupanda sunt. Ideò post longā pœnitentiã restitui possunt, & executionē ordinis sui habere. 10. Cum clerico cōcubinatio, cuius crimen est occultum. *Glo. in c. Quasiu. de cohab. cler. & mulier.* 11. cum adultero, periuro, vel falso teste: Sacerdote, aut clerico aliis criminibus adulterio minoribus obstructo. Item cum presbytero, Diacono, & Subdiacono, qui aliquid de ministerio ecclesiæ vendens sacrilegium commisit, ut in ordine suscepto ministret. 12. Cum Diacono, qui Missæ sacrificium fecit, ut in officio suo permoneat, & retineat beneficium, quod habebat. In omnibus denique irregularitatibus occultis, & non deductis in forum contentiosum, ut ex *Con. Tr. diximus supra D. 2. V. suum. Aug. Silu. & al. in V. Dispensatio.* An verò excipiatur Irregularitas per hæresin contracta multum dubitat *Suarinus V. disp. 43. S. 1. n.*

7. *Filliuc. non excipi censet Fill. Tr. 20. nu. 246.* Circa Sacramentum matrimonii 1. dispensat in gradibus prohibis, quando impedimentum est occultum, & difficilis ad Sedem Apost. accessus, nec abiq; scandalo separari possunt 2. in impedimentis, quæ impediunt tantum, non verò dirimunt, excepto Voto Castitatis, & Religionis 3. in denuntiationibus, ut ex iusta causa omittantur, 4. in votis, excipiendo quinque illa Papæ reservata, nimirum castitatis perpetuæ, Religionis, peregrinationis Ierosolymitanæ, ad limina Apostolorum Petri & Pauli, & ad S. Iacobi Compestellam. Vbi *Nota.* dispensare episcopū posse, si Votum castitatis non sit perpetuum, ut si voveat quis ad certos annos tantum, vel ex parte tantum quoad certos actus. Item si voveat se non contrahurum nuptias. Denique si voverit, se sacros ordines non suscepturum. 5. dispensat in iuramenti promissoriis, si iusta causa subit: si dolo, vi, aut metu extorta sint: item si turpia sint ex parte eius, cui iuratur, ut si iures te Titio ufuras soluturum. Denique communis opinio est, episcopum dispensare posse in omnibus criminibus & casibus, nisi expressè prohibeantur in iure. *Angel. Silu. Navar. Bonacina Piafecius Con. Trid.*

D 4. An possit pœnas à jure vel homine constitutas remittere?

R. 1. Episcopus potestatem habet in utroque foro relaxandi pœnas in jure, & Canonibus sancitas *c. Tempora. 26. Q. 7. c. Pœnam c. Medicinam c. Verbum Dei. c. Iudex de Pœn. D. 1. Denique in c. Latorem 33. Q. 3. matricida* cuidam pœnitentia iniungitur à Nicolao Papa, quam tamen, si reus bonorum operum studio se cunctis probaverit, minui posse insinuat.

Vnde

Unde colligitur in aliis quoque idem fieri posse. *Diaz. in pract. Crim. c. 146. & ibid. Salzedo.*

2. Sicut relaxare pœnam, ita remittere omninò potest, prout expedire viderit. Ita DD. in c. Licet de pœn. & rem. V. Menoch. de arbitr. l. 1. quest. 96.

3. Pœnitentiam à Summo Pontifice injunctam aliqui censent ab Episcopo remitti non posse, neque ex toto, neque ex parte, eò quòd inferior superioris sententiam mutare nequeat. Verum tamen id minimè inconveniens censco, si cognita causa, & necessitate suadente præsumat Episcopus à mente Summi Pontificis hic & nunc factam remissionem non esse alienam. *Azor. II. l. 3. c. 52. 1. Clarus §. fin. quest. 85. & alii multi apud Barb. in c. Tempora 26. quest. 7.*

DUB. 5. An promovendo aliquem ad beneficium, officium, vel ordinem, eo ipso Episcopus censeatur dispensare, & tollere impedimentum? Negat *Abb. in c. cum in cunctis de elect.* imò puniendum esse Episcopum, qui sic impedito beneficium, vel ordinem tribuit. Melius alii distinguunt. Velenim Episcopus novit impedimentum illius, cui beneficium vel ordinem impertit, vel non novit. Si hoc, non censetur dispensare: si illud, dispensare præsumitur, quamvis non dicat. *Ego N. dispenso.* Satis enim est secundum conscientiam, si dicat, illum se ex legitima causa promotum velle. *Silv. V. dispensatio n. 21. Azor. II. l. 3. c. 52. q. 5. Sanch. l. 8. disp. 4. n. 15. Laym. l. 1. tract. 4. cap. 23. num. 7. Rodriq. tom. 1. quest. 22. art. 2.*

DUB. 6. Quænam crimina, & causas Laicorum Episcopus cognoscere & judicare queat? *Gloss. in c. Licet de fo. comp.*

ex *Ostiensis Summâ* ponit sequentes Verus, in quibus causæ ad forum Episcopi pertinentes continentur.

Hereticus. Simon. fœnus. perjurus. adulter.

Pax. privilegium. violentus. sacrilegus.

Si vacat imperium. si negligit, ambigit, an sit.

Suspectus judex. si subdita terra, vel usus.

Rusticus, & servus. peregrinus feuda. Viator.

Si quis pœniteat. miser aut sit. causaq; mixta.

Si denunciat Ecclesia quis, judicat ipsa.

Quæ omnia ut melius intelligantur, & confusio evitetur.

NOTA 1. Crimina quædam esse fori Ecclesiastici tantum, quædam profani seu Laici tantum, quædam verò fori mixti seu communis, ubi præventioni locus est, ut judicet, ad quem primò delata causa fuerit. Forum competens dicimus, cui parere necessariò reus debet, et que cogi potest. *Extra de fo. comp. Vallens. l. 2. art. 2. §. 1. Silv. V. Crimen. n. 2.*

NOTA 2. Huic foro tribus modis subijcitur quis Primò ratione causæ de qua agitur. Nam si Ecclesiastica fuerit, coram solo Ecclesiastico Judice tractari debet, & vicissim, si profana, coram solo Laico Judice. Secundò ratione rei, mobilis vel immobilis. Tertio ratione loci, & hoc triplici erit ratione originis. 2. domicilii. 3. delicti, quod alicubi patrovit. *c. ult. de fo. comp. Piafectus par. 2. c. 4. Azor. c. 23. II. l. 13. c. 15. Gail. l. 2. observ. 36. Vallens. loc. cit.* His positis R. T. Ad forum Episcopi pertinent causæ & crimina merè spiritualia seu Ecclesiastica, quorum videlicet prohibitio à solo jure Canonico est. Talia sunt hæresis, Simonia, Usura, Matrimonium

niam malè inritum, violatio voti, transgressio præceptorum Ecclesiæ, violatio censuræ Ecclesiasticæ, sacrilegium in administratione Sacramentorum commissum, concubinatus Clericorum: quamvis aliqui, ad forum commune trahant, quia legibus etiam civilibus hoc quidem tempore prohibetur. Fori mixti cõmuniter esse censetur adulterium, Sacrilegiũ, Sortilegium, Blasphemia, & violatio Virginitatis sacrarum. *Laym. l. 3. tr. 6 c. 1. Barb. in c. 1. de off. Jud. ord. & c. Accedentibus de excess. Pral. Azor. II. l. 3. c. 53.*

R. 2. In criminibus mixti fori, cum Laicus judicatur, Episcopus vi adhibitã illum in carceres conjicere potest. Ita contra *Julium Clarum Ign. Lop. in praxi crim. c. 154.* & alii omnes, qui Episcopis pro executione familiam armatam concedunt, inter quos *Segura Davalos in Direct. suo par. 2. pa. 80.* non tantũ carcere constringi ab Episcopo Laicos posse docet, sed etiam cũ tantã necessitate, & cibi subtractione, ut fame moriantur, nec irregulares propterea fieri, si pœna fuerit condigna delicto: quia si damnatus ad pœnã perpetui carceris fame pereat, naturaliter mori censetur. Consultit nihilominus, ne facilè ejusmodi pœna irrogetur propter periculũ incurrendæ irregularitatis, & homicidii *V. part. III. tr. 1. §. 2. num. 4.*

Resp. 3. Episcopo causas civiles & merè Laicas judicare licet, Primò si ad peccatũ inducant, vel iniquitatẽ nutriant. Secundo si Laicus Judex negligens fuerit. Tertio si in judicando exorbitet. Quarto si ad promovendum honorem DEI & pietatem spectent, uti sunt testamenta, & pia legata. Deniq; in omnib; illis interponere se potest, circa quæ aliquid Jure Canonico

sancitum est, censura lata sunt, aut ferri possunt. *V. Aufrerium, qui in Tra. de iurisd. Eccl. casus 149. collegit. Bern. Diaz. in Praxi Crim. c. 3. Silvest. V. Episcopus n. 8. Item V. Pœna n. 9. Laym. l. 2. Tract. 1. c. 8. n. 6.*

D. 7. Quas Indulgentias Episcopi concedere possint? Competere illis potestatem Indulgentias largiendi auctoritate Pontificum, & Jure Canonico accuratè probat *Bellar. l. 1. de Indulg. c. 3. Franc. Suardus IV. Dist. 55. Sect. 1. Azor. II. pag. 487. Coning. D. 12. Dub. 1. Silv. V. Indulgent. n. 13.* Comitatur autem prædicta potestas Episcopum Electum & confirmatum jure ordinario, nec opus est aliquã declaratione aut peculiari Pontificis testificatione. Nec movere quæquã debet, quod Auctores aliqui dicunt, ex commissione Papæ Episcopos habere potestatem Indulgentias largiendi, quia nihil aliud volunt, quàm non habere à Deo immediatè, quemadmodum habere Summus Pontifex existimatur. Hoc posito

R. 1. Episcopum in dedicationibus Ecclesiarum concedere posse unius anni Indulgentiam, in anniversario autem 40. dierum. *c. cum ex eo de Pœnit. ci. fin.* Hunc numerum si excesserit, dando v. g. 50. 60. aut 70. dierum non valebunt nisi pro numero 40 dierum. Diem anniversarium dedicationis in alium transferri posse in ipso actu consecrationis, non autem postea respondit *Sacra Congregatio super negotia Episcoporum Episcopo Bismensi 14. Febr. An 1585. Gavantus in Rubr. Breviar. Sect. 8. c. 5. n. 4.*

R. 2. Quam indulgentiam Episcopus subditis suis in Diocesi seu territorio suo manentibus, eandem dare potest illis in alienã Diocesi commorantibus injungendo

gendo opus pium ibi adimplendum. Hoc enim non est manum suam in alienam Jurisdictionem immittere, sed propriam exercere in personis sibi subiectis. *Fran. Suar. l. v. d. 55. Sess. 3. n. 17. Card. Lugo de pœnit. d. 27. Sect. 8.* qui notant, Episcopi indulgentiam non per modum suffragii, sed absolutionis dari, adeoque solis viventibus prodesse.

R. 3. Easdem indulgentias Sede vacante Capitulum concedere potest. *Abb. in eum olim de mai. & obed. Silv. Nav. & plures alii. Barb. in c. illa ne Sede vacante.* quia indulgentias dare est actus jurisdictionis, velte *S. Tho. in 4. d. 20. q. 3.* Nam Legatus Pontificius etiam non Sacerdos concedere potest. Cum igitur Capitulum succedat in locum Episcopi, quod jurisdictionem attingit, non possumus illi prædictam facultatem negare.

R. 4. Si Episcopus excommunicatus sit, alteri Episcopo delegare vices suas potest, ut suo nomine indulgentias largiatur. Ita *Paludanus* probabiliter. *Corduba* vero asserit subditis suis facultatem dare posse, indulgentias ab alio Episcopo non impedito recipiendi: quod falsitatis arguit *Suar. l. cit.* Cum enim Episcopus excommunicatus sit, ex hypothese, nullam jurisdictionem exercere potest, neque ulli dare, aut delegare. *Navarr. c. 27. n. 17. & seq. A vila de Censur. pag. 255. Em. Sa. V. Excommunicatus num. 17.*

Dub. 8. Quæ sint jura Episcopalia, quæ secundum Canones à Clericis & Religiosis exigere Episcopi possunt?

Resp. *Innoc. III. relatus in c. Congruente de off. lud. ord.* docet, esse Canonicam obedientiam, subjectionem, reverentiam, institutionem, destitutionem, correctio-

nem, reformationem, & censuras ecclesiasticas, jurisdictionem quoque causarum omnium ad forum ecclesiasticum iure spectantium: pœnitentias item, & Sacramentorum omnium, quæ ab episcopo sunt recipienda, collationem, Synodum, & Synodatici, seu Cathedralici nomine duos solidos, quartam decimationum, & mortuorum, denique visitationem annuam. *Et infra.* Non amplius exigas, quàm *Moderatum auxilium*, quod iuxta formam *Conc. Lateran.* h. manifesta, & rationabilis causa extiterit, cum charitate postulandum. Idem dicitur in *c. Cum Apostolus. §. prohibemus de consil. Plura Azor. l. 1. c. 14. ex Archid. par. 3. tit. 9. c. 5. Silv. V. Episcopus nu. 6.* Ex prædictis nonnulla vel ubique, vel certis in locis contratio usu abrogata esse usus ipse, qui nunc viget, docet.

D. 9. Quotplex sit lex episcopalis?

R. esse duplicem, jurisdictionis, cui subiciuntur etiam monasteria, & Diocesanæ, cui monasteria non subiciuntur *c. dilectus de off. ord.* Ad legem jurisdictionis pertinet datio Curia, delictorum coactio, ordinatio ecclesiarum, consecratio ecclesiarum, altarium, Virginum, & chrismatum: denique omnium Sacramentorum, & ordinum collatio, & alia plura, quæ numerantur in *§. 17. ac. 5. Congruente.* Ad legem vero diocesanam spectat, convocare ad Synodum, & sepulturas Cathedralium, quod soluitur in signum subiectionis, quarta mortuorum, decimarum, hospitorum & similiarum. Igitur omnia monasteria ipso iure exempta sunt à lege diocesana *xi. q. 1. c. 1.* A lege vero jurisdictionis non sunt exempta nisi speciali privilegio. *Silv. V. Episc. q. 7. Cacchus l. 1. c. 12. Co. Tr. sess. 25. c. 12. & 13. Emman. Rodr. l. 9. 64. n. 2. Barb. de pot. Episc. l. 1. tit. 1. c. 1. n. 250.*

Dub. 10. Quas pœnas Episcopus incurrit secundum Canones queat?

Resp. 1. Nunquam incidere in pœnam suspensionis, aut interdicti, nisi specialis mentio fiat *c. quia periculosum de sen. excõ. in 6.* sicut de excommunicatione dicendum, si Canones non servet, & servari faciat, vel perjurus sit, ut notat *Abb. in c. Ego de iureiur. & c. Sacerdotes 2. q. 7.* Unde de feri potest, si ex contemptu deliquerit, quemadmodum deserit solent excommunicati. *Gloss. in c. cit. Sacerdotes Sylv. V. Epif num. 12.*

Resp. 2. Episcopus alienum subditum scienter ordinans suspensus est per annũ integrum, ita ut nullos ordines conferre queat; & Clerici, cum manifesta fuerit suspensio, à vicinis Episcopis ordinari possunt *c. eos qui de temp. ordin. in 5.* Item suspensus est, si ordinet illiteratum, solenniter pœnitentem, vel bigamum. Item conferens uno die duos ordines vel duobus diebus, licet continuato jejunio. Item si consecret in aliena Ecclesia calices corporalia, & similia. *V. thesaurum Fori Eccl. Franc. Leonis part. 3. c. 39. Piaſec. par. 2. cap. 4. num. 80.*

Resp. 3. Con. Trid. certas pœnas præscribit, si intra tres menses consecrationem non recipiant *seff. 23. c. 2.* Si in officio fuerint negligentes, præsertim in correctione subditorum. *seff. 22. c. 1. & 2.* Si non resideant. *seff. 6. c. 1. seff. 23. c. 1.* Si negligent, quæ ad Seminarii institutionem spectant. *seff. 23. c. 18.* Si ad consilium provinciale non veniant. *seff. 24. c. 2.* Si munera accipiant in Visitatione *seff. 24. c. 3.* Si concubinas habeant. *seff. 25. c. 14.* Contra Simoniacos. *V. in Cau. L. qu. 1. 2. 3. 7.* Modus correctionis Episcoporum

præscribitur. *seff. 24. c. 5. seff. 13. c. 6. & 7.* Quomodo purgare se debeat Episcopus iure antiquo *V. cap. ill. id statu eodem D. 23.* coram sex Episcopis scilicet. Qui ritus jam pridem deliit. *V. Gloss. ibid.*

Dub. 11. Quam pœnam mereatur Episcopus criminis læsæ majestatis reus?

Resp. Degradationem decerni *in c. st. quis Laicus 22. quest. 5.* quod tamen aliqui de verbali degradatione intelligunt, eò quòd Episcopi, & Clerici non possint dici læsæ majestatis rei, quia Laicis magistratibus subiecti non sunt. Barbarius verò, & alii de reali degradatione intelligi volunt, seque ita vidisse testatur. Certè in *Synodo Toletana 16.* quam allegat *Lopez c. 121. Subertus Toletanus Episcopus,* quia regem suum privare regno, & interimere cogitavit, excommunicatus omnique honore & gradu exutus perpetui exilii pœnam subire coactus est: idque ut *Synodus loquitur,* secundum antiquorum Canonum institutionem. Extant quoque apud Platinam non pauca Cardinalium exempla, qui à variis Pontificibus propter delicta minùs atrociora diverso mortis genere extincti sunt. *Iul. Clarus l. 5. s. Læsæ maiest. Gigas Tr. de crim. læsæ mai. q. 68. Decianus l. 7. c. 9. Zypæus de iurisdic. Eccles. l. 4. c. 32. Diana par. 1. tract. 7. Resol. 19. & 20.*

§. IX.

De Chorepiscopis, & Titularibus.

I. **C**horepiscopus aliqui cum *Gloss. ad c. Chorepiscopi D. 68.* denominatos putant à Choro, quòd in illo Episcoporum loco præssent, uti nunc Cantoris locum

locum succentor obtinet. Verosimilius est, dictos à vicis leu pagis, quos Græci *χωροῖς* nuncupant. Quam ob causam à Papiæ Regionarii appellantur. In minoribus igitur oppidis constituebantur cum minori potestate, ut manifestè indicatur in *c. quamvis* D. 68. Hos deinde propter delicta quædam & abusus sustulit *Damasus Papa epi. 4. ad Episcopos Africae*, ubi de superbiâ & præsumptione notantur. In *Conc. Antioch. l. c. 10.* sic legimus. Qui in vicis, vel possessionibus Chorepiscopi nominantur, quamvis manus impositionem Episcoporum perceperint, & ut Episcopi consecrati sint, tamen sanctæ Synodo placuit, ut modum proprium recognoscant, ut gubernent sibi subjectas Ecclesias, earumque moderamine, curaque contenti sint: ordinent etiam lectores, & Subdiaconos, atque exorcistas, quibus promotiones istæ sufficiant. Nec presbyterum verò, nec Diaconum audeant ordinare. Ita *Concil. Antioch. l. loc. cit. Lorinus in c. 5. Eccles. V. In provincia. Belarm. l. 1. de Cler. c. 17. Barb. in c. quamvis dist. 68.* ubi alios plures allegat.

II. Quia ex communi doctrinâ, & Ecclesiæ usu constat duos tantum Sacerdotii gradus esse, Episcoporum videlicet, & presbyterorum, consequitur necessariò Chorepiscopus non fuisse in medio quodam ordine, sed revera presbyteros tantum & in vicis uti Parochos præfuisse cum majori quapiam dignitate, & licentiâ conferendi subinde minores Ordines, & Subdiaconatum, qui primis illis temporibus cõnumerabatur *c. erubescant 32. d. c. miramur de servis non ordin.* Nam si verè episcopi erant, quomodo prohibiti ordinare Sacerdotes & Diaconos: quo-

modo in pagis & villis residebant contra sacrorum Canonum ordinationem, & Ecclesiæ praxin? *Conr. Brunus de Cerem. l. 1. c. 4. Carranza in Sum. Concil. Henric. l. 10. c. 23. §. 2. Fill. 17. 9 de Sacram. Ord. Ioan. Eilefac. in l. Parœcia inscripto. Barbosa in c. quamvis D. 68. Turrian. de hierarch. Ordin. l. 1. c. 22. Anton. Cucch. l. 1. Instit. 11. 3. Gambar. de off. Legati l. 2. tt. de var. ordinar. muneribus.*

III. Aliqui Chorepiscopus cum titularibus confundunt quasi iidem forent. Quod si admittimus, verè Episcopi, non autem Parochi erant. Meliori jure nominales dicerentur: nisi malis Chorepiscoporum duo genera fateri, unum eorum, qui, ut Titulares verè consecrati sunt, licet absque certis, & propriis subditis; alterum eorum, qui consecrationis expertes, reipsa animarum Curatores, Parochi, vel Archidiaconi. De quâ re fusiùs *Tholosanus l. 15. syntagm. c. 12.* ubi eosdem cum *Budeo in comm. lingua Græcæ Vicarios Episcoporum* appellat, de quorum munere, & dignitate egimus *Tit. V. §. 2. V. Barb. in c. quamvis distinct. 68. cum DD. quos laudat.*

IV. Titulares Episcopi propriè vocantur, qui in locum & defectum Episcoporum in terris infidelium, vel ab hæreticis occupatorum, aut alium finem absque certis subditis consecrantur, quales in Germania nostra sunt Archiepiscoporum, & Episcoporum Vicarii in Pontificalibus. A nonnullis appellantur Episcopi ambulatorii, portativi, titularii, nullatenenses. His à *Concil. Trid. præcipitur Sess. 14. c. 2.* ne absque licentiâ Ordinariorum Episcoporum, aut sine literis dimissoriis eorum ulli etiã idoneo, adeoque

T que

que nec suis familiaribus aliquem ordinem vel etiam primam tonsuram conferant sub pœnâ suspensionis per annum integrum. Illi autem, qui sic ordinati fuerint, ipso jure ab executione ordinum suspenduntur, donec proprio Prælato visum fuerit. *Barb. Collectan. in Conc. Trid. Sess. 14. c. 2. & Sess. 23. c. 9. Piafescius in praxi Episcop. pag. 17.*

V. De iisdem titularibus Episcopis ordinavit *Pius V.* in Decreto suo consistoriali, ne Pontificalia exercere possint absque expressâ licentiâ Sedis Apost. nisi in diœcesi, ad quam dati sunt Suffraganei, & ut deinceps non dentur, nisi in Ecclesiis Cardinalium, & illis, quæ solitæ fuerunt illos habere, & cum assignatione

certi stipendii ad minûs ducatorum auri ducentorum de Camerâ, quos propria auctoritate percipere possint, quando muneri suo satisfaciunt. *Franc. Leo in praxi sua c. 39. n. 17. Barb. in Con. Trid. c. 2. de refor. Sess. 14. Piafescius par. 1. c. 1. pag. 10.* Multum ea Constitutio necessaria & salubris est, pro illis potissimè, qui ut aliis non admodum laudabilibus negotiis, aucupio fortè, venationibus, ludis, & commestationibus tempus, & operarû impendant, Vicarios aut titulares Episcopos substituant, qui quæ ad Deum sunt, sacrificia, ordinationes, & similia peragant. Eisdem si ad reddendum pro ovibus suis rationem obligare possent, minus peccatum haberent.

TITULUS VIII.

De Archiepiscopis.

I. **A**rchiepiscopus licet auctoritate, & dignitate præcellat Episcopos, ordinis potestate æqualis est, jurisdictione verò major, cum sub se Episcopos, ut Suffraganeos habeat *c. 1. de fo. comp. in 6* eamque ob causam Urbi præest, quæ aliarum quasi mater & caput sit, vulgò Metropolis appellata: ipsi autem Archiepiscopi Metropolitanæ vocantur, postquam Patriarchæ & Primates superiorem locum, & auctoritatem adepti sunt. *c. 1. l. 1. D. 80. c. 1. D. 99. Tholos. l. 15. Syntagm. c. 11. Cui. l. 1. tt. 3. Bar. in c. placuit D. 18. & c. Cleros D. 21. Lanc. l. 1. tt. 5.*

II. Dignitatis Archiepiscopalis insigne est pallium, gestandum diebus solennibus in sola celebratione Missarum *c. Cum*

sis, de auct. & usu pallii. Illius origo creditur esse antiquissima, ut ex veteri E. R. Rituali colligitur, quod non malè novi testamenti Ephod indigitat, & à Lino, qui Apostolo Petro successit, institutum affirmat in singulare potestatis privilegium. At *Rupertus Tuitiensis l. 1. de din. off. c. 27.* Maternum ait, à S. Petro missum Trevirensi Ecclesiæ pallium, quasi hæreditatem reliquisse. Episcopis etiam quibusdam concedi solitum legimus, & usus comprobatur, videlicet *Ostiensis, Papiensis, Massano, Lucensis, Dolensis.* Adde *Bambergensis*, cui *S. Henricus Imperator* obtinuit, eoque in hunc usque diem Episcopi utuntur. Mysticam significationem accuratè tradit *Durantus l. 2. Rituum pag. 345.*

Sumi

Sumi & mitti dicitur à corpore S. Petri, quia super altare, ubi S. Petri corpus sepultum est, Romani Pontificis auctoritate consecratur, indeque sumptum ad Archiepiscopos mittitur: vel ut Rituum antiquorum collector censet, quia pallia confecta ad Basilicam S. Petri deferuntur, & per Canonicos ponuntur super corpora Apostolorum Petri & Pauli sub ara majori, ubi factis vigiliis illa per noctem relinquuntur, deinde Subdiacanis redduntur, qui ea in loco decenti conservant. *Sily. V. Pallium Laucel. l. 1. c. 11. Barb. in c. significasti de elect. & c. Quoniam dist. 100. Item de potest. Episc. par. 3. alleg. 50. n. 4. Azor. 11. l. 3. c. 34. Polyt. Virg. De invent. rer. l. 4. c. 12. Anton. Cucchus l. 1. tt. 10 pag. 92. Serar. in hist. Mogunt. pag. 486. ubi formam pallii accuratè describit.*

III. Alia prærogativa Archiepiscopi est, quòd crucem anteferre potest etiam in locis exemptis, modò præsens non sit Summus Pontifex vel Legatus ipsius. Præterea ubique in Pontificalibus Missam celebrare potest tam publicè quàm privatim: procurare item, ut coram se Missa celebretur sine Pontificalibus. *Clem. Archiepiscopo de privil. Mosconius pag. 232. Barbosa de potest. Episc. par. 1. tt. 4. n. 39. Lal. Zecchus de Rep. Eccles. et. do statu illustr. Patriarch. num. 6.*

IV. Quod officium concernit, accepto pallio, & peracta consecratione, in diœcesi propria Episcopalia munia exercere potest eo modo, quo Episcopus qui libet in sua diœcesi. Ante consecrationem verò ne quidem Archiepiscopi nomen illi tribuitur. *c. nisi specialis de auct. & usu pallii. Pontificalia exercere non licet illi in Ecclesiis Suffraganeorum suorum*

ipsis invitis. *Barb. ad c. 5. Sess. 6. Con. Trid. Moscon. par. 1. c. 8. Anton. Genuens. in praxi Archi. Neapol. c. 75. num. 10. Azor. Tom. II. l. 3. c. 34. Laym. l. 1. tr. 4. c. 7. §. 3. Sily. V. Archiepiscopus. Armill. & alii Summ. eod.*

V. Potestatem habet tanquam Ordinarium in Episcopos Suffraganeos sibi subditos, eorumque Ecclesias, & populum, ut infra n. 13. dicitur. Unde absentiam illorum integro anno còtinuatam, si moniti resistant, Summo Pontifici indicare debet. Præterea post octavam Paschæ, vel alio commodiori tempore Synodum celebrare Ecclesias visitare, & similia. *Con. Tr. Sess. 24. c. 1. de modo V. Declar. Cardinalium ibidem. Zerola. part. 1. V. Archiepiscopus. Gemin. in c. 1. de off. Vicarii l. 6. lac. de Graff. part. 2. l. 2. c. 8. n. 30. 31. & seq.*

VI. Jurisdictionem ordinariam in subditos Suffraganeos suorum exercet 1. quando subditus deliquit in diœcesi Archiepiscopi. 2. Si habeat prædium domicilium, vel beneficium in sua diœcesi. 3. Cùm causa defertur ad eum per appellationem. 4. Cùm absolutus ab Archiepiscopo non vult parere Episcopo. 5. Si causa criminalis sit inter subditum Episcopi & Clericum suum. Item si Clericus causam civilem habeat adversus Episcopum. 6. Quando Episcopus in officio suo negligens est. 7. Cùm evidens est, sententiã Episcopi injustam esse. 8. Quando visitat provinciã, quod facere debet causa prius cognita, ut infra n. 9. dicitur. *Con. Tr. Sess. 24. c. 3. Quo tempore etiam, & non aliàs absolvere potest quoscunq; de subditis Suffraganeorum suorum. Az. 11. l. 3. c. 33. & seq. Mosc. pag. 152. Piasec. pag. 258. Barb. Coll. Decis. Apost. 689. Reginald. l. 1. c. 5. Sect. 1. n. 34. Cans. l. 1. Instit. tt. 16. Cucchus tt. 20.*

VII. Singulare dubium est de Matrimonio, possitne secundum Concilii Tridentini Decretum Archiepiscopus, vel alius Sacerdos de ipsius licentia suffraganeorum suorum subditos matrimonio conjungere? Non posse ordinariè saltem patet, quia non habet potestatem ordinariam in singulas aliarum diocesium personas. Poterit tamen primò, cum actu visitat diocesim, deinde cum à Suffraganeo Episcopo petentibus assistentia injustè negata est. *c. Pastoralis de off. Ord. Con. Trid. Sess. 24. c. 1. Remiss. pag. 366. Davalos in Directorio pag. 103.* Conveniens enim existimatur inferiorum defectus à perfectioribus, quoad fieri potest, suppleri.

VIII. Curare debet, ut pro futuris Clericis in Suffraganeorum suorum diocesis Seminaria erigantur; item Oeconomos instituere debet Sede vacante in Ecclesiis suorum Suffraganeorum, si id Canonici facere intra octiduum à morte Episcopi negligant: item Regulares cogere etiam exemptos, & nullius diocesis, ut Concil. Trident. Decreta observent. Denique regulares exemptos in certas Congregationes redigere idque tanquam Sedis Apostolicæ delegatus, juxta ordinationem *Conc. Trid. Sess. 25. c. 2. Declar. num. 2. Azor. par. 11. l. 3. c. 34. §.* absolvit etiam Archiepiscopus.

IX. In Synodo provinciali potest cum adjunctis minores causas criminales contra Episcopos cognoscere, & decidere: majores autem Papæ judicio reservabit. *Concil. Trid. Sess. 24. c. 5.* Non tractabit de Visitatione Cathedralium Ecclesiarum, & diocesium suorum suffraganeorum, seu comprovincialium episcoporum, nisi

causa cognita & probata in Concilio provinciali *Conc. Trid. Sess. 24. cap. 3.* Sic enim labore seipsum non necessario eximet, auctoritatem suffraganeorum tuebatur, cura & impensa subditos levabit.

X. In Concilio provinciali quascunque novas quæstiones emergentes cum comprovincialibus suis examinabit: nihil autem novum, & in Ecclesia inusitatum Romano pontifice inconsulto decernet. *Conc. Trid. loc. cit.* In iisdem Conciliis iudicabunt de licentia non residendi à se, vel à suffraganeis data. *Conc. Trid. Sess. 23. c. 1. Laym. l. 1. tr. 4. c. 7. §. 3. V. qua diximus in Prolegom. §. 2. n. 6.*

XI. Archiepiscopus in Synodo Provinciali est velut Decanus in Capitulo: eidem quasi unus de Concilio subest, & excommunicari potest: præterea ab illius sententia ad Concilium provinciale appellatur. Si negligens fuerit in erigendo Seminario correctioni eiusdem Concilii subiacet, ab eoque compellatur. *Conc. Trid. Sess. 23. cap. 18. Navar. l. 1. Consil. 6. Lorich. V. Archiep. num. 4. Vallensis l. 1. tr. 8. §. 2.*

XII. Episcopos comprovinciales invitos nullius consuetudinis prætextu, ut ad Ecclesiam Metropolitanam accedant, compellere Archiepiscopo licet. *Conc. Trid. Sess. 24. c. 2.* Addit Congregatio episcopos comprovinciales non teneri personaliter accedere, nec procuratorem mittere ad præstandam obedientiam Metropolitanæ suo, non obstante ulla consuetudine etiam immemorabili. *Zerola in Praxi. P. 1. V. Suffraganei Collect. Decision. Apost. Barbof. 689. & ad c. 2. cita. Conc. Trid. Sess. 24.*

XIII. In-

XIII. Intra provinciam sibi subiectam Indulgentias elargiri potest, dummodò statutum Generalis Concilii non excedat. Quamvis enim non sit ordinarius Iudex omnium de provinciâ *c. Pastoralis de off. Ordin.* nec extra suam diœcesim iurisdictionem contentiosam habeat, Indulgentias tamen concedere potest, quia voluntariæ iurisdictionis esse censentur. *Glo. in c. Nostro de pœn. & rem Franc. Leo Fo. eccl. Par. 1. c. 7 nu. 18. Nau. de iubilæo Notabili. l. n. 13.*

XIV. Archiepiscopus non tantùm ex diœcesi suâ, sed & totâ provinciâ relegare in exilium delinquentes potest. *c. Cum fortius de calumniatoribus Felinus in c. Postulasti de foro comp. Barb. in c. Non sine de arbitris. Piafecijs par. 2. c. 4. n. 95.* in multis arbitrariæ pœnæ locus est, & cum alijs Præsulibus modus procedendi communis.

XV. Archiepiscopus si in territorio, seu

diœcesi alicuius suffraganeorũ suorũ deliquerit, in eadem pœnas incidit, quas ex simili delicto suffraganeus incideret. *Ostiens. in sum. tt. de sent. excom. 8. Quis valeat nu. 9. Zerola Par. 2. V. Archiepiscopus num. 1.*

XVI. In Germaniæ regno septẽ Archiepiscopi sũt. 1. Moguntinus S. R. I. Elector, & in Germania Archicancellarius. 2. Colonienſis S. R. I. Elector & per Italiam Cancellarius. 3. Trevirensis S. R. I. Elector, & in Gallia ac regno Arelatenſi Archicancellarius. 4. Magdeburgensis Germaniæ Primas. 5. Salisburgensis etiam primas, 6. Bremensis ad Visurgim. 7. Vefontionensis seu Bisuntinus. Ex his Magdeburgensis & Bremensis ab Hæreticis insidetur. *Aub. Miræus de statu Relig. Christ. l. 1. c. 33. Cosmographia Munsteri Archonologia Gotofredi pag. 26. Braschijs de Episc. German.*

TITULUS IX.

De Patriarchis, & Primatibus.

Patriarchatum nomen & origo à primis illis Patribus est, qui quasi principes credentium, & populi à Deo electi fuerunt, uti Noë; Abraham; Isaac; Iacob; Ioseph; & simil. Romæ olim quinque Patriarchales sedes erant, quarum prima Ecclesia Lateran: 2. S. Petri: 3. S. Pauli 4. S. Mariæ ad præsepe. 5. S. Laurentii extra muros: non quòd singulis distinctæ provinciæ subessent cum iurisdictione, sed quod in illis summus Ponti-

fex, ut Patriarchatum primus solenniâ Missarum celebraret, & in illis Patriarchæ aliunde venientes sedem figerent. *c. Cleros. Dist. 21. Barb. de potest. Abb. p. 118. Dec. in c. ult. n. 2. de confirm. utili. Zecobus de rep. Chr. tt. de Patr.*

II. Patriarchæ olim præcipui quatuor fuerunt 1. Constantinopolitanus. 2. Alexandrinus. 3. Antiochenus. 4. Ierololymitanus. *c. Antiqua: de privil. c. Sancta: c. Renovantes. c. de finimus, dist. 22. Constantinop.*

tinopolitano subiecti fuerunt omnes provincie Græciæ, & Asia minor: quibus postea accesserunt aliæ provincie, ad fidem Christi seriùs traductæ, ut Moscovia, & Russia. In his ille Episcopos & Archiepiscopos, ut nunc quoque licet Schismaticus, constituerebat. In provinciali libro omnium ecclesiarum illi subiiciuntur 20. Archiepiscopi. In iure verò Orientali parent illi 80. Metropolitanis. Antiocheno subiecta erat altera pars Asiæ, aliæque provincie usque ad Indiam Orientalem. In libro provinciali ecclesiarum parent ei 153. Episcopi, & Archiepiscopi 12. Alexandrino suberat Ægyptus, Lybia, Pentapolis, & aliæ provincie, quæ ad tropicum Capricorni pertinent. Ierolimitano suberat Palæstina, & triplex Arabia usque ad sinum Persicum. *Ostiens. in sum. de auct. & usu pull. num. 4. Pelag. de planctu eccl. l. 2. art. 17. Barb. in c. clericos. D. 21.*

III. Primas reipsa idem est, qui Patriarcha iuxta *c. Cleros. dist. 21. & c. Vrbes. D. 80. c. provincia. D. 99.* Nunc autem usus obtinuit, ut minorum gentium patriarchæ vel Primates vel minores Patriarchæ vocentur. Huius generis apud Latinos (Græci Schismatici magno numero) sex numerantur antiqua consuetudine, & Pontificum indulgentia, Aquileensis, Cantuariensis, Gradenensis, Bituricensis, Pisanus, & Toletanus. *Vgonius de præstantia Patriarchali. Germonius l. 3. de sacror. immunitate. Barb. de potest. Ep. par. 1. tit. 3. c. 7.* Talis etiam, antequam hæresi corrumpere, Magdeburgensis fuit, & nunc quoque Salisburgensis *Lancel. l. 1. tit. 5. Az. 11. l. 3. c. 35.*

IV. Patriarchæ postquam à Summo

Pontifice, fidelitatis, & obedientiæ iuramento præstito pallium obtinuerunt, & confirmationem, eiusdem pallii usum conferre possunt Archiepiscopis sibi subiectis exacto ab illis pro se, & Romana ecclesia fidelitatis, & obedientiæ iuramento. *c. Antiqua de privil. Neque obstat, quod c. Significasti. de elect. dicitur, Pallium à corpore S. Petri sumi & dari: quia licet Archiepiscopi à Patriarchis accipiant, id tamen absque auctoritate; & respectu ad summum Pontificem non contingit. Barb. in cit. Antiqua Canisius l. 1. tit. 14. Anto. Cuchus l. 1. tit. 10.*

V. Patriarchatum (principalium supra dictorum) quatuor privilegia numerantur 1. est pallii usus, quod plenitudinis officii Pontificalis insignie. *c. Antiqua 23. de privil. leg. 2. Crucis, quam ubique anteferte licet, præterquam in Vrbe, & ubi S. Pontifex, aut legatus illius utens insignibus Apostolicæ dignitatis præfens est. c. cit. Antiqua Salv. V. Patriarcha. 3.* Privilegia & prærogativas communes cum summis Pontificibus habent. *c. Renovantes 22. dist. ubi leges similia privilegia, quæ Superior Roma habet, accipiat. & Iustin. in. Auth. de eccles. titulis §. 1. Coll. 9. Alu. Pelag. l. 2. art. 19. 4.* In Archiepiscopos, & episcopos sibi subiectos supremam & ordinariam iurisdictionem exercent, ut colligitur *ex Can. 39 Conc. Niceni.* Unde dispensare possunt cum Episcopo, vel alio beneficiorum collatore sibi subdito, quando propter malæ beneficii collationem à Concilio suspensus est *c. grave in fi. de præbendis* absolunt præterea excommunicatos à suffraganeis suis, etiam cum recusant, ut communiter DD. censent per text. in *c. Ad reprimendum 8. de off. Ord. Barb. de pote. Ep. par. 1. tit. 3. c. 1.*

VI. Idem

VI. Iidem iudicant de causis episcoporum sibi subditorum, 1. cum ad eos appellatur, 2. Cum vacante ecclesia Metropolitana postulatur Patriarcha, ut disponat de rebus ad Metropolitanum pertinentibus. 3. In casu consuetudinis vel privilegii. 4. Cum de negotio arduo, quod in Concilio provinciali decidi nequit, controversatur. 5. Cum Metropolitanus est negligens, defectum illius supplet Patriarcha. 6. In causa Archiepiscopi Patriarcha iudex est. 7. An iusta sit excommunicatio inferioris, cognoscit. 8. Iudicat, an appellatio à sententia Episcopi ad Papam facta, sit legitima. *Vivianus in Ration. pag. 432. Alagona in comp. pag. 155. Lorich V. Patriarcha. n. 2.*

VII. Patriarchæ sedem figere solent, & debent in nobiliore loco, seu Urbe, ubi Reges & Princeps commorari solent, quod tempore Clementis Papæ constitu-

tum *Anacletus in epist. 2. ad Episcopos Italiae* indicat his verbis. Provincia multo ante Christum tempore divisæ sunt maxima ex parte, & postea ab Apostolis, & B. Clemente prædecessore nostro ista divisio est renovata. In capite omnium Provinciarum, ubi dudum erant primates sæculi, ac prima iudiciaria potestas &c. ipsis quoque in civitatibus & locis nostros Patriarchas vel Primates, qui unam eandemque formam tenent, licet diversa sint nomina, leges divinæ & ecclesiasticæ esse iusserunt, ad quos Episcopi, si necesse fuerit, confugerent, eosque appellarent, & ipsi Primatum nomine fruerentur. *Mosconius l. 1. c. 8. Lancel l. 1. tit. 5. Alexand. ab Alexandro. l. 2. Genial. dierum c. 27. Bellarm. l. 1. de Pontifice c. 23. & 24. Tholosan l. 47. Synogram. c. 32. Barb in c. Humilis. de Maior. & obed.*

TITULUS X.

De Cardinalibus.

Primum in Hierarchia ecclesiastica locum à summo Pontifice Cardinales obtinent, qui Consilarii, Coadiutores, & administri sunt in rebus arduis. *c. Per Venerabilem l. 4. Decr. tit. 17.* Iidem oculi vocantur, & lucernæ unius candelabri à Petro Damiani: item pars prima & membra ipsius Papæ, ut tradit *Paulus V. in Bulla Romana c. 8.* & purpurati *in Rubr. de iurisd. omn. Ind. n. 15.* Illorum dignitas regis comparatur à *Sixto V. in Const. 50. in princ. & 5. Præterea Laert. in Bullar. tom. 1. pag. 282. Collect. Decis.*

Apostol. 131. Martin. Polon. in Chron. l. 2. pag. 96. Henriq. l. 10. c. 27. Barb. in c. Execrabilis de præben. in 6. Ad Contem. l. 6. c. 37.

§. I.

Nomen, & Origo Cardinalium.

I. **C**ardines in cælo duo poli appellantur Arcticus, & Antarcticus, quis circa illos immobiliter fixos cæli globus voluitur. Legimus etiã ventos Cardinale

males & quatuor mundi partes Cardinales; Virtutes Cardinales apud *S. Ambr. l. 5. in Luc.* Primarios Donatistarum *S. Augustinus* Cardinales nominavit. Simili modo Cardinalia appellamus, quæcunque magna & eminentia sunt. Quod igitur Consiliarij & administri proximi ac primarii summorum Pontificum Cardinales dicantur, dignitatem illorum, & superam eminentiam arguit, cuius rei causa recens ab *Vrbano VIII.* Eminentissimi titulo aucti sunt. *Silv. V. Cardin. Aluar. Pelag. de plan. eccl. l. 2. art. 16. Moscon. l. 1. c. 5.*

II. De prima origine variant Scriptores, sed rem ipsam intuenti facile apparebit ab initio Ecclesiæ fuisse. Nam à *S. Petro* usque, cuius collaterales fuerunt *Linus, Cletus, & Clemens*, semper aliqui ad consilia intima à summis Pontificibus adhibiti sunt. Sub *Silvestro Papa Victor & Vincentius* in Concilio Nicæno præsederunt, quod munus eximium, & Cardinalium proprium est. Nomen quod attinet, ante *Gregorij M.* tempora raro auditum, & paucis tributum videtur. Nec *Onuphrius* audio, qui cepisse ait *Cleti & Evaristi* ætate. Distingui autem sub *Silvestro* primum cœperunt, cum antea commune nomen omnibus esset, qui vel maiori ecclesiæ, vel cæteris episcopis & Diaconis præsiderent. *Laudens. Q. 7. Mosconius l. 1. Par. l. c. 5. Stapleton. de magnit Rom. Eccl. l. 2. c. 13. Loricinus in thesaur. V. Cardinalis. Polydor. Virg. de invent. rer. l. 4. c. 9.*

III. Numerum si quæris, usque ad annum Christi 1125. sub *Honorio Papa* 53. fuere. Inde incertus mansit usque ad annum 1276. Postea augeri cœpit, ita tamen, ut sub *Bonifacio VIII.* tantum 20. essent. In Concilio Constantiensi decretum est,

ne 24. numerum excederent. At *Sixtus IV.* plures quàm 30. creavit. *Alexander VI.* quinquagesimum artigit. *Leo X.* ad 65. una vice supra 30. creando. *Paulus IV.* quinque supperaddidit. *Pius IV.* septuaginta sex habuit. *Sixtus V.* denique septuagesimum numerum deficiavit exemplo *Mosis*, cui 70. seniores in adiutorium à Deo dati sunt, illum postea numerum *Clemens VIII.* complevit. *Turrecrem. l. 1. c. 80. Franc. Leo in thesaur. fo. eccl. Par. 1. c. 2.*

IV. Ex his liquet, errare Panormitanum cum aliis quibusdam existimantibus, à Christo Domino Cardinales institutos esse in 72. discipulis, quos elegit, & ad prædicandum misit. Nam si ordines sacros excipias, quibus alii sunt episcopi, alii Sacerdotes, alii Diaconi, nihil remanet Cardinalibus, quàm assistere summo Pontifici, negotia ecclesiæ tractare & providere ea, quæ ad totius ecclesiæ incolumitatem pertinent, quod totum humani juris & arbitrii est. Pontifex igitur, & quidem solus Cardinales eligit & creat, ita ut nec ipse Cardinalium Senatus, cum Ecclesia Pontifice viduata est, ullum Cardinalem creare possit. *Glo. in Clem. ne Romana V. Potestatis de elect.* Imò nullibi legimus à Conc. Generali quempiam Cardinalem nominatum esse, cui tamen eam potestatem negare non aulam. *Flamin. de resig. l. 2. q. 1. Barbos. in c. Excommunicatis de off. legati.*

V. In Conc. Tr. Sess. 24. c. 1. definitur, in electione Cardinalium eadem observanda esse, quæ in electione episcoporum, ut nimirum de vita, ætate, doctrina, & reliquis dotibus inquisitio fiat, & non ex una tantum sed omnibus totius orbis nationibus sumantur, prout idonei reperti fuerint:

sint: nē videlicet Dignitates & munera non hominibus, sed meritis & virtutibus debita ab illa natione, in qua summus Pontifex residet, per ambitionem, quasi propria sibi accipiantur. *Franc. Leo in Thesaur. fori eccl. Par. 1. c. 2. Efferen in Manuali polit. p. 656.*

VI. Creatio Cardinalium quamvis unico verbo perfici queat, à summo Pontifice, communiter tamen certæ quædam cæremonie adhibentur puta traditio pilei, immissio annuli &c. Absentibus subinde per literas indicatur, & insignia mittuntur. *V. Paleotum de Cardinal. Par. 1. Q. 5. Zerolam Par. 1. V. Cardinales.*

§. II.

De Cardinalium Dignitate, & officio.

I. Cardinalium gradus triplex est, Episcoporum, Presbyterorum, & Diaconorum. Episcopi sex sunt, presbyteri 50. Diaconi 14. Atque ex his conflatur numerus 70. quem Sixtus V. præscripsit. Quæ cuique attributa sit Ecclesia, inuenios apud *Mosconium pag. 26. & seq.* qui te censuris omnium titulis, subdit Cardinales in illis habere iurisdictionem episcopalem. *c. His qua de mai. & obed. Vnde conferre possunt omnia beneficia, Canonica, præbendas, aliaque officia, siue curata, siue non curata sint. Azor 11. l. 4. c. 1. Polyd. de inue rer. l. 4. c. 9.* Addit *Zerola*, modò Sacerdotes sint, ordines minores conferre. *V. Cardin. ci. fin.*

II. Dignitas Cardinalium æstimari potest 1. ex comparatione cum statu politico. Cū enim multò nobilior sit ecclesiasticus Status, in quo Sacerdotes, episcopi,

& alii Prælati fulgent, eorum, quibus præstant, maxima dignitas erit. 2. ex officio illorum, de quo paulò post. 3. ex titulis, quibus iam olim honorati fuerunt. *Constantinus M.* in Edicto suo. *Vitis, inquit,* diversi ordinis, Reverendissimis clericis, S. R. E. seruiantibus illud culmen singularis potentie, & præcellentie habere scimus, cuius amplissimus noster Senatus videtur gloria adornari, id est, Patrios, & Consules efficit: nec non & cæteris dignitatibus imperialibus eos promulgamus decorari, & sicut imperialibus extat decorata militia, ita Clerum S. R. E. adornari decernimus. *Idem à S. Bern. l. 4. de Confid.* vocantur Collaterales, & Coadiutores summi Pontificis. In decretalibus verò *et. de elect. in 6.* principales Assessores, Consiliarii, & in executione Principalis officii Cooperatores. 4. ex privilegiis multis, & magnis, de quibus infra, §. 3. Summum gradum & Dignitatem Cardinalium, *Barb. & Manfr. apud Moscon. pag. 19.* probat 1. quia cum Papa iudicant orbem terræ, & à nemine, quàm à Papa iudicantur. 2. quia eorum consilio totus mundus regitur. 3. quia sunt cardines, super quibus uniuersi orbis machina voluitur. 4. quia in Ecclesia Dei tenent principatum. 5. quia à Papa membra appellantur. 6. quia Senatus illorum diuinus est. 7. quia locum Apostolorum tenent. 8. quia eligunt Pontificem, & eliguntur. 9. quia speciali ornamento decorantur. 10. quia maioribus negotiis præsunt, 11. quia Papa inter Cardinales connumeratur. Ita illi rem eandem diversis nominibus exaggerando. *Vigner. Instit. p. 631 Lorich. in. thesau. V. Cardinalis num. 5. Cardin. Tuschus conclus. 96. & seq.*

Y

III. Car-

III. Cardinales vestiuntur purpura, quæ diversarum Virtutum Symbolum est, Charitatis, Fortitudinis, regis potestatis. Mosconius fieri censet propter mysterium Salvatoris nostri, qui à ludæis purpura ornatus fuit, & præter intentionem Rex salutatus. Nec aliæ causæ desunt Nam si purpura Regum propria est, & Cardinales Regibus honore supæates, iisdem frui insignibus convenit. Et hæc fortè Pontificum prima cura fuit. *Barbat. de Card. par. 1. Q. 1. Mansfr. c. 8. privil. 24. Lassan. in Catal. par. 4. Conf. 10. Bozius de iure Statu. l. 1. c. 12. Tholos. l. 2. tit. 9. c. 3. Busæus de statu Cardinal. c. 2. Lorich. in Thes. V. Cardinalis num. 6. Viguierius de Statibus. §. 11.*

IV. Officium Cardinalium, summotis quæ communia sunt, in duobus consistit. Primum enim in demortui Pontificis locum eligere & subrogare alium possunt, ac debent. Deinde summo Pontifici assistere, eum in administranda ecclesia consilio & opera fideliter adiuvare. *Bellarmin. l. 9. De cler. cap. 9. Sanch. l. 2. Conf. cap. 1. D. 10. Mussus in Conc. de Cath. Petri. Quem in finem bis in hebdomada apud summum Pontificem olim conveniebant, nunc verò cum negotiorum moles decreverit, semel tantum. Vocatur is conventus Consistorium. Summa igitur prudentia præditi sint oportet, in quorum directione, & consiliis Respublica Christiana tuto conquiescat. c. Excommunicatis de off. leg. & ibi Barb. Tholosan. l. 15. Syn. cap. 4. VV. Ferdin. ab Efferen in Idolo polit. p. 659. Busæus de Statu Card. c. 3. Az. 11. l. 3. c. 4. Diana Par. 5. tr. 2. ref. 73.*

V. Quia Pontificem eligendi potestas in Senatum Cardinalium translata est, quemadmodum electus Pontifex dignitate præcellit Imperatorem, sic Electores Imperatoris Cardinalibus minores esse censentur. Certè Pontifex è vivis sublato Ecclesiam ipsi regunt, & administrant, usque dum alius surrogatus fuerit. *c. Licet. De elect. c. Vbi periculum eo. in 6. c. in nomine. Dist. 23. Sivo. V. Cardinalis. Az. l. cit. Contzen l. 6. polit. c. 39.* Quomodo autem Suprema Pontificum potestas in Cardinalibus maneat à Silvestro explicatur *V. Cardinalis. & Az. 11. l. 3. c. 4.* Manet nimirum quasi in radice seu causa, non verò quoad actualem iurisdictionem, & plenitudinem potestatis. De potestate legislativa Collegii Cardinalium. *Suar. l. 4. de leg. c. 6. docet, non extendere se ad novas leges toti Ecclesie præscribendas, sed ea tantum ordinanda, quæ ad electionem Pontificis, defensionem Ecclesie, & avertenda pericula pertinent. Clem. ne Romani. de elect. c. ubi periculum. eod. in 6.*

VI. Ex Constitutione Nicolai II. quæ refertur in *c. si quis pecunia, dist. 79.* potestatem habent Cardinales Pontificem, pecunia, metu, aut favore intrusum expellendi, & alium substituendi, adhibito etiam brachii secularis auxilio. Similiter in electione duorum, seu Schismate licet illis Concilium cogere, & decidere controversiam. Quod si hoc, (ait Nicolaus Papa) intra Urbem perficere nequiverint, in loco, qui eis placuerit, eligant, quem digniorem, & utiliorem Apostolicæ Sedi perspexerint, concessâ ei auctoritate regendi, & disponendi

ponendi res ad utilitatem S. R. E. secundum quod ei melius videbitur. *Boerius in Tr. de auctor. Consilii p. 202. Azor 11. l. 4. c. 2. Barb. Collect. Decisio Apost. 131.*

VII. Præter alia officia maiora solis Cardinalibus committi solita, legationes singulari virtute, & doctrina ornatis demandantur cum multis gratiis, & privilegiis. Vnde Cardinalis Legatus conferre potest beneficia ecclesiastica etiam devoluta ad Papam. *c. Officii de off. leg. in 6. quod aliis Romanæ Ecclesiæ legatis non tribuitur: Idem absolueret potest excommunicatos propter iniectionem manuum in clericos, undecumque adveniant. Mare transiens utitur insignibus Sedis Apostolicæ, equo albo, vestibus rubris, freno, calcaribus deauratis, & id genus aliis. c. Antiqua de privil. Canisius l. 1. last. tit. 17. Franc. Leo in thes. l. 1. c. 2. num. 17. Barb. Collect. Decis. Apost. n. 131. V. inf. tit. xi.*

VIII. Cardinales licet Episcopi non sint, in ecclesiis tituli sui possunt, ut veri Episcopi insignibus Episcopalibus uti: minores ordines conferre, & dare benedictionem solennem: Item visitare prædictas ecclesias, Clericos illius corrigere, suspendere, interdiceret, excommunicare. *c. His qua de mai. & obed. Franc. Leo in thesaur. fo. eccl. l. 1. c. 2. n. 6*

IX. Cardinali à summo Pontifice habenti commissioe creditur etiã in præiudicium tertij, si testetur de commissis sibi à Papa, vel aliis ad eum deferendis, eaque solita sint à Papa concedi, & non nisi indirectè cedunt in præiudicium alterius. Creditur quoque illi in Romana Curia de gestis coram se absque actis & scriptis. Na-

var. l. 3. Consil. 6. Cardin. Tuschus concil. 103. Zerola Pa. 1. V. Cardinales. Nam sicut ea pars æris, quæ à terra plus distat, purior, ita Eminentissimorum fides Sanctior esse præsumitur.

X. Quæ propria personæ summi Pontificis contentor, Cardinalibus minimè licent Neque enim alios Cardinales creare, nec Cardinalem legatum mittere, nisi ad id paratum possunt, nec à Papa missum, nisi gravi causa revocare. Nova Statuta quoque, & Indulgentiarum elargitio prohibita illis. *Glo. in c. Vbi periculum. de elect. in 6. Mosconius l. 1. c. 6. Azor 11. l. 4. c. 3.*

§. III.

De Privilegiis Cardinalium.

MULTIS privilegiis gaudere contentum est. Non pauciora ducentis aliqui enumerant. Alii minore numero contenti sunt. Potiora vide.

1. Qui in Cardinalem eligitur, hoc ipso ab omni patria potestate liberatur. *Glo. in Extrav. Execrabilis de præb. inter Ioann. XXII. Barb. in c. officii de off. leg.*

2. Cardinalis inops à summo Pontifice alendus est, quia convenit membris à capite subveniri. Tales ferè sunt assumpti ex Ordinibus mendicantium, & qui carent redditibus Commendarum & Episcopatum. *Card. alb. q. 42. Azor 11. l. 3. c. 3. ci. fin. Barbat de Cardinalib. Q. 6. Mansfr. Decis. 224.*

3. Nulla sententia suspensionis vel interdicti, quomocumque promulgata afficiatur, nisi eorum mentio specialis fiat. Quomodo autem aliis Con-

ditionibus & Bullisteneatur *V. ap. Azor* l. 5. c. 11. Q. 5. Non teneri Regulis Cancellariæ Apostolicæ tradit *Frans. Leo in thes. fo. eccl. l. 1. c. 2. n. 9. Felinus c. in eos n. 2. de heres.*

4. Quamvis Summi Pontificis Vicarius in Vrbe plenam iurisdictionem habeat, illi tamen, qui Cardinalibus seruiunt, vel subiecti sunt, non à Vicario Urbis sed à propriis iudicibus iudicantur *Card. Alb. Q. 42. Azor. 11. l. 3. c. 3.*

5. Qui Cardinalem offendunt, ut rei lætæ maiestatis puniuntur, quia summi Pontificis quasi membra sunt: præterea ipso jure excommunicati sunt. *c. felix de pæn. l. 6. De aliis excommunicationibus V. Bonacinam in Comp. V. Cardinales. Adam. Contzen l. 6. c. 35.*

6. In condendis testamentis gaudent militum privilegio: nec legibus civilibus, quæ certam formam præscribunt, obstricti sunt. *Card. Alb. q. 15. Azor. 11. l. 4. cap. 3. Cardin. Tuschus Conclus. 100.*

7. Consuetudo obtinuit, ut si Cardinalis reo ad patibulum ducto occurrat, eum quæ veste aut pileo tegat, immunis dimittatur. *Saluetus. Castrensis. Laudensis. Baldus. Capola. Panorm. Lasius. Afflictus. Marr. de Bellenzinis. Remig. de Conuis. Excipe damnatos ob crimen falsi, hæresis, lætæ maiestatis, & quodlibet aliud horrendum & atrox crimen. Paris puer. de Syndicatu p. 356. Duenas reg. 81. Iulius Clarus tamen l. 5. §. fin. cap. 98. nunquam id à se visum testatur, suadet quæ si eiusmodi casus eveniat, liberandum à præfixo supplicio reum, & ad tritemes dimittendum.*

8. Non obligantur ad residendum in beneficiis, sed quia in Curia Romana

Pontifici assistunt, pro residentibus agnoscuntur. Similiter illorum familiares. Excipe beneficia, quibus cura animarum adiuncta est, iuxta præscriptum *Concil. Trident. sess. 23. c. 1.* cui frustra se opponunt nonnulli apud *Azor. 11. lib. 3. cap. 4. Q. 3.*

9. Liber sunt à solutione decimarum, & obsequio Charitativo à Papa imposito. *Lancel. l. 2. c. 2. Tenentur autem contribuere de fructibus beneficiorum pro Seminario in diocesi, ubi erigitur. Con. Tr. Remiss. Sess. 23. pag. 341. Barb. de potest. Episc. P. 3. Alleg. 77.*

10. A sententiâ Collegij Cardinalium non datur appellatio. Quin nec ab unius Cardinalis lata sententiâ in causa, cuius eum summus Pontifex constituit Iudicem, cum clausula Appellatione remota.

11. In Cardinalem electus priora beneficia retinere potest. V. g. Episcopatum, Archiepiscopatum, quem habet in titulû, non tam jure, quàm tacito Pontificis consensu & indulgentia, ut cum *Card. alb. Marr. Laud. & aliis quibusdam loquitur Azor. 11. l. 4. c. 3. q. 5.*

12. *S. Silvester in Rom. Synodo:* constituit, ut presbyter Cardinalis, si contingat eum graviter labi, non nisi 44. testibus condemnetur: Diaconus autem Cardinalis urbis Romæ non nisi 27. testibus, qui omnes sint absq; ulla infamia. *c. Præsul. 2. q. 5. Abb. ibid. Decianus l. 2. c. 21. n. 35.*

13. Cardinales non episcopi nec legati, quamvis communi iure nõ habeant potestatem eligendi confessarium, habent tamen ex consuetudine, non ipsi modò, sed familiares quoque commentales. *c. Ne pro dilatione de pæn. & remiss. Soto in 4 D. 18. ar. 2. Henrig. l. 10. c. 27. m. 3. Tolet. l. 3. c. 13. n. 5.*

14. Pres-

14. Presbyteri Cardinales ex consuetudine possunt minores Ordines conferre suis familiaribus *Ioan. Andr. in c. 1. de supplen. negl. Pral. Barb. de potest. ep. par. 2. alleg. 3.* Familiaris censetur, qui victum, & ministerium aliquod certum obtinet, uti à *Rot. a. decisum est. decis. 584.*

15. Palmarium est, quod ordinariè de illorum Collegio & corpore tantum eligendus est, qui toti Ecclesiæ præsit, S. Petri successor, & Christi in terris Vicarius. *6. ubi periculum de elect. in 6. Can oportebat dist. 79. Azor. II. l. 4. c. 1. q. 3. Tholos. l. 15. Syn. c. 4. n. 2.* Non repugnat tamen subinde alium non Cardinalem extollere, & coronare, cum ad id muneris totius orbis dignissimus quæri debeat. *Henriq. l. 10. c. 27.* **NOTA.** Cardinalis qui ab obedientia Papæ recedit, non gaudet privilegiis sibi concessis, ita ut excommunicationem incurrat, qui ipsum lædunt. *Cardin. Tuschus Concl. 102.*

§ IV.

De Vestitu Cardinalium ordinario.

I. Cardinalium habitus ordinarius coloris rubri & violacei est: sub rubro, qui ex prædictis mixtus videtur, in tertiâ Adventus Dominicæ, & quartâ Jejunii majoris utuntur. Materia est lana, aliquando tela sericea: holosericum, & qui cognatus illi, non attingunt. Cum toga violacea utendum, Pileus & reliqua ejusdem coloris sunt. In luctu similiter, nisi quod aurum omne desit, etiam in limbo Pilei. Rubræ togæ jungitur Pileus subrubri coloris, cum ornamentis ejusdem generis.

II. Tempore Adventus excepta Dominica tertiâ, à septuagesima usque ad tempus Paschale, feriis sextis, vigiliis, quatuor temporibus, die commemorationis animarum, & quocunq; alio exequiarum violaceo habitu utuntur: neque tunicam ex sericeo filo gestare fas. Excipe quatuor tempora post Pentecosten proximè, ubi rubro colore utuntur: festa item duplicia, quæ in feriam sextam incidunt extra Adventum, & Quadragesimam: præterea Festum Annunciationis B. V. cum in Quadragesima celebratur: Vigiliam Nativitatis Dominicæ usque ad Octavam trium Regum, Dominicam Paschatis usque ad Festum SS. Trinitatis, totam Octavam Corporis Christi, & Assumptionis Deiparæ, omnium Sanctorum, Patroni Urbis Romæ, & Ecclesiarum titularium, creationis, & coronationis Papæ, Festum Cathedralis Petri denique solennia Festa, dies publicæ lætitiæ dedicatos, quibus omnibus coloris rubei usus est.

III. Quando in Ecclesia sua Cathedrali vel titulari resident, rubro vestiuntur officio assistentes divino: item in processibus publicis ex urgente necessitate institutis in prædictis Ecclesiis, modò nō sint excepti dies juxta superius dicta.

IV. Extra Urbem & Italiam potissimè quolibet tempore, ut commodum videbitur, Cardinales legati à latere purpureo vel violaceo colore utuntur. Diebus jejunii & indulgentiarum in forma Jubilæi tam intra, quàm extra processionem violaceus habitus defertur.

V. In Jubilæo anni sancti, cum quatuor Urbis Ecclesias visitant, quod tempus illud pœnitentiæ censeatur, viola-

ceo induuntur, ut sub Greg. XIII. Anno salutis 1575. & Clemente VIII. Anno 1600. factum est, cum septem Ecclesias invilerent extra tempus Paschale.

VI. Quando Pontifex equitat solenni situ, ut in Festo Annunciationis Deiparæ, mulis vesti Cardinales simul tunicâ rubrâ induuntur. Extra solennem equitationem pallii usus est, & mossetei supra roquetum cum pileo non Pontificali coloris, quem tempus exigit.

VII. Cum Legatus aliquis Cardinalis, vel recens creatus à Collegis suis deducitur, postquam Urbem intravit, habitu violaceo utuntur: similiter cum mulis vehuntur ad Consistorium publicum: rubro autem, quâdo ad sacella solennia. Extra tempus Adventus, Septuagesimæ, & Quadragesimæ, idem mulo, qui domi no habitus tribuitur; pluvix arcendæ lacerna superinjicitur.

VIII. Quocunq; tempore (*exceptis de quibus supra n. 2.*) in Ecclesiâ titulari alicujus Cardinalis solennis Missa agitur, habitum rubrum præferent, non obstante, quod Collegæ violaceo induti sunt: postremo nihilominus loco sedebit, nec benedictionem impertiet, nisi fortè idem

iple solegne officium peragat. Si ordinaria Missa dicatur in titulari Ecclesiâ aliqua, Pontifice absente, puta, in S. Sabinæ in die Cinerum; ad S. Mariam de Minerva in Festo Annunciat B. M. V. vigiliis, vel exequiis propter Principem sæcularem defunctum, Cardinalis ejus tituli eodem cum reliquis colore utetur, tenebitque locum alias sibi debitum.

IX. Cardinales Archipresbyteri trium Ecclesiarum Patriarchalium, S. Joannis Lateran. S. Petri, & S. Mariz majoris privilegiati sunt, eisdemque gaudent prærogativis in Ecclesiâ sua, quibus alii Cardinales in sua titulari.

X. Qui ex ordinibus religiosis assumpti sunt, ordinis habitum & colorem non mutant, excepto caputio, & bireto, quæ rubri coloris sunt ex Constitutione Greg. XIV. & quia roqueto non utuntur in sacris, ejus loco albam induunt. De Societ. Jesu Patribus aliter dicendum, quia certum habitum non gestant. In *Robert. Card. B. Arm.* eundem cum aliis Cardinalibus non Monachis habitum vidimus, quamvis infra illum nigro ordinis sui & clericali indueretur. *Claudius Vaure in Deser. Curia Romana c. 21.*

TITULUS XI.

De Legatis Apostolicis.

I. **Q**uia ad Sedem Apostolicam non unius Provincia, sed universi orbis causæ, & negotia deferuntur, nec omnes cognosci & decidi possunt in absentia eorum, quorum

interest, necessitas exigit, per Nuncios & Legatos expedire. Mittuntur itaque auctoritate Pontificia nunc Cardinales, nunc alii de Clero, aut Curialibus Romanis, qui maximè idonei videntur. c. 1. & 2. dist.

2. *Dist. 84. c. decreto 2. q. 4. Silv. V. delegatus n. 16. Barb. in tt. de officio Legati.*

II. Legatorum tres species sunt. Alii de latere, alii nati, alii missi *Gloss. communiter allegata in c. 1. de off. legati & c. 1. eo. in 6. Manrique q. 29. n. 2.* Legatus à latere dicitur ille, cui à Pontifice committitur certa Provincia suo nomine gubernanda, qui propterea ordinarius Provincie nuncupatur. *c. novis. de iudic. & l. un. c. de mand. Huiusmodi legati exemplo Veterum proconsulū creantur, quos ad gubernandum provincias Romanus populus mittebat. Barb. in vol. 8. Tr. Fran. Leo in thess. fori Eccl. par. 1. c. 2. Barb. in tr. de Legatis à latere.*

III. Legati nati sunt, qui legationis titulum & officium habent vigore Dignitatum ex privilegio Apostolico induktū, cuiusmodi est Archiepiscopus Cantuariensis, & Eboracensis in Anglia. In Gallia Remensis, Bituricensis, Burdigalensis, Viennensis, & Lugdun. In Italia Pisanus. In Germania olim Magdeburgensis, nunc autem Salisburgensis. *c. 1. de off. legati Abb. n. 1. & 2. Vallens. l. 1. tit. 30. Moscon. de majest. Eccles. par. 1. c. 6.*

IV. Legati missi ordinariē non sunt Cardinales, & recepto usū Nuncii Apostolici appellantur, qualis Colonia ad Rhenū, Lucernā in Helvetia, & Bruzellis in Belgio residere solet. Quærunt aliqui, an jurisdictionem ordinariam habeant in provinciis suis? Hoc tempore illam ne quidem Cardinales legatos à latere habere. *Fran. Leo pag. 29. tradit allegando Facultates Clem. VIII. qui adhuc Cardinalis ad Regem Poloniae missus est, in quibus manifestè cavetur, ut sine præiudicio ordinariorum munere suo fungatur. At Suar. l. 4. de leg. c. 5. eos dicit habere pote-*

statem plus quàm Episcopalem & ordinariam, ut patet ex *tt. de off. legat.* quia opinio haud dubiè juri & veritati consonat quia nihil obstat, quo minus in hoc vel illo restringatur. *V. Barb. in tt. de off. leg. in it. V. Zyp in enarr. In. Can. l. 2. de of. leg.*

V. Est alia quoq; legatorum differentia. Aliqui enim simul Judices sunt alii nudum ministerium, exercent *c. Nobiliss. D. 97. Abb. in Rubr. de off. leg.* Nam duplex generatim loquendo causa mittendi est, una, ut provincie cum potestate præsit, altera ut cum Regibus & Principibus negotia tractet. *c. Legatus de offic. Legati in 6. Azor par. 11. l. 5. c. 27. q. 5.*

VI. Ne potestas Ordinariorum, & iudicia per Legatos Apostolicos turbentur, *Con. Trid. Sess. 4. c. 20.* ita statuit. Legati quoq; de latere, Nuncii, Governatores Ecclesiastici, aut alii quorumcunq; facultatum vigore non solum Episcopos in prædictis causis (ad forum Ecclesiasticū spectantibus) impedire, aut aliquo modo eorum jurisdictionem iis præripere non præsumant, sed nec etiā contra Clericos aliasq; personas Ecclesiasticas, nisi Episcopo prius requisito, eoq; negligēte procedant: alias eorum processus ordinationesve nullius momenti sint, atque ad damni satisfactionem partibus illati teneantur. Ob eandem causam de beneficiis, quorum jus conferendi litigiosum est, non potest disponere.

VII. Modum creandi legatum à latere *Clund. V. aure.* Sic describit, Pontifex Senatorem coacto inquit, an, & qui mittendi videantur. Qui nominati fuerint, exeunt, & postquam approbati sunt, revertuntur, de novo legati munere per Pontificem edocendi. Illi re cognita gratias agunt,

agunt, virium & ingenii tenuitatem excusantes: acquiescunt tamen non suo magis, quam aliorum de se iudicio confidentes. Tum pedes manusque Pontificis osculantur, ac tandem ad osculum pacis quoque admittuntur. Vbi discendi tempus advenit, in Consistorium Patres iterum conveniunt, è quo cum discedendum, Legatus à latere Pontificis exit, quem ad portam civitatis usque Patres purpurati prosequuntur, & pace vicissim gratiisque impertitis recedunt. Legatus postquam Urbis portas attigit egressurus benedictionem dat, pallio rubro induitur, crucem præferri jubet, eoque ritu proficiscitur. *Gambar. de off. Legati l. 1. c. 2. Azor. l. cit. q. 1.*

VIII. Legatus Apostolicus ingrediendo civitatem suam, non nisi via ordinaria & consueta uti debet, ne à civibus derideatur, & contemnatur. *Gambar. l. 1. tit. de potest. Legati.* Bononiæ ingressus quidam dicitur per insolitam portam, quem idcirco aversis vultibus exceperunt, nec pro Legato agnoverunt. Similiter alias cæremonias servare debet. A Clero & populo solenni processione excipiendus est. Archiepiscopi, Episcopi, & Legati minores crucem sibi præferri solitam deponunt. *c. Antiqua de privil.* Antequam hospitium subeat, Cathedralē vel primariam Ecclesiam intrat, & populo benedicit. Potestatem nullam exercet, nisi prius monstrarit, legationis officium sibi demandatum esse in ea provincia exercendum. Legatis, qui Cardinales sunt, absque literis fidem adhibendam esse aliqui putant: alii contrarium tenent: in Gallia verò obtinuit, ut potestas illorum à Senatu regio prius discutatur, quam

permittantur ea uti *Tholos. l. 15. c. 4. n. 17. Zybaus. l. 3. Responsorum §. Mandati. Responso 1.*

IX. Legati Cardinales extra Urbem utuntur insignibus, & juribus quæ ipsis tantum conveniunt, cuiusmodi est, benedictionem dare, & anteferre crucem. Insignia sunt rubri coloris habitus, frenum, & calcaria deaurata. *Abb. in c. antiqua de privil. c. Excommunicatis de off. legati §. superest n. 6. Mosconius pag. 137. Barb. de potest. Episc. par. 1. tit. 3. c. 1.*

X. Quod potestatem Legatorum attinet 1. Statuta perpetua facere possunt, non secus atque Episcopi Ordinationes Synodales. 2. Similiter perpetuæ erunt Indulgentiæ, quas dederint. 3. Legatus à latere absolvere potest ab excommunicatione propter injectionem manuum in Clericum: ab aliis quoque nisi expresse additum sit, à nemine, quam Papa absolvi posse. Aliis Legatis id minimè licet. *c. 3. & 4. de off. Legati.* 4. Legatus pro pluribus locis, seu provinciis, in quolibet loco illarum exercere potestatem suam potest, & unius provinciæ negotia in alia expedire propter connexionem territorii. *c. Novit. ille 7. de off. leg. 5.* Legatus à latere conferre potest beneficia Ecclesiastica. *c. dilectus filius eo. tr.* Eadem beneficia sibi reservare potest: neque opus est consensu Episcopi aut patroni. Excipe beneficia, quæ ad Episcopum ut delegatum spectant. 6. Legato à latere præsentē minor legatus v. g. Provinciæ officium suum exercere non potest. *c. volentes 8. de off. leg. Az. 11. l. 5. c. 28. Selva. par. 4. q. 9. tr. de benef.*

XI. An possit Legatus in provincia sua Indulgentias concedere multi dubitant: *Suarinus IV. disp. 55. si fin. rem incertam esse pronuntiant.*

pronunciat, & praxin consulendam esse. *Fran. Leo in thes. so. Eccl. l. 1. c. 7. n. 18.* absolute affirmat Indulgentias à Legatis dari intra fines suæ legationis. Addit tamen, limitatam esse potestatem, ut non possit, nisi 40. dierum concedere, & annum in Dedicatione Ecclesiæ: quâ in re Episcopis æquiparantur. *Rodericus par. 2. q. 98 a. 2.* cum Gambaro docet restitutio- nem ad 40. dies factam à *Concil. Later. IV.* non pertinere ad Legatos: adeoque majores Indulgentias concedere posse. Præsumitur enim, quod quæ sunt immédia pars Apostolicæ Sedis, futurum, ut non excedant in dispensatione thesauri Ecclesiastici. *Azor. II. l. 5. c. 32. Bellarm. l. 1. de indulg. c. 11.*

XII. Ad Judicium Legati omnes causæ pertinent, quæ Ecclesiastici fori sunt, sive sacræ illæ sive profanæ reputentur: nec opus ubique, & semper consuetam judicii formam observare. De plano, simpliciter, & summarie cognoscere, ac judicare potest. *Gambar. de immun. Eccl. l. 6. c. 11. Azor II. l. 5. c. 31. Piascius par. 2. c. 5. pag. 385.*

XIII. Legatum Apostolicum dispensare posse in gradibus consanguinitatis, & affinitatis Jure Canonico tantum prohibitis. *Gofredus affirmat, teste Gambaro de off. legati l. 7. n. 375. & seq. quia in c. quod dilectio de consang. & affin. dicitur, legatum dispensasse cum quibusdam in sexto gradu, qui tunc prohibitus erat, sicuti nunc quartus. Sed alii DD. communiter negant, id posse Legatum, quam senten-*

tiam tenendam esse pronunciat *Azor. tom. II. l. 5. c. 30 q. 15. addit, causam Sanchez. l. 8. disp. 6 n. 15.* quia Legatus etiam à latere circa dispensationes ea potest solùm in provinciâ sibi commissâ, quæ potest Episcopus in suâ diocesi, quemadmodum docet *Glossa c. quia circa. V. à Sede & c. quod dilectio V. Indulgentiam de consangv. & alii multi citari ibidem.* Idem Legati tamen intra fines provinciæ sibi commendatæ facultatem dare possunt, eò modo, quo Ordinarius quilibet, alicui Sacerdoti ut assistat matrimonium contrahentibus, ut ratum & validum sit. *Con. Trid. sess. 24. de ref. Marim. in remiss. pag. 366.* De dispensatione cum Spuriis ad ordines & beneficia Ecclesiastica legi potest. *Azor. II. l. 5. c. 30.*

XIV. Legatorum officium quatuor modis terminatur. *Primo* revocatione ultroneâ Summi Pontificis. *Secundo* tempore, pro quo missus erat, finito. *Tertio* re expedita. *Quarto* morte legati Jurisdictionem ipsius cessare ab ipso die revocationis, quamvis id Legatus ignorat. *Felinus tradit c. ex parte de rescriptis. num. 12. Ost. & Gofr. in Summa eo. 11. Gambar. de offic. Legati à lat. l. 5. pag. 278.*

*
*

TITULUS XII.

De Congregationibus Cardinalium.

Plures sunt Romæ Congregationes sub cura Cardinalium, & gubernatione pro rerum & causarum magnitudine, ac multitudine.

Prima Congregatio est sancti Officii, seu Inquisitionis contra hæreticos, quæ bis qualibet hebdomada ad deliberandum cogitur, nimirum Feria quarta coram Seniore ejus Congregationis: feria quinta autem coram ipso Summo Pontifice. Plures in ea Officiales serviunt. Exosa hæreticis & Libertinis Congregatio, ut quæ fidei simul vindex & errorum sit. Instituta est à Paulo III. & confirmata à Sixto V. V. Barb. Collect. Decision. Apostol. pag. 156.

Secunda Congregatio pro Episcopis, & Regularibus constituta est. Inter hos si quid de jurisdictione, diœcesi, finibus, aliisque controversum fuerit, adjudicatur. Singulis hebdomadis conveniunt. Præses sacri Collegii Decanus esse solet.

Tertia Congregatio sanctiones, & Decreta Conc. Trid. interpretatur. Conveniunt apud Seniores Cardinalium, feria quinta, vel Sabbato.

Quarta Congregatio Rituum vocatur, quia de moribus Ecclesiæ judicat. Ad canonizationem Sanctorum pertinentia eò referuntur. Semel in mense cogitur, nisi extra ordinem evenerit quicquam. Tunc enim congregantur pro præsentis necessitate in palatio præsidis.

Quinta Congregatio fabricæ S. Petri dicitur, quod piarum largitionum curam

habeat è quibus decerptam portiunculam Ecclesiæ S. Petri attribuit, ut absolvetur inceptum opus. Apud Præsidem semel qualibet hebdomada conveniunt.

Sexta Congregatio fluviorum pontium, & his similibus curam gerit, ut conserventur & reparentur. Pro occurrenti necessitate consilia ineunt. Certus ad deliberandum dies minimè constitutus est.

Septima Congregatio non multum diversa fontes & compita curat. Caput illius Sacellanus major est, qui cum res urget ad consultandum collegas evocat.

Octava Congregatio Indicis librorum est, quia examen, approbationem, & reprobationem scriptorum sibi commendatam habet. Arbitrio præsidis, cum necessarium videtur, conveniunt.

Nona Congregatio Cardinalem nepotem præsidem habet. Feria secunda, & sexta celebratur. Argumentum iudicii est, quicquid ad Ecclesiæ statum pertinet. Quatuor aut sex Cardinales: sex vel octo Prælati cum Secretario Senatum faciunt. Habitu violacei coloris utuntur, & familiares seu commensales Papæ vocantur.

Decima Congregatio eodem, quo prior capite regitur. De bono regimine consultat, querelas subditorum, qui forte premuntur, auscultat, resolutiones, & provisiones supremam cum potestate facit. Apud Cardinalem nepotem, qui præsit, conveniunt.

Vndecima Congregatio rem nummariam curam

curando fraudes à Rep. & statu Ecclesiastico depellit, iustitiam in lubricis pecuniae commercii tuetur. Non certo tempore, sed pro necessitate conveniunt. Quatuor Cardinales, & ex Camera Prælati quidam eo pertinent.

Duodecima Congregatio Episcoporum vocatur. In eâ quorundam Religiosorum ordinum Patres, octo vel decem Cardinales, aliive Prælati conspiciuntur. Quibus ipse præest Summus Pontifex. De Episcopis in Italia constituendis agitur. Examine prævio doctrina & virtus exploratur. Clemens VIII. fuisse auctor perhibetur examinare per seipsum solitus, eos cum primis, qui scientiam legalem profiterentur.

Decima tertia Congregatio iis potissimum negotiis occupatur, quæ ad Consistoriû pertinent. Cardinalium Decanus præest, nullâ lege, præterquam necessitatis conveniunt, ideoque rarus. Quæ sua Sanctitas proponit, ibi deciduntur, cujusmodi sunt renunciatio Episcopi, fructuum Ecclesie, Abbatia consistoriales, & his affinia. In palatio præsidis ad deliberandum congregantur. Interfunt prædictis Congregationibus plures Cardinales, illi potissimum, quæ Episcoporum & Regularium dicitur, ubi viginti quatuor inveniuntur. Suum quæque Secretarium habet, qui acta excipiat. Literas Præses consignat. Literarum apographa Secretarius in Codicem relata conservat. His addenda est *Congregatio de propagandâ fide à Gregor. V.* instituta eo fine, ut media congrua inquirat, impedimenta omnia, & obstacula removeat, fidei ac doctrinæ Christianæ amplificandæ. Quolibet mense festiva secunda coram Summo Pont. habe-

tur; sæpius verò in palatio ad id constructo. Ex Cardinalibus plures interfunt, cum Protonotario, Secretario status, & Judice, qui solet esse de numero Referendariorum sancti Officii, ejusdemq; Congregationis Secretarius. Extractum recentest in campo SS. Trinit. de monte amplissimum palatium pro illis recipiendis, qui ad fidem conversi pietatis causa in Urbem veniunt. Eodem divertunt Sacerdotes, & Episcopi pauperes, quibus omnibus, quæ ad victum necessaria sunt, largè suppeditantur. Habet præterea Congregatio peculiarem officinam typographicam pro imprimendis Missalibus, Breviariis, aliisque ad fidei Catholicæ doctrinam spectantibus libris. Anno ab hinc tertio præerat Antonius Cardinalis Barberinus. Quando indictum Consistoriû est, alia Congregatio nulla habetur etiam si à Cardinali præside indicta sit. A prandio tamen, quæ omissa manet, celebratur. Præter hæc omnia tres Archipresbyteri sunt, videl. S. Joan. Lateran. S. Petri, & S. Mariæ majoris, quorum magna dignitas, & potestas Vicarium designant, ex Episcopis, qui reditus ex presbyteratu capit, vel titulo Canonicali. Beneficia omnia ipsi conferunt, Canonicalibus exceptis. Præterea Archipresbyter S. Joan. Later. juridicundo præest, criminali, & civili eorum omnium, qui circa Lateranum habitant. Tempore Jubilæi Portâ sanctam solenni ritu aperiunt. At Decanus Cardinaliû eâ, quæ S. Pauli est, aperit: & quibus cæremoniis aperiunt primò iisdem suo tempore claudunt. *Claud. Vaure in Curia Romanâ c. 25. V. Barb. collect. Decision. Apostolicar. collectione 210. & seq. Relazione della Corte Romana di Girolamo Lunadoro.*

TITULUS XIII.

De Rotâ Romanâ, & Consistorio.

Congregationes quæ à Cardinalibus constituuntur, vel reguntur, proxima dignitate, & auctoritate ROTA sequitur, quæ nihil aliud, quàm Senatus, aut Concilium duodecim Prælati constans, quorum aliqui Itali, & Galli, alii Hispani, & Germani. Quatuor Notarios singuli Auditores habent. Feria secunda, & sexta congregantur, excepto Vacationum tempore. Causæ beneficiorum omnes & profanæ ibi aguntur. Initium vacandi prima Julii hebdomada est. Post ultimam Sessionem in palatio Apostolico Officiales omnes Rotæ à Summo Pontifice ad epulum invitantur. Singulis præterea centum aurei dantur; Decano alterum tantum: qui mos à *Clemente VIII. capit.* Kalendis Octobris ad institutum redeunt, ubi postremi Auditores duo mulis vecti ad Curiam tendunt pluribus equis comitati, eo servato ordine, ut primi Auditores incedant, equites sequantur, idq; propterea, ne cum Cardinalibus eundem statum habere videantur. Cardinales enim postremo loco vehuntur. Officium Auditoris annuè mille scuta numerat. Postremus Auditorum habita oratione initium dat consiliis, & Congregationi deinceps habenda. Ita *Claud. Vaure. Barb. Vor. Decis. 11. p. 64.* De eodem Senatu agens *Azor. II. l. 5. c. 41.* Causas inquit ex toto orbe allatas Summus Pontifex per viros utriusq;

juris peritos expedire solet: qui quoniam in Capella Pontificia illi assistebant, Capellani Summi Pontificis olim dicebantur, & Auditores sacri Palatii. Hodie Auditores Rotæ vocantur, quod in orbem sedentes controversias, & causas examinent. In hoc Auditorio cuncta juxta doctrinam, prudentiam, & æquitatem definiuntur. Sunt Auditores duodecim. Ad hunc enim numerum eos *Sixtus IV.* reduxit. Et de Judices delegatos censet *Archid. in c. experientia 11. q. 1. Bartol.* vero habere jurisdictionem ordinariam. *l. precipimus §. a. c. de appell.*

De Consistorio Romano.

PRO Consistorio aulæ duæ sunt in Palatio Apostolico, S. Petri, quarum *Prima* amplissima, ubi Consistorium publicum habetur, Legati Regum, & Principum excipiuntur. *Secunda* pro Legatis Principum est, & rerum publ. quando gratulaturi Summo Pontifici, vel exhibituri obsequium veniunt. Item pro publicatione Cardinalium; pro Legatis Apostolicis quando reversi sunt, pro novis Cardinalibus ad Curiam venientibus. Ibidem causæ aguntur ad Consistorium pertinentes. In fronte thronus eminent quatuor graduum altitudine, ubi scabellum aureo peristromate vestitum. Ad dextrum latus Cardinales episcopi & presbyteri confident, ad sinistram Diaconi. Sedilia circum circa

circa rubro purpurant. Pontifex ad Con-
sistorium vadit amictu Pontificali, ante
illum ciux, & Cardinales. Pontifici post-
quam de more reverentiam fecere Car-
dinales, suo quisque loco residet. Archie-
piscopi, episcopi, Protonotarij, & Præla-
ti omnes in tribus gradibus solij pontifi-
calis sedent cum Auditoribus Rotæ, ele-
cticis Cameræ, & acoluthis cappâ laneâ
vestitis. In imo reliqui aulici, Camerarii,
& Secretarii. Ad latus Pontificis nepotes
in Consistorio locantur: qui honor aliis
quoque magni nominis Principibus de-
fertur. Legatis Regum à dextra locus est:
familiaribus Papæ, & nobilibus à sinistra,
sed intra solium, & murum. Post Cardi-
nales presbyteros & Diaconos Advocati
Consistoriales locum habent. Post
Cardinales Episcopos Procuratores Re-
gum, Principum, & Ordinum cum pro-
curatore fiscali, qui inter Procuratores
primum locum obtinet. Clerici cæremoni-
arum ante Cardinales Diaconos iuxta
Papam sedent, ut ad mandata prompti
sint. Magistri sacri Palatij locus infra
Cardinales presbyteros est.

Quando Consistorium habetur pro
causis audiendis Advocati proponunt li-
tem, & supplicationem suam conijciunt
in manus Curialium, qui humi confident:
illi de manu in manum promovent, do-
nec ad Vice-Cancellarium ipsum defera-

tur. Si quis contradicere supplicanti ve-
lit, permittitur: quo facto, siquidem vi-
detur congruum, Pontifex responderet.
Placet, absolute, vel limitatione. Eam de-
cisionem recipiens Vice-Cancellarius
supplicationem manu propria consignat,
& refertur in Codicem, seu Registrum
mandat.

Consistorium, quod *Secretum* vocant,
in aula minùs publica celebratur. Sedes
Pontificis ibi duobus gradibus altior non
est sedilibus Cardinalium, quæ aulæis va-
cua solo colore rubent additis Papæ in-
signibus. Solius Pontificis aureo peristro-
mate tegitur. Qui postremo loco inter
Cardinales Diaconos sedet, campanula
vocat eos, quorum opera necessaria est.
Cum nominandi, aut designandi Cardi-
nales, & Prælati sunt, Pontifex mitratus
ingreditur, aliàs in consuetâ togâ & pa-
ruo capuccio. Hodie vix unquam cum
cappa, & mitrâ apparet, nisi fortè post e-
lectionem suam. In Consistorium *Secre-
tum* præter Cardinales nemo admittitur
exceptis duobus Secretariis, qui ad por-
tam præstolantur. Causam Pontifex pro-
ponit, collectisque Cardinalium
suffragiis ex pluralitate definit.

Claud. Vauve. Archontologia Gotofredi

pag. 27.

TITULUS XIV.

De Summo Pontifice.

I. **S**uppono Vicarium à Christo Ecclesie suae relictum esse cum amplissima potestate, qui supremus Pastor, Iudex, & caput omnium credentium esset: quod tota antiquitas, & Sancti omnes agnoverunt, adeoque diversis titulis ac nominibus summam potestatem indicantibus honorarunt. Illorum.

Primum est Papæ, seu Patris, communis videlicet omnium Christi fidelium. Nam quando absolute ponitur, aut pronūciatur, de solo Urbis Romæ Episcopo seu Pontifice intelligitur *Conc. Chalced. act. 16. Liberati Breviarium c. 22. Conc. secundum apud Theodoretum l. 5. c. 10. Epist. Chalced. Concil. ad Leonem.*

Secundum, Pater patrum, quod Stephanus Archiepiscopus Carthag. Damaso Pontifici tribuit in epist. trium Concil. Africæ nomine scripta. Aliqui alii tamen eodem nomine honorati fuisse videntur.

Tertium est Pontifex Christianorum. *Eusebii Chron. Anno 44. aut Magister mundi Corn. Mussus in Conc. de cath. Petri.*

Quartum. Summus Pontifex, quo vitur præter Stephanum supra citatum. *Greg. M. l. 1. c. 4. Dialog. B. Anselmus in prof. libri de incarn. Verbi & B. Bernardus in omnibus epistolis ad Romanos Pontifices.*

Quintum, Princeps Sacerdotum. Legi-

tur in ep. *Valentiniani ad Theodosium Concilio Chalced. præfixa. Prosper l. 1. de vocat. Gent. c. 6.*

Sextum Vicarius Christi. *S. Bern. l. 2. de Consid. Conc. Lugdun. sub Gregorio X. relat. in c. Vbi periculum de ele in 6.*

Septimum. Caput Ecclesie. *Conc. Chalced. in ep. ad Leonem. act. 1. eiusdem Concilii Ecclesia Romana omnium ecclesiarum mater appellatur.*

Octavum. Fundamentum. *Hieron. in ep. ad Damasum de nomine hypostasis, super hanc, inquit, Petram (Damasum) ædificatam ecclesiam scio.*

Nonum. Pastor ovilis Dominici. *Ambros. ep. 81. ad Siricum Papam. Recognovimus, ait, quam fideliter tibi commissam ianuam serves, & pia sollicitudine Christi ovile custodias.*

Decimum. Rector domus Dei. *S. Amb. in ep. 1. Tim. 3. Domus Dei est ecclesia, cuius hodie rector est Damasus.*

Undecimum. Custos Vineæ. *Conc. Chalced. in ep. ad Leonem. Contra ipsum cui Vineæ custodia à Salvatore commissa est, id est, contra tuam Apostolicam sanctitatem extendit insaniam.*

Duodecimum Pater & Doctor omnium Christianorum. *Conc. Flor. sess. ult. simili modo Romana Ecclesia mater & magistra omnium ecclesiarum appellatur. Conc. Lateran. sub Innoc. III. c. 5.*

Decimum tertium Sponsus Ecclesie, quo

quo appellatur Papa in Conc. Lugd. Generali. c. *Vbi periculum de ele. in 6.*

Decimum quartum Apostolicæ Sedis præful, intellige per Antonomasiam. Cum enim absolute, & nullo addito ponitur, de sola Romana intelligitur. *S. Aug. in ep. 106.*

Decimum quintum Episcopus Universalis. *Conc. Chalced. act. 3.* in tribus epist. diversorum Græcorum ad Leonem Papam, quæ incipiunt, Sanctissimo & beatissimo Universali Archiepiscopo, & Patriarchæ magnæ Romæ Leoni. Cæterùm Episcopus universalis nuncupatur, non quod solus omnium urbium & ecclesiarum Episcopus sit, sed quia totius ecclesiæ generalem curam gerit quod pro diluenda hæreticorum calumnia servit. *Bellarmin. l. 2. de Pont. c. 31. & l. 1. de offic. Princ. Christ. c. 4. Tuschus Conclus. 40. Barb. in Proæm. Decretalium.*

II Præter hæc aliqua summo Pontifici tribuuntur, quæ ab hæreticis videntur, & Catholicos quoque offendere possunt, nisi cum grano salis accipiantur. Exempli causa 1. quod Papa sit contra Ius, supra Ius, & extra Ius. 2. quod habeat idem cum Deo consistorium. 3. quod data illi sit omnis potestas in celo in terra. 4. quod sit Deus *Dist. 96. c. Satis 5.* quod mutare possit formam Sacramentorum, ut tribuitur Archidiacono. 6. quod possit ea in terris, quæ Deus in cælis. 7. quod nulli sit par. Hos titulos superbiæ vocat *Calu. l. 4. Inst. c. 7. num 3.* addens, quàm diu duravit Ecclesiæ vera, & pura facies, ista omnia superbiæ nomina, quibus inolescere cœpit Romana Sedes, profus fuisse inaudita. Cui repono, calumnias ipsius, & aliorum hæreticorum contra Ecclesiam Ro-

manam, illo Veterum tempore etiam inauditas fuisse. *Lucas Osiander in Euchir. Controv. c. 8.* cum supra dicta encomia retulisset, interrogat. Cur Papa has adulationes non damnat, cur non inibet, cur non anathemate ferit? Ut igitur Herodes non reiiciens impias Vulgi acclamationes, illarum blasphemiarum coram Deo reus factus est, & miserrime petiit, sic Papa non damnans istas Canonistarum impias adulationes easdem approbat, & æternæ damnationis reus est. *Sic Osiander.* Ex quo vicissim quærere lubet. Cur ipse & tota Lutheranorum Synagoga non damnant, non reiiciunt, non anathemate feriunt blasphema encomia, quæ *Luthero* à quibusdam evangelicis Gnathotibus tribuuntur, appellantibus verum Eliam, Apostolum, Evangelistam, DEI electam organum, Angelam testamenti, & sim. Nunquid quia approbant, cum eisdem rei fiunt, & æternum cruciabantur? Ad rem verò quod attinet, qui Pontifici tam amplos titulos tribuunt, certo quodam sensu utuntur, qui id, quod durius sonare videtur, facile mitigat. Nomen Deitatis offendit? Illud Christi attende. *Ioann. 10. Ego dixi Dei estis.* Si quilibet fidelis divinitatis nomine honoratur, quid etiamis est, quod Constantinus Imperator Papam Deum appellavit? *Damouhouder. in Promptuario, in expos. Primæ præc. p. 43. Becan. de priv. Calvinist. n. 10.*

III. Præclarè *Ferdinandus ab Efferen* in *Manuali polist. l. 4. Puncto 2.* proposita quæstione de iurisd. Summi Pont. In hac quæstione, inquit, duplex error emergit; alter in excessu adulatorum, alter in defectu invidorum & malignantium. Illi potestatem summi Pontifi-

Pontificis extollunt super omnia humana, ut in Reges, Principes, & universos subditos absolutum à Christo habeat imperium: huiusmodi malitiosè deprimunt, ut nec supremam Spiritualem, nec ullo modo temporalem iurisdictionem agnoscant. Ut faciliter decido, adit Doctorem Ecclesie distinctio, qui docent, summum Pontificem non esse Deum, sed Vicarium Dei in terris, & successorem D. Petri: habere à Deo supernaturaliter potestatem ordinis, & iurisdictionis in regimine ecclesie militantis: habere etiam per assignationem Dei decimas frugum, & per donationem Principum sæculatium provincias, feuda, civitates, bona, & hereditates diversas, immunitates & privilegia, ut in tanta sublimitate secundum leges politicas statui suo cum honore præesse & ab iniuriis defendere possit. Qui plura volet, consulat Ecclesie Catholice Theologos, & hauriet sufficientissimam intelligentiam. Ita *Ferdin. ab Efferen. V. Baron. in Not. Martyrol. ad diem 9. April. Templo Iud. l. 2. c. 1. Moscon. l. 1. c. 1. Fr. Leo l. 1. c. 1. Bellarm. de Pont. l. 2. c. 31. Valent. in Anal. Fidei l. 7. c. 11. Lorich. in thesan. V. Papa. pag 1489. Becan. Opusc. de Pont. V. T.*

§. I.

De electione summi Pontificis.

I. **P**ETRUM sibi successorem nominasse Clementem testatur *Epiphanius heresi vigesima septima*, qui tamen non acceptavit usque post Lini, & Cleti obitum. Unde colligi videtur nulla electione opus esse, nisi fortè antecessor nullum no-

minarit. Verum Ecclesie praxis contrarium docet, secundum quam huc usque electi Pontifices fuerunt, *V. Barb. in c. si Petrus. 8. q. 1.* sed non una forma, modoque, ut accuratè declarat *Card. Bellarm. l. 1. de Cler. c. 7.* Apostolorum, inquit temporibus in scio populo Pastores eligebantur: deinde adhibitus est populus ad testimonium ferendum de eligendis, usque magis diligenter suos Pastores, non nisi quos voluissent, ordinati sunt. Tandem in quibusdam locis obtinuit, ut jus Suffragii usurparet sibi. At postquam apparuit confusio, sublatà electione & Suffragio remansit solum ius testimonii ferendi. Accidit deinde, ut propter hostes suos patrocinio Imperatorum Ecclesia indigeret: quocirca permissum est Imperatoribus, ut cum clero summum Pontificem nominarent. Constat Iustinianum Seniore nonuisse creati Pontificem sine approbatione sua, quod servatum est usque ad Constantinum IV. qui iuri prædecessorum suorum cessit, teste *Platina Adrianus 1. idem ius Carolo Magno tribuit, & Leo VIII. Ottoni primo*, ut liquet ex *c. Adrianus D. 63. & Can. in Synodo.* Cui iuri mox renunciavit *Ludovicus Caroli M. filius. & Otto ipse c. Ego Ludovicus D. 63. & c. Constitutio ead. dist. Bellarm. in Apolog. con. Reg. Angl. c. 6.* His politis dubium est, quis modus eligendi Pontificem optimus videatur?

II. Modus eligendi Pontificem per solos S. R. E. Cardinales optimus videtur, ut patet consideranti omnes modos electionis possibiles. Vel enim eligit tota Ecclesia, quod impossibile est, vel soli & omnes Clerici, quod etiam impossibile, & multò minùs de laicis dici potest, vel aliqui

aliqui ex Clero, & aliqui ex populo, & fiet ingens confusio. Vel denique Imperatori, ut olim, relinquatur, quod tam est inconueniens, quam si Imperatoris electio Clericis committeretur. Superest igitur supremus Ecclesie Senatus ex omni gente & natione delectus, qui quod Ecclesie statum optimè norint, scire possunt, quæ personæ aptiores sint. Accedit ad confirmationem experientia. Etenim ab Anno millesimo centesimo septuagesimo nono usque huc omnes Pontifices à Solis Cardinalibus electi sunt iuxta Decretum Alexandri III. promulgatum in *Conc. Lateran.* ut habetur in *c. Licet de elect.* ex quo simul colligitur, antè id tempus à Cardinalibus factam electionem esse, quia tantum determinat, duas Cardinalium partes requiri & sufficere, ut qui sic electus fuerit, legitimus Pontifex habeatur. *V. Barb. de potest. Episc. Par. 1. tit. 1. c. 1. n. 12. Baron. An. 526. 555. & alibi. Tholos. l. 15. c. 3.*

III. Si, quod fieri non repugnat, vel prædictus modus mutaretur, vel Cardinalium Collegium omnino periret, ius electionis vel ad Concilium generale, vel ad Clerum Romanum, & vicinos episcopos, aliis non contradicentibus devolueretur. De Concilio generali manifestum est, quia totam Ecclesiam representat. Posset igitur congregari tunc &, vel ab illo eligi Pontifex, vel committi certis personis: non nisi Romano Clero, & vicinis episcopis putat committendam *Bellarminus*, tum quia ab iisdem ad Cardinales translatum ius est, tum quia antiquissima consuetudo habet, ut episcopum tam Romanum, quam alios eligant episcopi vicini. Nec unquam auditum est, quod

Archiepiscopi, & episcopi totius orbis convenirent ad electionem summi Pontificis, nisi in casu, quo dubitatur, quinam sint legitimi electi. Hoc enim dubium à Concilio generali explicandum est, ut factum in *Conc. Constantensi. V. Anton. Peregrinum l. 1. de iuribus Episc. pag. 19. Az. 11. l. 4. c. 2. Q. 11.*

IV. Cæterum Pontificis maximi electio quatuor modis institui potest, quorum primus est per viam Spiritus sancti. Secundus per Compromissum. Tertius per scrutinium. Quartus denique per accessum. Electio per viam Spiritus sancti facta dicitur, quando is, qui à Decano sacri Senatus primò rogatus sententiam, se prætermittis omnibus aliis NN. ob singularem virtutem, & prudentiam dignum iudicare summo Pontificatu dicit, & maior pars electorum, id est, ex tribus partibus duæ mox assentiuntur. Compromissum est, quando tribus ex omni numero potestas sit deligendi Pontificem: quibus integrum est vel ex suo numero unum vel quemlibet alium nominare. Illorum potestas ad certi extinctionem usque durat: quo facto mortua ipsorum vox censetur pro electione præsentis, & scripto comprehensa servatur. Scrutinij praxis usitatior est, cuius hic modus In Scheda singuli eius, quem eligunt, nomen scribunt. Decanus Sacri Collegii primus ante arata prostratus divinum auxilium brevi oratione implorat, tum electionis Schedam in calicem altari impositum mittit, quem detegit primus ex Diaconis Cardinalibus ac claudit, singulis per ordinem importantibus suffragium suum. Datis hoc modo sententiis ad dextram altaris recipiunt se. Porro plurtium aliquando

Y nomina

nomina inscribuntur, qui Pontificatu digni videantur, ita ut non tam electio, quam propositio videatur. Absentium nomina extrinsecus scribuntur, intus verò presentium.

His ita peractis, suo quisque loco residet habens ante se atramentum, & calamum, omniumque Cardinalium nomina ordine descripta sine titulis, & qualitatibus. At primus Cardinalium episcoporum, & primus Cardinalium Diaconorum calicem aperit, Schedas fortuito extrahunt, quas primus Cardinalium Diaconorum dum legit, reliqui omnes notam apponunt ei, qui promulgatur. Perlectis omnibus in totumque numero, qui superat, electus legitime sentetur, & clara voce promulgatur. Cum paria suffragia sunt, per accessum electio tentatur, quo etiam deficiente receditur, quasi re infecta. Neque enim nisi unum Scrutinium pro die admittitur. Sequenti die ad electionem redeunt servatis eisdem ritibus. Si trinis vicibus non absolvant, subtractione cibi puniuntur. Si contingat unius alicuius suffragium deesse, & per accessum supplere velit, accedens ad electum dicit *Ego accedo ad Reverendissimum Dominum meum, N. cum quo facio Papam.* quo facto sacri Collegii Decanus eligit eundem, & consentum ipsius requirit. Obtenuto illo congratulatio fit, & ad thronum deducitur, annulo piscatoris ornatur, nomen exquiritur: ac tandem ea, quæ à Cardinalibus ante electionem decreta sunt, confirmat, & obsignat. *Azor Par. II. l. 4. c. 5. Q. 11.*

V. Pontifex electus, si episcopus non sit, à Cardinale Ostiensi consecratur, si

verò Episcopus sit, alia consecratione non indiget, sed maiorem iurisdictionem recipit. Quod insignia atinet, baculo non utitur. *Extra c. Vn. de sacra unct.* tum propter historiam, tum propter mysticam significationem. Propter historiam S. Mattialis, vel Materni, inquam, ad quem resuscitandum S. Petrus baculum misisse creditur, quem non relatum, sed Trevini asservatum tradunt. Mystica significatio in eo consistit, quòd baculus significat potentiam ab aliquo acceptam, & necessitatem attrahendi oves, vel subditos. Ideò enim curvus superòs est. Pontifex autem, neque ab alio præterquam Deo potestatem accipit, neque attractionis opus habet, quia omnia illi subiecta sunt. Aliquando mitram fert, aliquando Coronam, quæ triplex, & regnum vocari solet in signum imperii, seu potestatis, ut *Innoc. III. ait in Serm. 1. De festo S. Silvestri,* cui *Constantinus* Imperator coronam ex auro, & gemmis pretiosissimis obtulit. Decretum Constantini extat apud *Leonem IX. in libro adversus presumptiones Michaelis c. 13. & in Actis B. Silvestri.* Dicunt aliqui, à Papa coronam triplicem gestari, ut cognoscant omnes, illum habere potestatem in superos, medios, & inferos, Cælum, Mundum, & Tartarum: quòd cum gratio salis accipiendum, nè piorum aures offendat. Superos honorat, declarando beatos, & canonizando: constitutos in Purgatorio iuvat per indulgentias, & suffragia: eorum, qui adhuc in via sunt, propriè Pastor, & Iudex est. Triplex igitur ei potestas competit, Ordinis, iurisdictionis spiritualis, & iurisdictionis temporalis.

poralls, cuius rei Symbolum ut triplex corona dicatur, nihil alienum est. *V. Durantum l. 2. c. 9 n. 36. Ioseph. Stephanum de coron. Pontif.*

VI. Pontifex legitime electus non indiget confirmatione aliqua, quia Superiorem inter homines non agnoscit, sed potestatem suam à DEO immediatè accipit. Potestatem seu iurisdictionem ecclesiasticam dico, quam qui omnibus Episcopis immediatè à Christo communicari sentiunt, à fortiori de summo Pastore, & Episcopo concedent, nisi iidem testimoniis, quibus S. Petri confirmatur auctoritas. *Matth. 16. Tibi dabo claves regni caelorum. Ioan. 21. Pasce oves meas.* Nam si successoris pars iurisdictionis, & auctoritas est, sequitur, eandem Petri, & Pontificis potestatem esse, & à Christo immediatè communicari. Cuius rei figura in Moyse fuit, quem Deus ipse ordinavit duce[m] populi: cumque non sufficeret tantæ multitudini 70. seniores additi sunt, quibus ex Spiritu Moysis Deus tribuit virtutem, non quod minueret in Moyse illam, sed ut ostenderet, in illo plenitudinem potestatis tanquam supremo capite residere, aliis inde partem esse attributam: quod nunc etiam in episcopis contingit, qui à summo Pontifice accipiunt potestatem suam, ut pluribus explicat *Card. Bellarm. l. 4. de Pont. c. 24. Thom. Bozius l. 18 c. 6. Barb. in cap. In nomine Domini Dist. 23. Et de potest. Episc. Par. 1. tit. 1. c. 1. Azor II. l. 30. c. 3. Q. 13. Piafec. par. 2. c. 1.*

VII. Contra Pontificem electum excipi potest crimen hæresis, si notorium sit. Ita colligimus ex *c. si Papa Dist. 40. Constituit. Insi II. in Conc. Lateran. Sess. 5.*

Cum iam divino &c. Item Reg. Iur. 71. in 6. Qui ad agendum admittitur, est ad excipiendum multò magis admittendus. Adde rationem. Pontifex in manifesta hæresi deprehensus ab Ecclesia, seu Concilio Generali aculari, & damnari potest, vel, ut quorundam opinio est; minimum declarari potest, hæreticus, & incapax summi Pontificatus. Ergò multò magis in electione contra illum excipere licet, si manifestus hæreticus sit. *Abb. Gofr. Francus in c. Licet de elect. Moscon. l. 1. p. 1. c. 2. Azor II. l. 4. c. 5. Q. 7. Barb. Collect. Decis. Apost. num. 131. Silo. num. 4.*

Aliorum criminum alia ratio est. Inficiunt, non abiiciunt. Quamobrem si Simonia, luxuria, crudelitate, aut alio simili morbo laboret Pontifex, orationibus apud DEUM primò iuvandus erit: monendus deinde ut in viam redeat, & mores officio suo dignos induat. Denique, si contumax appareat, Concilio indicto de corrigendo, vel tollendo agendum erit. *Silo. V. Papan 4. Bellar. l. 2. de Conc. c. 18. & 19. Anton. Peregrin. l. 1. de iur. Fiscip. 20. Barb. in c. si Papa D. 40. Azor II. l. 4. c. 7. Q. 4. dicens communem sententiam esse & omninò tenendam.*

VIII. Pontifici licet renunciare & abdicare se Pontificatu. *c. 1. de renunc. in 6. ubi Bonifacius VIII. ait Celestinus Papa V. statuit & delevit, Romanum Pontificem posse liberè resignare.* Quod statutum ne per temporis cursum oblivioni detur, aut dubitari iterum contingat, inter Constitutiones alias ad perpetuam memoriam duximus redigendum. Causa resignandi potest esse, impotentia virium, & insufficientia ipsi

maximè perspecta, vel etiam solitudinis, & tranquillioris vitæ amor. Vnde legimus, quatuor PP. resignasse, Clementem I. Cyriacum Marcellinum & Cælestinum V. licet non ex iisdem causis quemadmodum *Azor declarat t. 2. l. 4. c. 6. Comitof. l. 1. Q. 100.* At cui resignabit, inquis? Respondent aliqui in manus Cardinalium resignare, quia illorum suffragiis electus est: sed hi ipsius Pontificis superiores non sunt. In manibus Dei, alii dicunt, à quo immediatè accipit potestatem. Melius dicitur. Vbi superior non est, renunciationem nullius in manus fieri: & sufficere, si summus Pontifex potestatem, & iurisdictionem suam dimittat, declarando, vel coram Cardinalibus, vel aliis fide dignis testibus, se deinceps uti potestate sua nolle, eamque hic, & nunc relinquere, & abdicare. *Silo. n. 3. Pelagius de plan. eccl. l. 1. c. 18. Azor l. cit. Vivian in Ration. l. 1 p. 264. Alagona Comp. p. 91. Barb. in c. 1. de renunc. in 6. Comitof. l. 1. Q. 100. Lancel. l. 1. tr. 19 Moscon. l. 1. par. 1. c. 2. Anto. Peregrinus de iure Fisci l. 1. p. 35. Tuschus Conclus. 48. Alexand. Consil. 224. l. 6. Zabbar. Consil. 150.*

§. II.

De potestate Spirituali Pontificis.

Iosephus Stevanus *l. de adoratione pedum c. 8.* summo Pontifici convenire tradit sequentia.

1. Quòd solus possit deponere episcopos, & reconciliare.
2. Quòd absentes deponere possit.
3. Quòd Legatus illius omnibus Episcopis præsit in Concilio.

copis præsit in Concilio.

4. Quòd Soli illi liceat pro necessitate novas leges condere, novas plebes congregare: de Canonica Abbatiam facere, & è contra: divitem Episcopatum dividere, & inopes unire.

5. Quòd solus uti possit insignibus imperialibus.

6. Quòd solius Papæ pedes cuncti principes deosculentur.

7. Quòd liceat illi Imperatores deponere.

8. Quòd possit de Sede in Sedem, cum necessitas exigat, Episcopos mutare.

9. Quòd de omni ecclesia, quando-cunque voluerit, possit clericum ordinare.

10. Quòd ab illo ordinatus aliis ecclesiis præesse queat, sed non militare, & quòd ab alio Episcopo non possit Superiorem gradum accipere.

11. Quòd nulla Synodus absque præcepto eius nominari potest generalis.

12. Quòd illius sententia à nemine retractetur.

13. Quòd à nemine iudicari debeat.

14. Quòd nullus audeat condemnare illum, qui ad Sedem Apost. appellavit.

15. Quòd maiores causæ cuiusque ecclesiæ ab illo debent iudicari.

16. Quòd Romana Ecclesia nunquam erravit, nec errabit unquam.

17. Quòd illius præcepto, & licentiæ subiectos liceat accusare.

18. Quòd absque Synodali conventu possit episcopos deponere, & reponere.

19. Quòd à fidelitate iniquorum subiectos possit absolovere.

20. Quòd solus dicatur Universalis.

Ita Stevanus.

Non

Non placent hæc nostri temporis Sacerdotes, inter quos *Matthias Hafnrefferus Tubingensis Minister in loc. Theol. et de Ecclesiâ pag. 457* ejusmodi prædicata tribuit, Idolo Romano, indeque colligi, Antichristum esse, qui in templo Dei sedens super omnia se elevaturus sit. Verùm Catholici aliter sentiunt, scientes illum Christi Vicarium esse, & totius Ecclesiæ caput visibile: cui omnis potestas ad spirituales animarum salutem pertinens jure debetur. Brevis dici potest, potestatem Summi Pontificis consistere in eo.

I. Quod possit ac debeat judicare de controversiis fidei, & morum. Vel enim nullus est in Ecclesiâ Judex, vel Pontifex est. Si nullus est, melior Synagoga conditio fuit, in qua Summum tribunal Pontifex habuit. *Deuteron. c. 17.* Agnoverunt hoc Sancti olim, qui in dubiis rebus ad Sedem Apostolicam recurrerant. *S. Hieron. ad Damasum epist. 57.* A pastore præsidium ovis flagito: discerne, si placeat: non timebo tres hypostasies dicere, si jubebis. *Theodoretus ad Leon. I.* Nos pusilli ad Apostolicam vestram Sedem currimus, & Ecclesiarum ulceribus medicinam à vobis accipimus. *S. Greg. ep. ad Episcopos Gallia.* Si quam contentionem de fidei causa evenire contigerit, & ad nostram studeat perducere notionem, quatenus à nobis valeat congruâ sine dubio sententiâ terminari. Non posse errare Pontificem in judicio de rebus fidei, & moribus ad universam Ecclesiam pertinentibus, probat multis cum multis *Bell. l. 4 c. 1. 2. & seq. Stapleton. Controv. 2. l. 6 c. 15. Tuschus Conclus. 41. Bozius l. 1. de jure stat. c. 9. Valent. in Analysi l. 8. c. 1. Becan. Man. 6. 5. Comitrol. l. 1. g. 113. Tanner. 22. D. 1. g.*

4. n. 160. Barb. in c. si Papa D. 40. Coster. c. 3.

II. In Summo Pontifice potestas est, leges condendi, quæ in conscientia obligent, & puniendi transgressores spirituali pœna, qualis est excommunicatio, suspensio, interdictum, irregularitas. Neque enim minoris auctoritatis est, quàm in Veteri lege Pontifex fuerit, de quo *Deuteron. 17.* Qui superbierit, nolens obedire Sacerdotis imperio ex decreto judicis moriatur homo ille. Ea potestate uti sunt Apostoli *Act. 15.* Visum est Spiritui Sancto, & nobis, nihil ultra nobis imponere oneris, nisi hæc necessaria, ut abstineatis vos ab immolatis simulacrorum, à suffocato & sanguine, & fornicatione. Nova lex erat, abstinere à suffocato & sanguine. Idem patet in Canonibus Apostolorum, de quibus actum in *Prolegomenis §. 12.* Ex quibus colligitur *Primo*, quod omnes Christiani, quando de rebus fidei dissensio est. Summo Pontifici adherere debeat, ut ab errore & anxietate liberi sint. Ita *SS. PP. Irenæus l. 3. con. hæreses cap. 3.* Ad hanc Ecclesiam propter potentiolem principalem necesse est omnem convenire Ecclesiam, hoc est, omnes, qui sunt ubique fideles, in qua semper ab his, qui sunt undique, conservata est ea, quæ ab Apostolis tradita. *Cyrillus in ep. ad Celestinum Papam.* Quamvis hæc ita se habeant, non prius tamen Nestori communionem confidenter deserere ausi fuimus, quàm hæc ipsa pietati tuæ indicaremus. Dignetur proinde, quid hic sentias, declarare. *S. Aug. l. 1. contra duas epist. Pelagianorum ad Bonifacium Papam.* Hæc, quæ duabus epistolis eorum respondeo, ad tuam dirigere potissimum sanctitatem, non tam

dicende, quàm examinanda, & ubi forsitan aliquid displicuerit, emendanda constitui. Similia habet *Theodoreus ep. ad Leonem Papam. Sozamenus l. 6. histor. c. 22. & alii passim.*

Secundo Nihil in Ecclesia magnum aegi, aut decerni posse, Summo Pontifice infcio, aut invito, ita ut nisi accedat ipsius consensus, irritum & inane sit, quicquid definitum fuerit. *Concil. Chalced. initio, & Act. 16. Anastasius Ierosol. in ep. ad Felicem. S. Aug. cum aliis episcopis ep. 90. ad Innocentium Papam. S. Ambr. ep. 78. ad Theophilum. Prosper in Chron. Stapleton. de magnit. Eccl. Rom. l. 1. c. 9. Becanus in Manuali. c. 5. num. 117. Mussus in Conc. de cath. Petri. Quibus accedit Ratio. Pontifex non minus habet curam, & gubernationem Ecclesie, quàm totius regni rex: At nemini in regno statuere quicquam licet cum obligatione, absque consensu regis. Ergò nec in Ecclesia absque consensu Pontificis, licet ulli statuere, aut præscribere aliquid, quod totam ecclesiam concernat, & obliget. Dico, totam ecclesiam, ut episcopis salva & intacta maneat auctoritas pro suis subditis ea disponendi, quæ ipsorum saluti & incolumitati prosint. *Conc. Tr. sess. 25. c. 6. de refor. item Remiss. in it. & ci. fin. p. 630. AZ. II. l. 4. c. 20. Piasecius Par. 2. c. 14. p. 258. Tuschus Co. 41. Becan. Tr. de Ecclesia Q. 2. V. qui dix. tit. 7. §. 7.**

III. Sequitur præterea quod episcopi aliiq̃ue de clero, cum se gravari, aut premi iniquè putant, ad Sedem Apostolicam confugere queant. Patet ex *Concil. Sardicensi*, ubi *Hosius* Episcopus. Si aliquis Episcopus iudicatus fuerit in aliqua causa, & putat se bonam causam habere,

ut iterum iudicium renouetur, Sancti Petri Apostoli memoriam honoremus, ut scribatur Romano Pontifici. Synodus respondit. *Places. Et c. 5.* Cum aliquis Episcopus depositus fuerit, & proclamaverit agendum sibi negotium in Vrbe Romæ alter Episcopus in eadem cathedra (post appellationem eius, qui videtur esse depositus) non ordinetur, nisi causa fuerit in iudicio Episcopi Romani determinata. Hæc appellandi consuetudo non nisi ex traditione Apostolica manavit, ut colligitur ex epistola Theodoretæ ad Rhenanum presbyterum, ubi Deprecor te, ait, ut sanctissimo Episcopo (*Leoni Papæ*) suadeas, ut Apostolica auctoritate utatur, inbeaturque ad vestrum Concilium adire. Idem in *epist. ad Leonem Papam*. Suffragium Sedis Apostolicæ expecto, & supplex oro, ut ea me tribunal vestrum iustum, ac rectum defendat, ac protegat. *V. tit. de Appell. Silv. & Zerola V. Appellatio Silv. eod. tit. 9. & 12. Armilla V. Papa n. 6.*

§. III.

De potestate temporali Summi Pontificis.

I. **Q**uæ hic se dicenda offerunt, à maximis Scriptoribus, tam accuratè & copiosè explicata sunt, ut amplius quid desiderare nemo queat? Missa proinde faciemus, huius ævi delicatæ morositati indulgentes. Mirari nihilominus, & prædicare iuvat divinæ providentiæ laudem efficacitatē, qua factum est, ut post aliquot sæculorū horribiles, & sanguinarias persecutiones, Imperium adepti Catholici principes Ecclesiā magnis opibus locuple-

locupletarent, Christum ejusque Vicarium Pontificem præ filiis, & nepotibus hæredem constituerent. Irriguum Ecclesia superius bonorum supernaturalium habebat fidelium cohors: irriguum inferius terrenarum opum Regum & Dynastarum adiecit pia munificentia, ne hostibus suis vel ludibrio esset tenuitas, vel in prædam ac direptionem cederet infirmitas. Hoc igitur tempore præter potestatem Ecclesiasticam habet Summus Pontifex, ut Princeps sæcularis dominium temporale in multis Provinciis, & civitatibus. De qua re *Ludov. Gotschedus in Archontologia sua li. iiii. tit. Domini-um Pontificis, seu status Ecclesiæ, ut de agro Beneventano, & Comitatu Avenionensibus; taccam, nostro ævo amplior est, quam unquam fuerit, postquam principatus Ferrariensis, Comachia, & Flaminia accessit. Complectitur enim in longitudine circiter 300. millia passuum, in latitudine ultra millia centum. Regiones continet duas, Ducatum Ferrariensem, Agrum Bononiensem, Sabinaum, Perusinum, Marcam Anconitanam, Umbriam cum parte Hetruriz, Patrimonium S. Petri, Flaminium, & Latium cum ipsa Vrbe Roma, quam Constantinus Imperator donavit in hoc terrarum tractu numerantur Episcopatus circiter 50. & ultra quindecies centum millia hominum. Urbium prima est Roma, secunda ponitur Bononia, in tertiis, & quartis numeratur Ferraria, Perugia, Asculum, Ancona, Forum Livii, Ravenna, Firmium, Viterbium. Complectitur insuper hæc Italia pars ducatum Spoletanum, & partem longè*

maximam Exarchatus Ravennensis. Præterea agrum Anconitanum Marchionatus titulo insignem. Quicquid interest terrarum inter Romam, & Regnum Neapolitanum appellatur hodie Campania Romana, sive ager Romanus. Altera pars terræ versus Florentiam nominatur patri monium S. Petri. Anconitanus Marchionatus est versus apuliam, Campaniamque Flaminia in Ducatum Ferrariensem vergit, tangitque limites agri Bononiensis. Umbria velut umbilicus inter utramque Provinciam obtinet. Comprehenditur hoc spacio præter Vrbes supra nominatas Arminium, Casena, Faventia, Imola, Macerata, Camerinum, Spoletum, Nuceria, Rorate, Interamna, Narnia, Ovietum, Assisium, Folinium, Tuderum cum aliis circiter 30. Præter hæc juris Pontificii sunt Comitatus Avenion. in Gallia, & Vrbs cum agro Beneventano in Regno Neapolitano. Insuper domini directi jus velut patroni Pontifices sibi vendicant in Regno Neapolitano & Siculum, Ducatum Urbinatem, Parmensem, & Messeranum. Ex his in ararium quotannis inferri putatur 15. auri vasa, seu quindecies centum aureorum millia. Si computare velis fructus legationum, & gubernationum in diversis oppidis: ea item quæ pro Bullis, & beneficiis Ecclesiasticis, pensionibus & annatis solvuntur magnum priori summæ augmentum facies. De robore militari, quod in viris positum, nihil dico, quandoquidem ex historiis liquet, magna olim bella gessisse pontifices, ut merito Reges, & principes illum hac quoque ex causa cupiant

amicum

amicum habere. Certè majores nostri summo operè laborarunt placere Pontificibus, ut si boni essent, eorum favore, & gratia fruerentur, si verò mali, ne nocerent, cum præsertim non desint unquam malè feriatu homines, qui eos in transversum agere moliantur. Ita *Gotofredus cum Ioanne Botero in Cosmograph. l. 4. pag. 161. Anton. Peregrin. de juribus Fisci l. 1. pag. 21.*

II. Non ignoro hanc bonorum temporalium abundantiam, & regales divitias Hæreticis nostri temporis Lutheri, & Calvini affectis bilem ciere, & maledicentiam acuere, ut nullum in criminando exitum inveniant. *V. Coronid. omnium jubilor. ad Contzen. c. 54.* Hocine est Christi pauperis Vicarium agere, crucem illius tollere, non habere, ubi caput reclinet? Servus servorum verbis dici, viribus anteferri gaudet. Sed meminisse, velim, Catones istos parum catos. Si Christus Ecclesiæ suæ iriguum luparius, & inferius dedit, si Reges & Principes in illam benigni, & munifici sunt, ut impleatur scriptura. *Isai 49. Erunt Reges nutritis tui.* obturandus est oculus nequam, ne scandalizetur, & intueri se falso puter iniquitatem in domo justi. Oidium & invidia, non opum copia vitiosa est. *V. Roderic. 11. q. 63. art. 8. Becan. de Pontif. Vet. testam. c. 9. Gretser. in Mysta Salmur. pag. 75.*

§. IV.

Satisfit Dubiis quibusdam.

DUB. I. An Summus Pontifex, bonorum, beneficiorum, & jurium Ec-

clesiæ verum, ac reale dominium habeat? Affirmant aliqui, inter quos *Franc. Leo in Thesau suo par. 2. c. 20.* ubi dominium omnium beneficiorum vocat. *ex c. de praben. in 6. Gloss. fin. in c. felicit de pœn. eo. li. Clem. 1. in si. Ut luc pendente Bald. in l. Rescripta n. 8. C. de prec. Imp. & Gomez in proem. Reg. Canc. V. considerata Barb. in c. suscepti de praben. in 6. Boer. Decif. 1. n. 66.* Alii bonorum Ecclesiasticorum dominium privatis Ecclesiis tribuunt v.g. bonorum Ecclesiasticorum Colonia, Ecclesiæ ibid. existenti, & sic de aliis, ita, ut communitas ipsa censeatur dominium habere, Episcopi verò, & Prælati administrationem; eo modo, quo in Ordinibus, & Monasteriis Religiosor. contingit *Adrian. in 4. de restit. Cajet. 22. a. q. 53. a. 8. Turrecr. l. 2. c. 113. Propos. 6. Less. c. 4. D 7. Regin. l. 30. tr. 3. c. 6.* Sunt alii, qui considerantes, quàm exile & inutile sit dominium ejusmodi, cum neque Pontifex, neque alii Prælati uti possint bonis Ecclesiasticis pro libitu, solum Christum ajunt red tuum, & bonorum Ecclesiæ dominum esse. Ita *Maïor. in 4. D. 24. q. 18. Nav. in Apologiâ de redit. Eccl. q. 1. Monito 24. & sequentibus Gloss. in c. Salvator 1. q. 3. & c. Cum verior 23. q. 8. Innoc. in c. cum esset. de testam. in Repe. n. 29.* quibus servit S. Scriptura *1. ad Cor. ubi Apostoli, & successores illorum dispensatores vocantur.* Idem ex effectibus domini colligitur. Nam qui dominus proprietatis est, pro arbitrio suo, & propria auctoritate disponere potest de bonis suis, donando, vendendo, alienando, destruendo, &c. ita ut nemini injuriam faciat. Horum nihil in bonis Ecclesiasticis invenitur. *Discere*

cere autem Pontificem, & Prælatos habere dominium, sed limitatum, & impeditum, nihil aliud est, quàm unâ manu dare, alia eripere. *Azor. II. l. 6. c. 1. Gomez. Tuschus Concl. 49. Anton. Peregrinus de juribus Fisci l. 1. p. 86.*

Resp. igitur. Quod rem ipsam attinet, nihil interest, hanc vel illam sententiam præferas. Mihi tam è verior apparet, quæ ipsis Ecclesiis bonorum immobilium dominium tribuit. Nam idem in profanâ Republ. cernimus, ubi nemo sibi dominium arrogat bonorum communiû, sed ipsius populi, seu communitatis esse censentur, à quâ rectores, cultores, & administratores designantur. §. *Universitatis Instit. de rer. divis. l. in tantum. ff. eod. Sarmiento de re dit. Eccl. par. 1. c. 1. Azor. l. cit. Layman. in defens. justâ q. 1. præamb. fol. 3.*

Dub 2. An Episcopi jurisdictionem suam à Summo Pontifice accipiant? Affirmativam opinionem. *Azor. II. l. 3. c. 30.* pronunciat verissimam esse, & omnium Theologorum Doctorumque calculo comprobata. Christus enim nullum præter Apostolos Episcopum per se immediatè elegit, & conservavit. Quod si dederimus, non sequitur illicò jurisdictionem immediatè à solo Pontifice dari. Fieri enim posset, ut quemadmodum Papa ab hominibus electus potestatem suâ à Christo, ita electi à Pontifice ab eodem potestatem & jurisdictionem accipiant. Non est ergò affirmativa opinio tâ certa, ut aliqui putant, sed oppositâ tuentur multi, *Major in 4. dist. 24. q. 3. concl. 2. Henr. quodl. 9. q. 52. Selva. tract. de ben. q. 4. Barbar. in tr. de præst. Card. q. 1. Gigas de pension. q. 2. n. 3. & alii. quib. favet illud Act. 20. v. 28. attendite vobis, & universo gregi,*

in quo vos Spiritus San. posuit Episcopos regere Ecclesiam Dei. In confirmatione venit Petrus. *Petrus Sotus l. de Instit. Sacerd. lect. 5.* Non est negandum, inquit, quin à Christo ipso, & divino jure habeant potestatem in suos subditos omnes Episcopi, & omnes Parochi. Data quidem Petro est superioritas in omnes, sed non propterea ablata est ab aliis propria potestas, & jurisdicção. Ita ille *V. Barb. c. inter corporalia de trans. Episc. & de potest. Episc. par. 1. c. 1.*

Dub 3. Si contingat aliquem Pontificis dignitatis incapacem eligi, an decreta illius vim aliquam habitura sint? Constantis, & indubitata Christi erga sponsam suam Ecclesiam fides tam multis S. Scripturæ testimoniis expressa, confirmat. *q. Matth. 28. v. 19. Ioan. 14. v. 18. Ioan. 16. v. 35. & alibi.* tutam fore suadet ab omni periculo, illo præsertim nocentissimo, quod à non vero, ac sano capite provenire potest. Etenim si inter mortales quorum fluxa & incerta omnia, non nisi in secleratissimo tanta negligentia præsumitur, nefas omnino sit, in Christo, qui est ipsa sanctitas & veritas, eam metuere. Hoc igitur posito supervacanea videri potest in medium adducta dubitatio. Nihilominus pro majori pusillorum solatio dicendum videtur cum Greg. de Valentia, licet incapax aliquis in Pontificem eigeretur, non fore unquam, ut contra universalem Ecclesiam aliquid decernat, sed vel ipsius indignitas patefit, vel priusquam no. eat, è vita tolletur. Nec ad id miraculo opus fuerit, quoniam Ecclesiæ debetur talis providentia, & ex ordinariâ Christi lege consequitur, qui non per alium, quàm legitimum pastorem gubernari voluit Ecclesiam. Quod

verò particulares ecclesias attinet, vel personas, non videtur nimio perè inconueniens concedere, constitui aliquid ab eo posse, qui non esset verus Pontifex. Quo in casu (: quemadmodum in similibus pòtè credi posse S. Thomæ, & aliorum Theologorum opinio est :) Deus per se suppletet veri Pastoris ministerium, illorum causa, qui innocentes alioqui spiritali fructu destituerentur, confirmando, ex. gr. per se illos episcopos quos putatus pontifex verè confirmasse per deceptionem crederetur. Ita ferè *Greg. de Valent. in l. 6. Analysis fidei c. 13. §. Ex quibus rebus.*

DVB. 4. Quam potestatem habeat Pontifex in paganos & infideles?

R. Ex dictis constat, infideles cum bonis, & possessionibus suis extra dominium, & potestatem Ecclesiæ esse: non tamen omnis omnino ecclesiæ in illos neganda potestas est: sed *Primò* offerre illis potest, & debet Evangelium, ut ad ovile Christi aggregentur. Si Evangelii nuncios & præcones per iniuriam repellant, aut quoquo modo immeritos lædant, armis coerceri, ac puniri fas est. *Secundò* si qui temporaliter Pontifici subdunt, vel alii cupiam Christiano principi, cogi ab illis ad legis naturalis observationem possunt; castigari etiam, si violent vel naturæ leges, vel à Magistratu politico latas. *Denique* expellere licet à regno, vel provincia, cum oblata venia retinendos, si fidem & baptismum amplectantur. Et hæc communia & permissa sunt omnibus Christianis Dominis, & Dynastis. *Azor 1. l. 8. c. 24. Suar. l. 4. con. error. Angl. c. 6. num. 7. Silv. V. Papa numer. 7. Layman l. 2.*

Tract. 1. c. 17. Valent. 3. Disp. 1. Q. 102. pun. 7.

DVB. 5. An sibi ipsi Pontifex ius dicere possit?

R. Quamvis seipsum absolueri nequeat, cum reus & iudex necessariò duæ personæ sint, potest tamen ex communi thesauro sibi quoque Indulgentias dare, vel applicare: item dispensare se cum, quemadmodum cum aliis, & communibus legibus solvere. Quod exemplo Principis explicat *Silv. V. Indulgentia num. 7.* Princeps enim legitime filios suos potest, non ut pater, sed ut princeps, & sic gaudet privilegio; quo & ceteri participes. *Suar. l. 8. de leg. c. 9. Vafquius l. 1. c. 45. Henr. l. 6. c. 4. Comitulus l. 1. q. 101. Barb. in c. Omnis utriusque de penitent.* Quod vero Canonistæ dicunt solutum cunctis legibus esse Pontificem, non est ita capiendum, quasi quilibet illi permillum sit, sed quod ex rationabili causa prætermittere legem, seque immunem præstare queat. Cæterum illi commendatur, ut sit forma gregis, & quæ alii necessitate præstant, libera, voluntate, exequatur. *Decius l. 2. c. 9. nu. 20.* Adde, quod in propria causa iudex esse potest *c. Cum venissent de iudic. Tufebus Concl. 50. V. qui dix. in 3. par. sum. tit. 2. §. 1. dub. 1.*

DVB. 6. Quid iuris habeat Pontifex in Purgatorium?

R. *Silvest. in V. Papa* dicit, posse indulgentias dare, eo modo, quo in *V. Indulgentia* explicat. Purgatorium verò voluntate, aut libitu suo spoliare non posse, sed mediante Indulgentiarum thesauro: & sicut liberare potest pœna in hoc mundo omnes, si faciant, quod ipse mandat,

Est, quamvis essent millies plures, quam sunt, ita liberare potest omnes qui sunt in purgatorio, si quis pro eis faciat, quod jubet; peccatorum tamen indiget cōcedendo. & in isto sensu dicunt Doctores, quod non possit adhibitum, extorliare Purgatorium. Ita *Sily. Cui Filiutius* *atcedens Tr. 8. de Satuf. c. 9 n. 216.* Si spectetur, ait, potestas Pontificis, & amplitudo thesauri Ecclesiastici, procul dubio fieri potest, ut Pontifex uno die omnes animas ex purgatorio liberet. Sed quia etiam requiritur justa causa, & opera facta à viventibus debita, ideò casus est moraliter impossibilis. Nam illa causa non videtur dari posse, ut *S. Thom. dicit q. 71. add. a. 10.* nec opera fiunt ab omnibus debita. Positâ tamen justâ causâ, & tot, qui opera debita facerent, ut sufficerent ad numerum defunctorum, tunc nullum esset inconveniens, ut docet *Gab. add. ad lect. 57. ad 3. Navar. Notab. 31. Armilla V. Papa n. xi.*

NOTA. Prædicti Auctores supponunt Indulgentiarum effectum esse infallibilem, quod cum Cajetano & Cano multi negant. Etenim qui pro damnatis ad triremes litrum sufficiens offerret, non liberaret ideò, nisi liberè acceptaret dominus; ita videtur in libera Dei voluntate positum esse, ut liberet animas, pro quibus suffragia à viris offeruntur. Dicendum ergò videtur cum *Layman. de Indulg. cap. 7.* effectum indulgentiarum pro defunctis non esse omnino infallibilem, cum uti suffragia tantum valeant per modum impetrationis, quia Christus non obligavit ad acceptandum ejusmodi preces, & oblationes. Nec id colligi potest ex illo *Matth. 16.*

Quicquid solveris super terram, erit solutum in celo. Nam verbis illis Petro, & reliquis Apostolis concessa est judiciaria potestas, quemadmodum indicat Concilium Trident. Sess. 14. cap. 6. quæ ad defunctos non pertinet. Hoc posito cessat metus, ne per Indulgentias aliquando exhauriatur Purgatorium. *Navar. de Indulg. num. 57. Reginald. l. 7. num. 196. Tabiena V Indulg. num. 19. Ho acina tom. 1. pag 209. num. 14. Henr. l. 7. cap. 4. Fill. ut. Tract. 8. c. 8. q. 12. num. 216. Escobar. Tr. 7. Exam. 5. c. 7. n. 48.*

Dub. 7. An Summus Pontifex dispensare possit in primo gradu matrimonii, ut quis ex g. pro uxore habeat sororem suam?

Resp. *Angelus in Summâ V. Papa n. 1.* ex Archid. refert *Martinum V.* habita consultatione cum viris doctissimis tam in jure Canonico, quàm Theologia dispensasse cum quodam, qui sororem in uxorem acceperat, propter multa mala & scandala, quæ evenissent, ex separatione, & quia evitari non poterant, nisi sic dispensaretur. *Addit. Idem dico de similibus. Eandem rem narrat Sily. V. Papa num. 17.* subjungens. Ante factum nulli consulendum, ut petat dispensationem, & dimittendum esse negotium judicio Dei. Denique addit. Quamvis in gradibus jure divino & naturali prohibitis non possit Pontifex dispensare, ex mente *Richardii* tamen interpretari posse in casu, ubi cessaret causa, vel ratio prohibitionis matrimonii inter parentes & affines, quæ sunt reverentia, amicitia, & his similes. Ita illi à quib. ut recedat lubentius, consensus Theologorum suadet, qui primum Matrimonii gradum

indispensabilem esse volunt: videorūque mihi in præallegatis scriptoribus advertere, quòd dispensationis termino abutantur. Dispensasse Martinum V. dicunt propter scandala, quæ aliter non vitarentur, permisisse, aut tolerasse dicendum erat. De secundo gradu affinitatis & consanguinitatis inter magnos Principes ob

publicam causam dispensari liquet. *Greg. XIII in Bulla 1. Mart. 1591. Paulus IV. in Constit. ab ea ipsa die. & Clem. VII. in eà qua incipit Quia plerumque V. Zerolam 1. Par. V. Dispensatio. ad secundum. Henrig. l. 12. c. 9. Piasecius par. 2. c. 1. pag. 104. Estobar. tract. 7 Exam. 9. c. 8. §. 1. Rosella V. Papa n. 3. & 4. Tuschus Conclus. 54.*

TITULUS XV.

De Regularibus.

IN Ecclesiâ Christi, si vitæ conditionem spectes, sublimem locum obtinent Religiosi, quorum institutum propterea à Sanctis Patribus summopere commendatur, ut videre est apud *Cassian. Bellarm. Valentiam tom. 3. Lud. de Ponte. Platum, Buscum & alios.* Et merito cum enim voto paupertatis, Castitatis, & obedientiæ DEO se consecrent, ab humanæ vitæ periculis longissimè abeunt, & cœlestium incolarum puritatem proximè attingunt. De quibus acturi, quia genera illorum & ordines permulti sunt, partitione consuetâ utemur.

§. I.

De origine & diversitate Regularium.

I Regularium status, & vivendi ratio adumbrata in Veteri Testamento fuit per Nazaræos, de quibus *1. numer. c. 6.* vel per Prophetas, eorumque filios, teste *S. Hieron. ep. ad Rusticum.* Filii,

inquit, Prophetarum, quos Monachos in Veteri testamento legimus, ædificabant sibi casulas propè fluentia Jordanis, & turbis urbium derelictis polenta & herbis agrestibus victitabant. Item in epist. ad Paulinum de Monachis loquens, Nolter, ait, Princeps Elias, noster Eliseus, nostri duces filii Prophetarum, qui habitabant in agris & solitudinibus, & faciebant sibi tabernacula propè fluentia Jordanis. Iterum. Hujus vitæ auctor Paulus, illustrator Antonius, & ut ad superiora conscendam, Princeps Joannes Baptista. Chrysostomus in eundem sensum. Sicut Sacerdotum Principes, Sancti Apostoli, sic Monachorum Princeps Joannes Baptista est. Eadem alii PP. apud Bellarm. l. 2. de Monachis c. 5. Azor. 1 l. 11. c. 23. q. 8. Sanch. in Decal. l. 5. c. 1. Polyd. Virg. De invent. rer. l. c. 1. Roderic. tom 1. q. 1. art. 1.

Idem vitæ genus Christus proposuit & consuluit. *Matth. 19. v. 21.* Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, & da pauperibus. *Ecce paupertatem. Ibid. v. 12.* Sunt eunuchi

eunuchi qui seipfos castraverunt propter regnum cœlorum. *Ecce castitatem. Matt. 16. V. 24* si quis vult venire post me, abneget semetipsum, & tollat crucem suam, & sequatur me. *Ecce obedientiam.* Consilia hæc amplexi sunt, & reipsa compleverunt primùm Apostoli, & discipuli Christi. Deinde primi Christiani Ierosolymis. *Act. 4. V. 32.* ubi legimus. Multitudinis credentium erat cor unum & anima una, nec quisquam eorum, quæ possidebat, suum esse dicebat, sed erant illis omnia communia. Meritò igitur *S. Hieronymus I de vir. illustr. in I. hilone.* Apparet, talem primam Christo credentium fuisse ecclesiam, quales nunc Monachi esse nituntur. Nec desunt qui tam Apostolos, quàm eorum discipulos primos Christianos, vota quoque nuncupasse existiment: imò Christum ipsum, quemadmodum paupertatis, castitatis, & obedientiæ perfectissimum exemplar fuit, ita se ad observationem illarum virtutum obligasse voto, ut eareus perfectiora ipsius opera essent. Colligunt ex illo *psalms 21. V. 26.* Vota mea reddam in conspectu timentium te. Vota ait *S. Basilus* vocantur ea, quæ promiserat se facturum, vel ut *S. Augustino* placet, sacrificia, quæ pro salute mundi obtulit, nominatim passionis, ac mortis sacrificium. *S. Thom. 22. q. 88. a. 4. Suar. 11. D. 2. 8. & 111. de Relig. l. 3. c. 3. Lud. pont. 111. pag. 170. Platus l. 2. c. 20. & 21. Bannez in 22. Q. 1. art. 10. Grets. l. 1. Apol. Bellarm. l. 2. de Monachis c. 5. con. Misenum.*

III. Quanquam Religiosorum Ordinum numerus & varietas maxima est, attamen spectando fines illorum particulares fini ultimo subordinatos ad septem

genera reduci possunt.

Primum est Eremitarum, qui Eliæ & Ioannis Baptistæ exemplo silvas incolunt, hominum consortia pertæsi solitudine, ac silentio delectantur.

Secundum Monachorum seu Cœnobaritarum, qui communem vitam sub obedientia Prælati agunt, quibus hoc tempore Civitates passim abundant.

Tertium eorum, qui propriæ perfectioni tantùm student, ita ut proximo præter orationem, & boni exempli odorem nihil impendant.

Quartum illorum, qui è contra per opera misericordiæ corporalia miseris iuvare laborant, ministrando infirmis, excipiendo peregrinos, sepeliendi mortuos &c. quorum vita mere activa, & practica est.

Quintum est militum, quorum finis Ecclesiam armis tueri contra infideles, & persecutores. Eiusmodi sunt Teutonici nostri, & Melitenses.

Sextum eorum qui vitam mixtam profitentur, quorum finis in Constitutionibus Societatis nostræ esse dicitur, non solum salutis, & perfectioni propriarum animarum cum divina gratia vacare, sed cum eadem impensè in salutem, & perfectionem proximorum incumbere. Hoc vitæ genus omnium perfectissimum esse, probat *S. Thom. 22. q. 188. art. 6. Caietanus, Mosconius l. 1. par. 4. c. 1. Fell l. 2. de Mō c. 3. Less l. 2. c. 41. D. 2. Azor l. 1. c. 24. q. 6. Silv V. Religio l. n. 4. Reginald. l. 18. n. 370. Suar 11. l. 1. c. 6.*

Septimum denique est Clericorum regularium, qui eundem cum prædictis finem intendunt, itaque contemplationi vacant, ut concionando, docendo, aliisque

Z 3 que

que ministerijs Episcopos & Pastores animarum graviter sublevent. Atque hic Ordo Apostolorum vices quia subit, antiquissimus videtur. *Navar. in Comm. 4. de Regular. n. 7. & 8. Suar 3. de relig. l. 1. c. 3 n. 6. Lud. de ponte To. 3. tr. 3. c. 8.*

IV. Si causam quartam tantam varietatis, quatuor invenies. Prima est Ecclesiam dignitas, quae ut castra bene ordinata diversis militum signis & ordinibus praefulget. Unde fit, ut sua cuique ordini peculiaris gratia respondeat. *Laym. in Defens. iusta c. 3. Secunda est utilitas.* Cum enim omnes omnia praestare nequeant, oportet esse, qui ex professo spiritualia tantum, & qui tantum corporalia ex professo tractent: alios praeterea, qui in utriusque Deo, & proximo deserviant. Tertia causa est, ut satisfiat diversis hominum desideriis, quorum alii solitudine delectantur, alii consortio parium, alii psalmodia, alii studiis, alii alii exercitationibus. Quarta denique causa necessitatis est. Nam subinde noviter exortis hostibus Ecclesia impugnatur, Satana novas haereticas excitante. His opponenda novae copiae sunt: quemadmodum, ut vetera omittam, de Societate Iesu tum viri boni ac sancti, tum Pontifices ipsi fatentur. *Bellar. l. 2. de Monach. c. 3. Ramond. de orig. her. l. 1. par. 5. c. 2. Ribadin. l. 2. Vit. Ign. c. 18. Suar. IV. l. 1. c. 4. Lud. de Ponte III. l. 3. tr. 3. c. 3. Laym. l. 4. tr. 5. c. 3. Surius in Comment. rer. gestar. Anno 1540.*

V. Status Religiosus ita definitur. *Est tendentium ad perfectionem Christiana charitatis per vota perpetuae paupertatis, Castitatis, & obedientiae stabilis in communi vivendi modus, ab ecclesia approbatus.*

Explico i dicitur esse eorum qui ad perfectionem tendunt, contra vulgum errorem, a quolibet Religioso ipsam perfectionem exigentis, cum id neque necessarium, neque possibile sit. Satisfacit enim, quicumque ad perfectionem per observationem Regulae & instituti sui tendit. Sicuti, qui Scholam frequentat, non contrauod habere scientiam, sed eam studio & labore acquirere debet. 2. *Editis Votis Paupertatis, Castitatis, & obedientiae.* Solennia intellige, vel simplicia illis quadantenus paria. De illis nemo unquam dubitavit: de his sub initium Ordinis Clericorum Societatis Iesu nonnulli disceptarunt: decidit autem *Greg. XIII. in Bul. Ascendente.* ut iam nullum dubium remaneat, per simplicia Vota constitui religiosum posse. 3. *Requiritur stabilis in communi vivendi modus,* puta, sub aliqua regula approbata, vel statutis, aut Constitutionibus. Vbi excluduntur, quicumque ad tempus, vel extra communem vivendi ritum, & absque certo capite vivunt, quamvis in rigore, aut zelo operandi superarent. Denique additur *ab ecclesia approbandum Ordinem esse,* ut mixtum confusio evitetur, & vaga hominum res novas molientium cupiditas. Ita decretum est in *Concil. Lateran. sub Innoc. 3. relat. in c. Ne nimia. de relig. domib. & Conc. Lugdun. sub Greg. X. ut videre est in c. Vn. eod. in 6. Ostiens. l. 3. et. Regularib. Bellarm. l. 2. de Monachis. c. 4. Suar. 3. de Relig. l. 2. c. 1. & sequ. Lud. de ponte 3. tr. 3. c. 1. Layman l. 4. tr. 5. c. 1. Sanch. in Decal. l. 5. c. 1. Vasqu. 1. 2. qu. 96. a. 4. Azor l. 1. c. 23. qu. 5. Reginald. l. 18. c. 24. n. 363. & seq.*

VI. Ex dictis sequitur 1. Ordines religiosos, quamvis in habitu, ac modo vivendi

uendi plurimum differant, omnes tamen essentialiter idem esse: quia religiosæ professionis essentia in nuncupatione trium Votorum, Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ consistit, quæ cum approbatione ecclesiæ in manu Prælati eduntur iuxta uniuscuiusque Ordinis præscriptum, & usum. 2. Non obstat, quod in quibusdam ordinibus vota soluantur, & qui ea nuncupant, liberentur. Sufficit enim, quod seipsum nemo liberare queat, & tollere perpetuitatem. 3. Militarium ordinum professos, qui conjugalem continentiam tantum profitentur, proprie religiosos non esse, at *S. Thom. docet 22. q. 186. a. 4.* quem plurimi sequuntur à *Paulo Layman citat l. 4. tr. 5. c. 1. de quo latius infra §. 6. num. 4.* E converso Ordinis S. Ioannis, & Teutonici equites, B. Mariæ quia castitatem simpliciter profitentur, & incapaces matrimonii fiunt, inter veros ac proprie dictos religiosos numerari. 4. etiam Mosconium, cum pag. 505. affirmat proprie religiosos dici posse, qui se altringunt ad vivendum secundum aliquam regulam, licet professionem non emiserint, dummodo se, & bona sua Deo dicaverint, sicuti *Conversive Religionum c. Quod Dei timorem. de statu Monach.* Idem de *Beguinis, & Canonissis Vullensis tradit l. 3. tr. 3. §. 1. 5.* Summum Pontificem dispensare non posse, ut aliquis manens religiosus liber sit à Voto Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ, quia hæc ad essentiam Religionis pertinent. *c. Cum ad monasterium. de statu Monach.* At cum necessitas fuerit, extrahere poterit ab ordine & absolvere ab obligatione, prout factum sæpius multa

exempla docent. *Henr. quodl. 5. q. 28. D. Thom. in 4. d. 38. q. 1. a. 4. Ricb. ead. art. 9. q. 1. Scotus ibid. q. un. Durand. ibid. q. 2. Antonin. 2. pa. tr. 11. c. 2. Aug. Caiet. & plerique recent. V. Less. l. 2. c. 40. D. 19. Franc. Leo in thesauro par. 2. cap. 260 n. 55.*

VII. Vique ad ætatem S. Basilii id est, *An. Chr. 362.* licet multi simul habitarent, interno Spiritus Sancti ductu potius, quam præscripta regula & certis legibus vivebant. *Spondan. An. Chr. 328.* Primus *Basilus* non tantum regulam scripsit, sed ex agris intra civitates, & oppida tum securitatis causa, tum ut monachi aliis exemplo præluerent, collocavit. *Barb. in tr. de statu Monach.* Aliam regulam non multo post, circa *Annum Chr. 392.* *S. August.* in Africa proposuit, sub qua hodieque multi Ordines vivunt. Tertiam in Occidente sub annum 520. *S. Benedictus* condidit: quibus tandem suam addidit *S. Franciscus* circa *Annum 1209.* Atque ita quatuor tantum Regulæ religiosorum ab Ecclesiâ approbatæ habentur. Nec facile ordo reperitur, qui non sub aliqua illarum vivat: quamvis varias Constitutiones superaddiderint. Soli Cathusiani, & Societatis Iesu clerici propriis Constitutionibus utuntur. *Antonin. Par. 3. tr. 16. §. 5. Silv. V. Religio l. nu. 7. Azorl. l. 1. c. 24. Less. c. 4. D. 2. Laym l. 4. tr. 5. c. 2.* De prædictis quatuor Regulis ita *S. Antoninus censet Par. 2. Chron. tr. 15.* Regula S. Basilii tatis intricata est. Regula S. Augustini multum generalis, & ad particularia parum descendens Regula S. Francisci brevis, & ob multitudinem præceptorum plena scupulis. Sed Regula S. Augustini

fini Patris Benedicti singula quæque clare describit. Quo autem sensu omnium Monachorum patriarcha S. Benedictus appelleretur, ab Antonio Perez explicatum invenies in *Comm. Reg. S. Bened. sub init. pag. 13.*

VIII. In quibusdam Ordinibus præsertim Mendicantibus reperiuntur *Conversi*, quorum non una species. *Tuschus V. Monachus. Concl. 113.* Alii enim tria vota nuncupant, & eandem cum aliis regulam profitentur: & hi veri religiosi sunt: alii monasterio servientes votu Castitatis tantum edunt, & pro sæculari alium habitum sumunt, distinctum tamen ab habitu Professorum. Hoc non esse verè religiosos ex n. V. patet. Alii denique domi suæ manentes habitum aliquo modo, seu quoad speciem ferunt, de piis quibusdam operibus V. g. ieiunio, & certis orationibus vovent: qui cum præcedentibus non merentur regulatum, aut religiosorum nomen. De tertiariis S. *Francisci* separatim viventibus & coniugatis in utramque partem dissevit *Rodericus Par. 2. Q. 66. art. 5.* contendens, saltem personas ecclesiasticas vocari posse: ideoque immunes esse, à tributis, & vectigalibus. At contrarium Leo X. definiit in Conc. Lateran. subiecitque tam propriis Parochis quoad Sacramentorum usum, quam Magistratui sæculari, quoad onera, & iudicia *Congr. Rituum in Spoletana terra. de Visso 20. Jun. 1609. teste Lezana in sum quest. Regul. to. 2. c. 14. nu. 34. Collect. Decis. Apost. Barbosa pag. 451. Decius in c. Ecclesia S. Maria de Constitutionib. De tertii Ordinis fratribus, & sororibus, qui simul collegialiter vivunt, & cum habitu Virginali aut viduali castitatem expresso voto profitentur, idem Leo Ponti-*

fex declaravit, gaudere omnibus privilegiis, quibus ipsi Fratres gaudent. Denique *Donatos & Oblatos* quod attinet, illi se Ordini alicui, vel Monasterio sine habitu, & professione addicunt ad perpetuum servitium: & quamvis privilegia Ordinis non participant, in quibusdam tamen connumerantur aliis, quasi verè religiosi forent. *V. Armilla V. Monachi.*

§. II.

De aspirantibus ad Statum religiosum.

I. **E**lectio, & assumptio Ordinis, seu habitus religiosi omnino libera esse debet. *c. Puella 12. Q. 2. Conc. Trident. Sess. 25. c. 17. & 18.* Quocirca peccant Primo parentes & cognati, qui quocumque modo impedire conantur. Nam invitis quoque illis possunt filii expleto pubertatis anno religionem ingredi, iuxta illud *S. Hieron. ep. ad Heliodorum.* Licet in limine pater iaceat, per calcatum perge patrem: sicis oculis ad vexillum crucis evola. *Secundò* peccant, qui illicitis modis ad suum ordinem potiùs, quam alium incautos iuvenes pellicunt, deprædicando, & extollendo ea, quæ commoda, & honorifica sunt, elevando autem, vel celando, quæ aspera: imò aliorum Ordinum institutum, & mores contemnendo. *Benè Silvester 2. monet, abstinendum à violentia, à Simonia, & mendaciis: permitti tamen, ut quis nutriet aliquem in sæculo ad religionem, vel munera offerat ad contrahendam familiaritatem. Az. l. l. 12. c. 1. Q. 2. Silvest. V. Religio 11. nu. 10. Vallensis l. 3. tit. 31. §. 3. Anch. l. 4. Moral. c. 4. num. 6. & seq.*

II. Vt

II. Vt ingrediantur Ordinem religiosum compelli possunt r. qui se Voto obstrinxerunt Neque enim deterior esse debet conditio eius, qui sponsalia contraxit, quem ad Matrimonii sponsonem complendam leges adigunt. *c. Propierea. de sponsalibus. 2.* Coniux, qui cum sciret Iuris dispositionem, in alterius professione, vel Sacri ordinis susceptionem consensit. *c. Vxoratus c. Cum sis. De convers. coniugum. 3.* Quibus ob delicti reatum à Iure constituta est pœnalis inclusio, vel detrusio in Monasterium: ita tamen, ut ad professionem faciendam inviti non cogantur. *Sancti de Matrim. l. 7. Disp. 39. Fill. Tr. 10. Par. 2. n. 149. Less. c. 41. D. 4. Roderic. Tom. III. Q. 13. art. 2.*

III. Et si servus naturalis, vel emptitius, vel bello iusto captus ab ingressu Religionis arcëatur *c. Si quis 17. q. 2.* illi tamē, qui ære alieno obstrictus est, licet appetere, & admitti potest, maximè si bonis suis cesserit: nec in Monasterio laborare tenetur, ut ex mercede sua debita solvat. Quod si ab illo monasterium bona acceperit, onus satisfaciendi Creditoribus in se derivat. At, *inquis*, iniuriam facit creditoribus. *Rt. Raym. & Silv.* excusari auctoritate Spiritus Sancti, cuius instinctus lex quædam privata est, cui publica seu communis cedere debet. *c. Dna sunt 19. Q. 2. Sanchez l. 6. Moral. c. 4. nu. 42.* Aliqui tamen datam doctrinam ad illos restringunt, qui nullam spem habent intra paucos annos solvendi, quamvis extra religionem in priori statu manerent. *Azor. l. 12. c. 1. Q. 5.* Hi multò magis negabunt licere Ordine assumere illis, qui vel reip. vel aliis obligati sunt vi muneris sui ad ratiocinia, seu Computum: quanquam *Silv.*

cum quibusdam aliis eam facultatem solis quæstoribus publicis negent. Consulendum certè omnibus, ut satisfaciant prius, quoad usque fieri potest. De illis, qui ære alieno gravati sunt, legi utiliter potest. *Roderic. tom. 3. Q. 10. ar. 9. & Comitulus l. 2. Respons. Moral. Qu. 16.* qui circa finem monet, hoc tempore per Bullam Sixti V. ius ingrediendi religionem decoctoribus, & quorum æs alienum superat eorum bona, si ob eam rem timendum sit. Ne lis eis inferatur, aut iam sit molestia illata.

IV. Ingressum religionis prohibet parentum gravis necessitas, quam filius sublevare potest. *Matth. 9. V. 13. Misericordiam volo, non sacrificium.* Quin etiam professus, ut subveniat Patri extremè laboranti monasterio egredi potest, & debet, etiam invito superiore. Idem cuiusque alteri præstandum, si præter te religiosum nemo alius esset, qui iuvare posset. Id namque Naturæ lex, & charitatis exigit, cui omnis alia obligatio cedit. *Dixi extremè laboranti.* Nam si gravis tantum fuerit necessitas, nec aliud medium occurrat, post profelsionem non sine consensu Prælati ad tempus exhibit. *Alens. Par. 3. q. 31. S. Thom. 22. qu. 101. art. 1. Silv. V. Religio n. 6. Angel. n. 11. Nav. c. 14. n. 14. Filius. Tract. 28. par. 2. c. 1. n. 8. Emm. Sa. V. Religio n. 1. Less. c. 41. D. 3. Laym. l. 4. tr. 5. c. 4. Suar. 3. de Relig. l. 5. c. 5. §. Verum gravi.* Eadē est obligatio parentū erga filios, si simili necessitate premantur. *Less. l. cit.*

V. Qui ingressum religionis vovit indeterminate, reiectus ab uno ad aliū Ordinem accedere, & petere debet: si nulli bi recipiatur, sub obedientiâ Episcopi regularem vitam agere potest, quamvis ad

A a

hoc

hoc non teneatur: quia à voto suo liber est, in quo ut Archid. benè notavit, inclusa conditio erat, *Si volunt me recipere*, quâ conditione extincta perit voti obligatio: ac proinde, si velit, nubere potest. Quòd autem ab uno ordine non admissus, alium petere debeat, *Comitolus l. 2. Q. 16.* probat hisce tribus rationibus. *Prima* est, quemadmodum species non perimit genus: neque enim sublata equi vel bovis specie animal extinguitur, ita obligatio speciei, generis obligationem non tollit. *Secunda*, Non, quia una familia displicet V. g. Carthusianorum propter austeritatem, aliæ similiter displicebant. Tentandum igitur, & expertundum, num S. Benedicti, Francisci, aut alia quæpiam conveniat. *Tertia*. Qui communitati alicui, aut Senatui obligatus est, non liberatur onere servitutis, si unus vel alter illius famulatum respuat: ita qui Universitati Religionum obstrinxit se, non liberatur obligatione, si ab una, vel altera non acceptetur. *Ita Comis.*

VI. Qui vovit certum ac determinatum ordinem, plura monasteria adire & supplicare debet, non tamen in exteris & remotis provinciis posita. Non credo. *ait Silvester*, quòd teneatur discurrere per mundum, ut inveniat se recipientem, quia non est verosimile, quòd ad id voluerit se obligare. Quòd si unum aliquòd monasterium propter specialem complacentiam illius animo suo destinasset, ab eoque rejiciatur, non teneatur aliud eiusdem ordinis pulsare: quia sicut effectus non excedit virtutem causæ suæ, ita nec voti obligatio intentionem voventis. Nee Paludani ratio stringit, vo-

visse recessum à sæculo, cum certum aliquem ordinem, aut monasterium deligeret. Non enim aliter recessum illum, quàm per talem ingressum, & receptionem intendit. *Navar. c. 12. num. 46. Em. Sa. V. Votum numer. 12. V. Suarez. III. De Relig. l. 4. c. 2. num. 9. Less. c. 41. Dub. 5.*

VII. Dubium est, an qui certum aliquem ordinem vovit, teneatur in eo manere, & professionem edere? Si simpliciter vovit ingressum iuxta communem modum cogitandi, & vovendi Ordinem, non videtur obligatus, nisi ad suscipiendum ordinem, & illius consuetam probationem. quâ peractâ si propter impedimentum aliquòd non admittatur ad professionem, satisfecisse censetur voto suo, & liber ad quemcunq; alium statum. Persuasum habeo, *ait Navarrus c. 12. num. 47.* illum, qui sic vovit, posse intra annum probationis, religionem, quam elegit relinquere, eo solo, quòd modus ille vivendi displiceat. *Ibidem num. sequi* peccare illum, dicit, quòd cum vovisset strictiorem ordinem, postea assumit laxiorem: in quo tamen si professionem fecerit, manere poterit. Unde sequitur, multò magis peccare illos, qui ideo hoc illudue monasterium eligunt, vel ut eligatur, suadent, quia laxior inibi disciplina est, ubi, ut nonnemo dixit, *Saginaturs corpus, & occiditur animus. Sanch. l. 4. Moral. c. 16. numer. 86. Suar. l. 4. de Voto c. 8. num. 7 Rodericus Par. 2. Summa c. 95. Concl. 6. Sanch. l. 1. De Matr. Disp. 34. Laym. l. 5. Tr. 5. c. 6. num. 12.* qui benè animadvertit, in eo, qui prædicto modo vovit, debere sincero animo Religionem ingredi, &
habi-

habitu ferre cum proposito perseve-
randi, & proficendi, si eam sibi consen-
taneam expertus fuerit. Quod si absque
rationabili causa retro vertitur, di-
misso habitu, reum se mortalis culpæ
facit. *Navar. l. 3. Consil. 23. num. 3. de
Voto.*

Denique quam graviter offendant
DEUM, & noceant, parentes, cognati,
aliique impediētes & avertentes eos, qui
de vita Religiosa propositum susceperunt,
multis rationibus & exemplis ac-
curatè docet Hieron. *Platus de bo. Status
religiosil 3. c. 35.* Si separans pretiosum à
vili, nempe animam à sæculo, erit tan-
quam os DEI, ille, cuius os, & manus ex-
erabit animam adhærentem DEO ad sæ-
culum, quid erit? *Anselm. ep. ad Goffri-
dum.*

§. III.

De Novitiis.

I. **Q**ui ad annum probationis admil-
sus est, Novitius propriè cen-
setur, & vocatur Regularis novitius. *Tus-
chus Conclus. 121.* Annum probationis,
quem plerique Ordines servant, ætatis
quinto decimo inchoare convenit, ut ex-
pleto sexto decimo professionem edat,
de qua re sic statuit *Concil. Trident. Sess.
25. c. 15.* In quacunque Religione tam
vitorum, quàm mulierum professio non
fiat ante decimum sextum annum exple-
tum (: intellige tam physicè quàm mora-
liter :) nec qui minori tempore, quàm
per annum (: non interpolatum,) post
captum habitum in ordine steterit, ad
professionem admittatur: professio au-

tem facta sit nulla, nullamq; inducat ob-
ligationem alicuius regulæ vel religionis,
vel ordinis observationem, aut alio.
quoscunque effectus. *Ita Concilium.* At
Congregatio declaravit. *Primò* eum qui
emittit professionem intra annum proba-
tionis non esse obligatum neque ad Re-
ligionem in genere, neque in specie, &
diem computandum à die post decimum
sextum annum expletum eius, qui mona-
sterium ingressus est. *Secundò.* Non com-
prehendi prædicto decreto quoad tem-
pus probationis, & professionis Ordine
militum Regularium Ierosolymitas
num, quia in odiosis non comprehen-
duntur nomine Regularium. *V. Azor.
Tom. 1. l. 13. c. 4. p. 4. Suar. 3. De Relig.
l. 5. c. 13. & seq Roderic. Tom. 3. Q. 15.
art. 3.*

II. Nihil prohibet absoluto probatio-
nis anno differri professionem, modò id
rationabilis causa exigat, puta si Novitius
morbo laboret, si quid adhuc corrigend-
um, vel disponendum. Si verò post annū
probationis deficiat & pœnitentia ductus
redeat, recipi posse ad professionem abs-
que nova probatione censet. *Layman ci-
rans Rodericum tom 3. q. 15.* Quod rigo-
rem, & rem ipsam spectando admise-
rim: quod verò praxin attinet, neminem
fore aded benignum, & cupidum existi-
mo; qui ad professionem recipiat hominē
inconstantem, qui pro arbitrio eat, & re-
deat, manum ad aratrum mittat, cōtinuò
respiciat, deserat & brevi intervallo resu-
mat. Minimum pœnitentia aliqua casti-
ganda levitas erit, & scandalum parvulo-
rum avertendum. *Sanchez l. 5. c. 4.*

III. Quo modo annus probationis
continuus esse debeat, multis expendie

Rodericus to. 3. Q. 15. art. 4. Et definit 1. annum probationis non computandum de momento ad momentum, sed posse Novitium ipso die, qui anni sui ultimus est, professionem edere: licet inde propter bonorum dispositionem alii damnum sentiant. Hanc doctrinam probat argumento Ulpiani de Usucap. In usucapionibus enim non computamus à momento ad momentum, sed totum ad postremum diem computamus, ideoque qui hora 6. Calend. Ian. possidere cœpit, horâ sextâ diei pridie Cal. Ian. implet usucapionem. Contrarium verò Suarez tradit To 3. de Relig. l. 5. c. 15. aded, ut si Novitius habitum induerit primo die Ianuarii post meridiem, non possit eodem die recurrente profiteri ante meridiem. Idem tenet Sanchez l. 1. de Marr. D. 24. & Less. l. 2. c. 41. D. 7. num. 59. dicens, expedandum esse punctum suscepti habitus. Similiter in ætate expectandum, ut recurrat punctum Nativitatis. Et hoc ad mentem Conc. Trid. haud dubiè accommodatus est. 2. definit Rodericus in anno bissextili duos dies pro uno computandos. Cum enim materia hæc politica & civilis sit, de ea politice & civiliter loqui debemus. Unde sequitur, quòd annus probationis non debet esse solaris & naturalis, hoc est, dierum 365. & 6 horarum, sed debet esse annus à rep. pro tali declaratus. 3. ex indulto Pii V. Moniales novitias, quæ legitimam ætatem ad profitendum habent, in articulo mortis constitutas edere professionem posse, etiam nondum finito probationis anno, sed professionem illam, quæ pro conscientie solatio indulgetur, non præiudicare ulli qui ius habet ab intestato

succedendi. Roder. 3. q. 15. ar. 6. Caramuel in Reg. S. Bened. num. 464. Barb. inc. ad Apostol. de Regularibus. 4. Novitium, quamvis contrarium disputando defendi queat, renunciare non posse iuri suo, & ante annum probationis expletum profiteri: aliàs idem de ætate 16 annorum dicere liceret. 5. Non requiri, ut annus probationis continuus sit, sed sufficere, si integer sit, citatque pro confirmatione Iulii II. indultum, quo Fratribus Minoribus concedit, ut si quis ex Novitiatu recesserit & redierit, tempus primæ receptionis cum posteriore iunctum computetur: neque huic favori derogatum videri à Concil. Trident. Verùm modo Cardinalium Congregatio aliter decidit, ut videre est lo. citato, videlicet annum requiri non interpolatum, & quidem intra claustrum, (intellige non materialiter, sed formaliter:) manendo sub obedientia Prælati. Lessius tamen l. cit. putat paucorum dierum interpolationem nõ obesse continuitati: Diana Par. 3. tr. 2. Res. 57. Suar. tom. 3. De Relig. l. 5. c. 15. Sanchez in Decal. tom. 2. l. 5. cap. 4. Silve Religio V. num. 4. Zerola Par. 2. V. Professio nu. 3. Escobar Tract. 7. Exam 6. c. 7. Caramuel in Reg. S. Bened. n. 463.

IV. Esse de substantia, ut Novitius annum probationis agat in habitu Ordinis, affirmat Panormitanus in c. sup. eo de Regular. ut à Roderico allegatur Tom. 3. Q. 15. a 9. Pro contraria opinione citatur & reprehenditur à Silvestro loc. cit. num. 5. qui deferendum dicit à Novitio habitum Ordinis, quem cupit profiteri ex consuetudine, quæ sit legum interpret. Nam in ipso habitu magna est austeritas, quam experiri Novitios convenit

convenit: ex causa tamen aliter fieri posse. Hoc tempore de substantia anni probationis esse habitus religiosi gestationem toto tempore. *ex Conc. Trid. Sess. 25. c. 15. probat. Barb. de potest. Epis. par. 3. allegat. 101. & in c. legem D. 53. Item c. multos D. 54. Suar. 111. de Rel. l. 5. c. 14. Azor. l. 1. c. 2. q. 9. Reg. l. 18. n. 384. Miranda Tom. 1. q. 22. art. 6.*

V. Non tenetur Novitius omnes austeritates Ordinis in specie, & individuo experiri. Nam exempli causa, quod de suo Rodericus adducit, fratribus Minoribus prohibitum est, sub peccato equitare, quod præceptum Novitius experiri non potest, quia occasio & necessitas deest. Deinde fac, Novitium aliquem per aliquot menses ægrotare, quo tempore jejunium, & alia pœnæ sustinentur, nemo illum propterea à professione excludet. Sufficit ergo generaliter experiri de gendo sub obedientia Prælati. *Azor. l. 1. c. 2. q. 10. Suar. l. cit.*

VI. Novitii non obligantur sub culpa ad præcepta Regulæ, neque ad recitationem horarum Canonicarum, nisi aliunde obligatio sit: quia nondum voverunt obedientiam & observantiam Regulæ. Ita communiter DD. Monet tamen Silvester inducendos esse, ut servant ad probandum, & consuevendum. *Dixi sub culpa sive peccato*, cujus nimirum reus fieret, si professus esset: nunc autem quamdiu professus non est, non censetur Regulæ transgressor: peccare nihilominus potest contra obedientiam, & veracitatem, quia eo ipso, quod se ad probationem subjicit Prælato, ei se parituum pollicetur, in omnibus, quæ ad regularem Novitii institutionem pertinent. Et quia

exerceri nequit absque regulæ observatione, amplecti illam, & observare debet ad minimum ne reus pœnæ fiat. *Addit Suarius Tom. IV. de Relig. l. 2. c. 8. & l. 10. c. 5. obligari posse ad ea, quæ per se cadunt sub jurisdictionem Episcopi sine speciali respectu ad professionem Religiosam v. g. ad dicendam veritatem in casu occurrente, ubi legitimè interrogatur: vel ad restituendum ablatum, vel vitandam talem occasionem peccati, cogendo etiam per censuram, & similia, quæ ad jurisdictionem Episcoporum pertinent, & non possunt exerceri ab Episcopo propter exemptionem, sub quâ Novitii quæque censentur vivere. Quid verò, inquis, factum opus, si Novitius grave aliquod delictum v. g. homicidii perpetraret? Navarr. Consilio 58. de regularibus ex opinione probabili asserit, Superiorem Ordinis cognoscere & judicare posse delicta civilia, & criminalia Novitiorum, cujusmodi est homicidium perinde, ac si esset professus, quod etiam *Azor. l. 1. c. 2. q. 11. & Laym. l. 4. tr. 5. c. 4. approbat. Quamvis enim Novitius propriè loquendo non sit religiosus, in favorabilibus tamen sub eo nomine continetur, adeoque privilegio Canonis fruitur. quid ni etiam fori? Horas Canonicas quod attinet, malè censet Paludanus teneri, eò quod privilegii gaudeat. Aliàs similiter ad omnia onera, non minùs, quàm professi obligantur, quod nemo dixerit. Cur autem non teneantur horas Canonicas legere, Ratio est, quia nullum de eo præceptum extat, nec consuetudo exiget. Fieri tamen potest, ut in aliquo Ordine contraria consuetudo vigeat, cui parendum. *Oliverius Bonartius de horis Canon.***

pag. 333 *Suavius III. de Relig. l. 5. c. 6. Laym. l. 4. tr. 1. c. 4. Perez. in Reg. S. Bened. c. 19. n. 13.*

VII. Casus reservati communiter apud Religiosos non pertinent ad Novitios, ut communi sensu DD. tradunt. Cum enim nondum professi sint, adeoque nec religiosi propriè, in odiosis non participant. Prælati nihilominus casus aliquos reservare possunt, & inferioribus Confessariis adimere potestatem absolvendi etiam Novitios. Nam quicumque ordinariam Ecclesiasticam jurisdictionem habent, potestatem suam inferioribus communicare possunt cum restrictione ita tamen, ut quoad reservationem Casuum servetur. *Clem. VIII. Constitutio de quâ Suavius IV. de Relig. l. 2. c. 18.* Verùm dubitant aliqui an nihilominus Novitio adire liceat alium Sacerdotem sæcularè, qui aliàs potestatem habet Laicos à Casibus reservatis absolvendi. *Rodrig. tom. 1. q. 21. art. 11.* existimat posse, quia Novitii non sunt subiecti statutis Regulæ. Contrarium censet Corduba, cui adhæret *Layman. l. 4. tr. 5. c. 4. n. 4. & respondet argumento Roderici.* Quamvis Novitii statutis Regulæ non sint subiecti, subesse tamen jurisdictioni Prælatorum exemptorum, non minus, quàm Clerici sæculares Episcopo suo. Verùm esto, non liceat Novitio adire Confessarium extraneum absolutionis causa, si fecerit tamen, nunquid validè absolvetur? Dubito, quamvis citatus Rodericus Monachos Ordinis sui condemnare non audeat, si contra Apostolicas prohibitiones Bulla cruciata utantur ad absolutionem à casibus reservatis. *Regin. l. 1. n. 245. Et l. 8. n. 37.*

VIII. Novitius, qui beneficium Ecclesiasticum habuit, non amittit illud per

susceptionem habitus religiosi, sed usque ad professionem retinet: interea tamen satisfacere per Vicarium debet. *c. Beneficium regular. in 6.* ubi tamen additur limitatio, nisi constet, quod vitam voluerit simpliciter mutare, vel professionem expressè fecerit, seu scienter habitum professorum receperit: quæ omnia hoc tempore locum non habent quia secundum *Con. Trid. Sess. 25. c. 16.* durante anno probationis nihil immutandum est in similibus: imò ne quidem valida erit renunciatio beneficii à Novitio facta, nisi fiat cum solennitate à *Con. Tr. Sess. cit. c. 16.* præscripta. Fructus quod attinet, illos percipere potest, qui ratione tituli debentur: Vicarius iis potietur, qui propter residentiam dantur. Si verò novum beneficium offeratur, quamvis minimè conveniat, absolute loquendo, recipere poterit, quia tam est hujus boni, quàm aliorum capax. *c. Beneficium de regularib. in 6. Azor. l. 1. c. 3. Roder. l. 9. art. 1. Suar. 10. III. de relig. l. 5. c. 16. n. 12.* Adde consulendum non esse, ut Novitius beneficio abdicet se, ne quod cani cuidam accessisse dicitur, propter umbram in aqua visam, quam non habet, dimittat, quod actu habet.

IX. Ad nullam Prælaturam monasticam seu Ordinis religiosi cujuscunque Novitius promoveri, eligi, aut postulari potest. *c. nullus 28. de elect. in 6.* Aliter factum irritum, & inane est. Imò nec ordines aut primam tonsuram recipere *19. q. 3. c. Monasteriis.* ut ferè DD. explicant. Si quis tamen ipsum textum ponderare voluerit, reperiet ibi Pontificem non loqui de tonsura Clericali, sed monastica, pro qua requirit triennium probationis.

Melius

Melius igitur Suarez censet; nullam prohibitionem extare, quod Novitius ordines non possit recipere. *Suar. 111. de relig. l. 5. c. 16. n. 13. Az. l. l. 12. c. 2. g. 12. Barb. in c. nullus cit. Roder. l. cit. g. 34. art. 3. Sylvest. V. religio. §. 5. n. 9. Tusch. V. Monach. Concl. 27.*

X. Quamvis Novitio aditus præclusus sit ad Prælaturas, & dignitates Monasticas, seu regulares, eligi tamen in Episcopum potest, imò ad alias quoque sæculares dignitates & beneficia saltem validè. De Episcopatu jus manifestum est in c. nullus de elect. in 6. Ad alia beneficia, ut eligi queat, nihil in jure statutum reperitur, sed DD. communiter censent eligi non posse, si tamen fiat, electionem validam fore. Causam sumere licet ex necessitate, quæ non ubique eadem. Nam Ecclesia plurimum indiget bonis Episcopis, & Pastoribus, ac proinde si Novitius quispiam dignus reputetur, non est ordinis Monastici bonum communi Ecclesie utilitati anteponendum, præsertim cum Episcopatus susceptio non obstat Religioni. Poterit enim idem manere Episcopus, & simul edita professione Religiosus. *Suar. & Barb. l. cit.*

XI. Liberum est Novitio tempore probationis suæ mutare statum, & vel alium Ordinem appetere, vel ad sæculum redire. Sufficit pro causa Ordinem non placere, non videre convenientem sibi. *Consultissimus. c. c. statum. 20. de regul. ubi Greg. IX. ait Novitios in probatione positos ante susceptum religionis habitum, vel ante professionem emissam ad priorem statum redire posse liberè intra annum. Ratio est, quia ingressus religionis nullam inducit obligationem præservandi, vel non deserendi, nec aliunde peti aliqua prohibi-*

tio potest. Contra gratitudinem peccare dices, quia Deo vocanti ad meliorem vitam non obsequitur, maximè cum ex solo vitam Religiosæ radio recedit. Dubium non est, quin prava intentio egressum Novitii vitare queat: sed hoc commune omnibus actionibus est, quæ ex se indifferentes sunt: abstrahendo autem à peccatis meræ malitiæ Novitii deseret habitum Religionis non peccant ingratitude. Nam primò licet supponamus à Deo vocari, nõ constat Deum velle, ut in tali Ordine perseveret usque ad mortem, aliàs nunquam liceret ab uno ordine in alium migrare, & fieri potest, ut ingressus in hunc ordinem, & probatio ad majus bonum dispositio sit. *Secundò* egrediens alios fines habere potest, quàm Ordinis fastidium vel odium, videlicet ut similem vitam inter sæculares agat, ut de alio Ordine suscipiendo cogitet, & similia. Ut plurimum tamen, nisi manifesta & rationabilis causa appareat, cujusmodi est morbus, vel debilitas, ingratitude committitur saltem negativa, quia non responderet beneficio & vocationi divinæ, quantum posset, ac deberet. *Regin. l. 18. n. 383. Barb. in c. statuimus de regular. cum DD. ibi cit.*

XII. Qui egreditur ex Ordine aliquo ante professionem non tenetur illi ad expensas, & compensanda illa, quæ probationis tempore consumpsit. Ita communiter Doctores, & ratio ex c. statuimus. sumitur. Nam si expensæ præstasæ forent, non esset omnino libera potestas egrediendi: detinerentur enim non pauci, donec ultimum quadrantem solvissent. Accidit tacita hæc conventio inter Ordinem & Novitium, ut hic recipiatur, & experiatur, an par sit oneribus ferendis, subeatque

subeatque experimenta & ordini deseruiat: ab illo autem vicissim nutriatur abque alio contractu, vel onere. Denique usus & experientia generalis ita faciendum suadet. Similiter si Novitius ingrediens Monasterio donasset aliquid non tenetur reddere nisi eam partem, quam non consumpsit pro rata temporis. *Barb. l. cit. Dian. par. 3. tr. 2. Res. 16. Escobar. tract. 6. exam. 7. c. 2. n. 29.*

XIII. Novitio, quam diu in probatione est, non licet Matrimonium contrahere. *Gloss. in c. Beneficium V. conferendum.* Si tamen contraxerit, validum est, sed continuo dimitti debet, ne Monasterii fruges frustra consumat. Si non abierit, eorum, quæ absomit restitutionem facere tenetur, computando à die contractus initi. Licet autem voluntatem mutare, & continuare probationem, si forte ad professionem suo tempore faciendam à Deo impellatur. Si post contracta sponsalia habitum susceperit, ipse quidem manebit obligatus, sponsa verò minimè, sed cum quocunque alio contrahere poterit. *V. Suarez III. de relig. l. 5. c. 11. num. 8.*

XIV. Nulla renunciatio bonorum aut donatio à Novitio facta ante duos menses proximos professioni valida est, quamvis iuramentum accederet. Ita statuit *Con. Trid. Sess. 25. c. 16.* ubi Congregatio declaravit Novitium qui sui juris est, & parentes non habet, non posse in Religionis ingressu præter victum donare aliquid monasterio amore Dei. Ratio sumitur ex damnis, & incommodis, quæ oriri solent ex eiusmodi donationibus, quando Novitii mutant propositum suum, nec ad professionem perveniunt.

NOTA. Prædictam Concilii prohibitionem, ut bene animadvertit. *Rodericus par. 2. q. 48. art. 16.* non habere locum in Novitius Societatis Jesu, quia illorum professio in multos annos differtur, juxta dispositionem. *Exam. c. 1. §. 12. & c. 4. §. 16. Roder. Tom. 1. q. 37. art. 2.*

XV Vota Novitiorum omnia sive sint peregrinationis, sive alterius pii operis tempore probationis usque ad professionem factam cessant quoad obligationem, nisi ejusmodi sint, quæ cum conluetis exercitiis impleri commodè queant. Licet etiam Prælati Novitiorum vota in sæculo nuncupata commutare in opera pietatis quotidiana, puta, psalmodiam, orationem, jejunia, & similia. Irritare verò permillum non est, ut *Navarr. c. 22. n. 9.* advertit, quia Prælati in Novitios non habent potestatem dominativam, sed spirituales tantum. Quomodo autem ejusmodi vota extinguantur per Professionem §. seq. dicemus. *V. Sotol. 7. de just. art. 1. Silv. votum IV. n. 2. Azor. l. l. xi. c. 17. q. 3. Suarez. III. de Relig. l. 5. c. 11. n. 9. Navarr. c. 17. n. 65. Roderic. Tom. 1. q. 25. art. 8. Alcoer. in Summâ c. 16. Fill. Tr. 26. c. 8. n. 242. Sanch. l. 9. de Matrim. disp. 39. n. 43. & seqq.*

§. IV.

De Professione.

I. Professio duplex est, expressa, & tacita *c. 1. de Regularibus in 6.* Expressa peragitur verbo, vel scripto, vel utroque simul. Certa verborum forma nulla est, sed sufficit quæcunque votorum nuncupationi æquivalens. Tacita

tribus

tribus modis fieri potest. *Primo* si quis anno probationis completo habitum Professis proprium & usitatum à Novitiorum habitu distinctum triduo gestaverit *c. ad nostram de Regular. c. Constitutio- num: eod. in 6.* *Secundo* si tali habitu indutus etiam ante triduum exactum actum aliquem exerceat solis Professis compe- tentem v. g. in Capitulo suffragium fe- rat *c. vidua de Regular.* *Tertio* si anno continuo habitum in Ordine tulerit, in quo nimirum nullus est manifesta distinctio inter habitum professorum, & Novitio- rum. *Clem. Eos. de regularibus.* Quocirca ad vitandam obligationem, vel ante an- ni finem deponendus habitus est, vel protestatio facienda, nunquam edendi professionem, quia talis protestatio tollit presumptionem de voluntate, & con- sensu in professionem. Nec de his taci- tis professionibus, ubi nihil de requisitis deest, à *Concil. Trid.* quicquam immuta- tum est *Sess. 25. c. 15.* ut non uno loco Congregatio declaravit. *V. Barbof. in Col- lectan. in Concil. Trident. Regin. l. 18. c. 26. Silv. Religio III.*

II. Ut Professio expressa vel tacita in Ordine quocunque valida sit, tres condi- tiones requiruntur. *Prima* est aptitudo personæ voventis, sublato omni impedi- mento. Ubi quondam cum matrimonio comparationem habet. *Secunda* consen- sus & acceptatio, illius, ad quem perti- net suscipere, & admittere *c. ad Apostoli- cam de Regular.* *Tertia*, ut actus professio- nis liber sit nullâ vi, metu injusto, aut dolo extortus, *c. 1. de iis que vi. Et. ult. Qu. Clerici voventes jun. Gloss. V. Vel modica.* E- jusmodi vis censetur v. g. si Novitius in- carceratus sit, si fame maceretur, aliilve

ærumnis, quia vel manere, vel profiteri renuit. Quin etiam metus reverentialis injustè incussus quamvis communiter sufficere non existimatur ad infirman- dam professionem, si concurrant alia, quæ difficile est abigere, puta precum importunitas, blanditiæ, indignatio, & offensio cognatorum, & similia, irritam aliquando reddere professionem poterit. *Sily V. Religio III. num. 11. Diana par. 4. tr. 3. resol. 55. Less. l. 2. c. 17. Conj. g. Tom. 11. Disp. 28. Layman l. 4. Tract. 5. c. 5. Rodrig. Tom. III. q. 17. Vallensis l. 3. tit. 3. §. 3. Escobar. tract. 6. Exam. 7. c. 3. n. 37. Lugo de justit. D. 22. Sect. 2. n. 267.*

III. Cùm professio invalida est prop- ter defectum aliquem ex conditionibus requisitis, nullam penitus obligationem relinquit, nec impedimentum matrimo- nio adfert. In foro externo autem si liti- getur, onus probandi incumbit illi, qui invalidam professionem esse dicit, ipsi nimirum professo, idque tantum intra quinquennium à die professionis, ut *Concil. Trid. declaravit Sess. 25. c. 19.* Si non fecerit, ad servanda vota, quasi verè pro- fessus adigetur, quia præsumitur intra tantum temporis ratificasse professio- nem factam. Ipse tamen in conscientia suâ obligatus non est, seque fugâ, vel alio modo liberare potest, dummodò scâ- dalum absit. *Navar. l. 1. Consil. 9. & 89. Sanch. l. 7. de matrim. Disp. 37. Less. c. 41. D. 7. Laym. l. 4. tr. 5. c. 5. n. 7.*

IV. Professio religiosa per Procurato- rem fieri potest. Generaliter enim per Procuratorem fiunt omnia, quæ jus non prohibet *l. 1. §. V usufruct ff. de procurat. & c. Potest quis de Reg. iur. in 6.* Potest quis fa- cere per alium, quod potest facere per seipsum.

Bb

seipsum.

seipsum. Equidem in multis, ut Dynus declarat, prædicta Regula fallit, non tamen in materia Votorum, & professionis, de qua agimus. *V. Gloss. in c. qui ad agendum de procur. in 6. ubi cum multi excepti casus numerentur, professionis nulla mentio fit. Azor. l. l. 12. c. 5. q. 5. Sylv. v. Religio III. q. 15. Em. Sa. Religio n. 14. Suar. III. l. 6. c. 12. n. 22. Roder. III. q. 17. art. 13.*

V Ad professionem religiosam requiritur, & sufficit trium votorum, Paupertatis, Castitatis, & obedientiæ solennis nuncupatio in Religione approbata. Atque hic est sensus communis Doctorum omnium, & totius Ecclesiæ. *c. cum ad Monaster. n. 6. de statu Monach.* In quo autem solennitas voti consistat, non eadem omnium opinio est. Duæ præferuntur, una, consistere in traditione, qua se persona tradit, & quasi mancipat Ordini per Prælatum, qui reciprocè obligat se, & ordinem, acceptando prædictam traditionem, & personam voventis. *Ita cum S. Thom. multi veteres.* Ex recentioribus Soto Arragonius, & alii apud Suarium Tom. III. de Relig. l. 2. c. 7. Azor. l. l. 12. c. 6. Altera opinio est, consistere in celebritate & formula à Jure Canonico præscripta, ita ut si v. g. Petrus castitatem perpetuam voveat, & eandem Paulus, hujus votum simplex sit, illius verò solenne, ob id tantum, quia fit cum illa cæremonia, & modo, quem Ecclesia requirit. Ita post alios Azor. *loc. cit. & Sanch. l. 5. Mor. c. 1. n. 11. & seq.* copiosè declarans. Unde inferitur, vim & effectum voti solennis non ex natura rei, sed sola Ecclesiæ constitutione manare, ita, ut Votum Castitatis in Religione, & in eo, qui Sacros Ordines suscipit, censeatur dirimere Matrimonium,

quia sic ab Ecclesia definitum est, ut expressè legitur in *c. quod votum. de voto & voti redempt. in 6. Vbi Bonifacius Papa, Nos attendentes quod voti solennitas ex sola constitutione Ecclesiæ est inventa, præsentis oraculo sanctionis declarandum duximus, illud solùm Votum dici debere solenne, quantum ad post matrimonium contractum dirimendum, quod solennizatum fuerit per susceptionem ordinis sacri, aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis; reliqua verò vota rescindere non posse matrimonia post contracta. Ita tunc temporis in Ecclesia servabatur: nunc jure novo Votum Castitatis simplex, quod Societatis Jesu religiosi post biennium probationis edunt, æquè Matrimonium dirimit, atque professio, quamvis ipsi non profiteantur, ut patet ex Bullâ, Ascendente Domino Greg. XIII. Pauli III. Iulii III. Pii IV. & Pii V. Constit. Soc. IESV parte 5. c. 4. Suar. iv. de relig. l. 4. c. 1. Sanch. l. 7. de Matrim. D. 25. n. 2 & l. 5. Moral. c. 1. n. 6. Vasq. 12. q. 96. art. 4. D. 165. c. 2. Azor. l. l. 12. c. 6. q. 2. Laym. l. 4. tr. 5. c. i. Dixi Vota illa requiri, & sufficere, quod ita explicari potest. Status vitæ religiosæ tribus modis considerari potest. *Primò*, ut est holocaustum, quo totum se Deo consecrat Religiosus. *Secundo*, ut est modus vivendi secundum perfectionem, ad quam tendit. *Tertiò*, ut est separatio ab iis, quæ impediunt sanctitatem vitæ. Si primo modo consideretur, manifestum est non fieri holocaustum, ubi non offeruntur omnia Deo. Si secundo modo, nullus ad perfectionem aspirare potest, nisi exuat affectum erga caduca bona, & voluptatem*

tem

tem corporis, ac proprietatem voluntatis. Si tertio modo consideretur, constat præcipua melioris vitæ impedimenta esse cupiditatem rerum terrenarum, oblectamenta carnis, & proprium iudicium. His omnibus opponitur directè Paupertas, Castitas, & obedientia Religiosa, in quibus consistere professionem diximus. Non dubium est, alias quoque Virtutes ad vitæ perfectionem desiderari, puta humilitatem, patientiam, & similes. At in prædictis ad unum omnes continentur, quia obedientia promittitur non nudè, & simpliciter, sed secundum uniuscujusque Ordinis Regulam, & Constitutiones, quæ omnimodam vitiorum extirpationem & virtutum institutionem præscribunt. *V. Lessium c. 41. dub. 1. Valentiam tom. III. disp. 10. q. 4. pun. 2.*

VI. Religiosæ professionis effectus sunt undecim 1. Professio incorporat Ordini, facitque membrum illius, ita ut separare se pro libitu nequeat, habeatque jus superior reducendi illum, ac puniendi, quemadmodum fugitivis militibus accidere videmus. Ordo vicissim illi obligatur ad omnia illa præstanda, quæ secundum Regulam uniuscujusque Ordinis consueta & necessaria sunt. Hic effectus ab obedientiæ voto manat, cui annexa est traditio. An autem ex ejusmodi traditione nascatur obligatio justitiæ, an fidelitatis tantum, & observantiæ, inter Doctores controversatur. Esse simul justitiæ censet *Lessius c. 41. num. 67.* quia utriusque partis, id est, tam voventis, quam recipientis præter honorem DEI, & salutem animæ utilitas intenditur: quemadmodum inter

milites, & Ducem. Quæ opinio probabilis est. 2. Effectus est, inhabilem reddere ad contrahendum Matrimonium, ita ut ejusmodi contractus quocumque modo, & ritu initus nullam validitatem habeat. *c. quod votum. de voto in 6. ubi Bonifacius VIII.* Quod votum debeat dici solenne, atque ad derimendum Matrimonium efficax, nos consulere voluisti. Nos igitur attendentes, quod voti solennitas ex sola institutione Ecclesiæ inventa est; matrimonii verò vinculum ab ipso Ecclesiæ capite, rerum omnium conditore ipsum in Paradyso instituente unionem, & indissolubilitatem accepit: præsentis declarandum duximus oraculo sanctionis, illud solum votum debere dici solenne, quantum ad post contractum matrimonium dirimendum, quod solennizatum fuerit per suspensionem sacri ordinis: aut per professionem expressam, vel tacitam factam alicui de Religionibus per Sedem Apostolicam approbatis. Reliqua verò vota etsi quandoque matrimonium impediunt contrahendum, rescindere non possunt matrimonia post contracta. Ita *Bonifacius.* Vnde colligimus solo Ecclesiastico jure professi matrimonium irritari: quod antiquissimum esse patet ex *Conc. Cartha. c. 104. cui S. August.* interfuit, & ex aliis multis Canonibus. *27. quest. 1. c. Viduas ex Gregorio. c. Quæ autem Innoc. 1. c. Impudicas ex Conc. Tribur. V. Azor. l. 1. c. 6. Bellarm. l. 1. de Matrim. c. 21. Sanch. l. 7. de Matrim. disp. 26. 3.* Professio Matrimonium ratum, & necdum consummatum dissolvit. *Concil. Trident. Sess. 24. can. 6.* Quo autem jure id fiat, non una omni m

opinio est. Placet illorum, qui solo jure Ecclesiastico fieri censent, quod ab Apostolorum temporibus huc usque traductum, & observatum sit. Etenim solenne & simplex votum ejusdem naturæ est: per simplex autem non derimitur per se matrimonium antea contractum: ergo nec per solenne. Præterea si quis in Religione non approbatâ profiteatur, Votum castitatis, non habet effectum illum ex naturâ suâ. Ergo nec in approbata. Denique quod dissolvatur matrimoniû Voto Castitatis, provenit ex ipsius solennitate: hanc verò ex sola Ecclesiæ constitutione habet. *Suarez IV. de Relig. l. 2. c. 7. Less. c. 41. dub. 8. n. 69. Henrig. l. xi. c. 8. n. 6. Sanch. l. 2. de matrim. D. 18. Laym. l. 5. tr. 10. par. 3. c. 6. n. 8. Medina. l. 5. de contin. c. 86. 4.* Privat omni dominio bonorum mobilium, & immobilium *c. quia ingredientibus 19. q. 3. & c. 9. Si qua mulier ibid.* quod caput ex Jure civili sumptum est. *Auth. de sanctiss. Episc. Collat. 9.* Hoc enim paupertatis Evangelicæ perfectio requirit secundum illud *Matth. 19. v. 21.* Si vis perfectus esse, vade, vende omnia, quæ habes, & da pauperibus. Hinc fit, ut Professus ad dominium bonorum temporalium inhabilis, non tamen incapax reddatur, quia radix domini est natura rationalis. Inhabilitas verò ex duabus causis pendet. Una est traditio, de qua supra n. 5. altera est Ecclesiæ Constitutio, ut *n. eod.* explicavimus. 5. Voto paupertatis religiosæ profectus exiit & privatur omni potestate utendi rebus arbitrio suo, seu absque dependentia, & voluntate superioris. In hoc enim essentialiter religiosa paupertas consistit, ut quis nulla re uti

possit, vel disponere de illa, nisi quando, & quomodo visum fuerit Superiori. Quamobrem omnis donatio, contractus, & obligatio facta sine consensu Prælati irrita est, & quicumque eatenus à professis aliquid acceperit, ad restitutionem tenetur. *Lessius c. 41. D. 9. Suarez III. de Relig. l. 8. cap. 15. 6.* Professio tollit omnia vota simplicia prius facta, etiam suscipiendi Ordinem strictiorem, eaque commutat in vota solennia Religionis quam vovens actu proficitur *c. Scriptura 4. de Vo. & c. Qui post votum 5. de Regularibus in 6. ubi legimus.* Qui post votum à se de recta religione intranda emissum, religionem aliam, laxioremque ingreditur, & proficitur in ipsa, potest voto non obstante priori, cui tanquam simplici, per secundum solenne noscitur derogatum, manere licet in eadem. Pro voto tamen non completo erit eidem pœnitentia imponenda. Idem de piis juramentis dicendum *Layman. l. 5. tract. 5. c. 10. Roder. l. 9. 25. art. 8.* Commutationem illam fieri per veram solutionem existimat *Paludanus*, eò quod professio religiosa virtualiter contineat omnes alias obligationes. *V. Suarez III. de Relig. c. 14. Tuschum in V. Monachus Concl. 31. 4. Barbosa c. Scriptura de Voto. 7.* Omnia peccata deleta est, reatum pœnæ peccatis debita, ut cum *S. Thoma 220. quest. 189. art. 3.* plerique docent: ob eamque causam à Sanctis Patribus baptismo comparatur, ut pluribus exponit *Hier. Platus l. 1. c. 13. Barbosa loc. cit. num. 5.* Etenim religiosa professio est quasi mors quædam, & totius vitæ mutatio, per quam Deo consecramur: ac proinde conveniens est,

est, ut pro tam liberali, ac profusa oblatione Deus vicissim se benignum exhibeat, & omne debitum condonet. *Dico*, conueniens esse, quia non omnino certum est, sed ex mero Dei beneplacito pendet, quemadmodum Suarius bene animadvertit *To. 3. De Reb. l. 6 c. 13.* arguens illos, qui ita comparant professionem baptismi, ut velint per eam ex opere operato peccata remitti. *Layman. c. 10.* affirmat, remissionem peccatorum certius obtineri per Indulgentiam plenariam. Idem fieri in reuocatione Votorum. 8. Professio religiosa tollit irregularitatem, quæ est ex defectu natalium. *c. 1. de fil. presb. & c. 1. D. 56.* Alias irregularitates iure communi non tolluntur, autem specialibus privilegijs Ordinum. Adde, irregularitatem prædictam sic tolli, ut tamen non possit eligi in Prælatum, nec accipere beneficium habens curam animarum. *Comitolus l. 1. Q. 106. n. 8.* non tolli irregularitates ex delicto docet, & minimè omnium eam, quæ ex homicidio oritur, & bigamia. Contrarium à *Glo. afferitur in c. ult. de fil. presb. V. Barb. in Prætermisissis c. Cum deputati. De iudicijs Less. 41. D. 8. n. 73. Tolet. l. 1. c. 89. n. 73. Tolet. l. 1. c. 89. nu. 2. Filluc. Tr. 20. c. 10. n. 258.* qui annotat, in irregularitatibus facilius cum religiosis, quam laicis dispensari, eaque propter quibusdam doceri, omnem irregularitatem tolli per religiosam professionem.

9. Per professionem acquiritur ius ad victum, seu alimoniam ex communi, aut per portionem privilegiatam, ut quilibet Canonicus habet. *Ostiens in c. super ordinata. & Panorm. eo. Layman in defens. iustap. 8.* Quocirca Monasterium, vel Ordo necessaria præbere tenetur, siue sanus,

siue ægrotus, utilis, aut inutilis fuerit professus. *Navar. in Comm. 2. de Regular. nu. 65.* Imò licet eiectus sit. *V. Barbos. in c. ne religiosi. de Regularib.* Idem *Navar. in Com. 3. à num. 25.* multis probat, non repugnare religiosæ paupertati, si detur unicuique religioso pro victu & amictu vel certa pecunia, vel annua, aut mensua portio, quam suo commodo, & incommodo absumat. Imò sic profiteri licet, ut domi suæ religiosus maneat, & ex certa bonorum suorum portione vivat. *Barb. in c. Insinuante qui clerici, vel vocantes.*

10. Dubium est quo à civili foro liberet professio, videlicet, an Iudex sæcularis cognoscere possit de crimine ante professionem commissio? *Navar. in Comm. 2. de Reg. nu. 63.* negat simpliciter, Iudicem sæcularem cognoscere posse, aut iudicare de factis ante, vel post monachismum. *c. Non dubium. de sent. excom. & c. 2. de fo. comp. At Rodericus to. 2. Q. 2. ar. 3.* bene limitat, nisi crimen ante ingressum religionis commissum sit, de quæ eo apud Iudicem sæcularem instituta quæstio. Tunc enim quis in fraudem Legis, & consilio eludendi iustitiam præsumitur conuolasse ad Religionem, non permittitur frui privilegio fori, aliàs Religiosis concessio. *V. Ball. Sixti V. Cum de omnibus. & ad Romanum apud Rod. l. cit.*

11. Professio religiosa tollit maculam, quoad actus temporales, V. g. si quis damnatus esset de crimine furti, aut perurii, ita ut ad testimonium postea in iudicio, & similes actus legitimos admitti possit. *Auth. de Monachis Coll. 1.* Conversationis monachalis vita sic est honesta, ut omnem quidem humanam hominis maculam

lam abstergat. *Glo. Abb & alii in c. Depu-
tati. de iudiciis.* De nota ingratitudinis,
propter quam alioquin exheredari filius
potest *Novella 123. rela. in c. 19 q. 3. c. ult.*
specialiter cautum est, aboleri per ingrel-
sum Religionis & professionem. Non li-
ceat parentibus liberos, vel liberis paren-
tes ab hereditate repellere monachos fa-
ctos: quamvis dum laici fuerant, in cau-
sam ingratitudinis inciderint. *V. Covarr.
in c. Raynut. Sanchez l. 5. Moral. c. 5. nu. 33.
Zerola V. Monachi Par. 2. Layman. l. 5. tr. 5.
c. 10. ci. fin.* Conveniens enim videtur, ut
prioris delicti macula per susceptionem
melioris instituti, saltem quoad actus tem-
porales deleatur *Argum. Auth. de Monach
Glo. in l. Deo nobis C. De episc. & Clericis.*

Notat *Roder. III. Q. 17. art. 9.* ex con-
cessione *Leonis X.* facta Ordini Fratrum
Minorum eos, qui gravissimis delictis in-
famati, reticendo illa dolose profes-
sionem fecerunt, à domibus & Conventibus
expelli, & removeri posse, ne morbida
pecus ovile corrumpat. Vnde sequitur,
nō quamlibet maculam professione elui.

VII. Quamvis religiosa professio ex
parte voventis perpetua sit, ita ut seipsum
nemo eximere queat, ex rationabili cau-
sa tamen à summo Pontifice relaxari po-
test. Ita communiter omnes Canonistas
sentire testis est *Navar. c. 12. num. 77.* Ac
primo quidem relaxari posse Votum Ca-
stitatis perpetuæ, patet ex *c. Vn. de vo. in
6. & Constitut. Greg. XIII. Ascend. domino.*
ubi dicitur solennitatem voti ab ecclesia
introducendam esse. Vnde necessariò sequi-
tur, ab eadem tolli posse. Illa igitur subla-
ta votum erit simplex, cuius dispensatio-
nem summo Pontifici nemo negat. *V. di-
sta n. V. Superius. Imo Suarez. 3. de relig. l.*

6. c. 16. n. 9. docet, quamvis ex iure divino
solennitas voto Castitatis annexa foret,
adhuc solui, & relaxari posse. Nam alia
sunt juris divini præcipientis, alia insti-
tuentis tantum. Quamvis ergo institutum
iure divino foret, ut per Votum Castitatis
solenne Matrimonium solvatur, à Ponti-
fice dispensari poterit. Ut autem dicamus
contrarium à Christo mandatum esse, ni-
hil urget. Accedunt exempla iam pridem
factæ dispensationis. *Alexander III.* cum
Nicolaio Iustiniano monacho dispensa-
vit, ut uxorem duceret: qui sex filiis, & tri-
bus filiabus susceptis ad monasterium re-
diit, & postea miraculis claruit. Idem in
rege Arragoniæ, & Constantiæ, Regis Si-
ciliæ filia factum legimus apud Paludanū,
& Platinam. *Alexandrum VI.* dispensasse
cum Cæsare Diacono Cardinali, ut uxorem
duceret filiam Ducis Valentis scribit
Arnaldus Albertinus. Nostris, quoque
temporibus *ast Suar. l. cit.* factum esse di-
citur. Idem confirmant dispensationes in
matrimonio rato factæ, quas constat ali-
quando indultas esse: cuiusmodi Bullam à
Greg. XIII. profectam, & à se visam Sua-
rius testatur. Vnde sequitur multò magis
dispensari posse in Voto solenni castitatis.
Nil mirum igitur, si idem Greg. XIII. dis-
pensavit cum fratre Cardinalis Ioyosæ Sa-
cerdote, & professo, ac Provinciali Ordini
Capucinorum, ut matrimonium ini-
ret, teste *Barthol. à S. Fausto. V. Barbof. in
c. Non est. de Voto. & Voti redempt.* Hæc de
Castitate. In Voto Paupertatis, & Obe-
dientiæ similiter dispensari posse à for-
tiori colligimus. Fac, necessarium esse ut
ex Monocho fiat Princeps, vel Iudex sæ-
cularis tum propter reip. salutem, tum prop-
ter generis sui conservationem, nunquid
Obedien-

Obedientiæ vinculo, & paupertatis angustijs liberari poterit iuxta illud. *S. Bern. l. De prac. & dispens. c. 4.* Vbi necessitas fuerit ad utilitatem ecclesiæ, qui potestatem habet, dispense.

VIII. Qui præterdit, se per vim, aut metum ingressum esse Religionem, aut dicit ante ætatem debitam professum esse, aut quid simile, volitque habitum dimittere quacunque de causa, aut etiam cum habitu discedere. nõ audiatur, nisi intra quinquennium tantum à die professionis: & tunc non aliter, nisi causas, quas præterderit, deduxerit coram Superiore suo, & Ordinario. Quòd si antea habitum sponte dimiserit: nullatenus ad allegandam quamcunque causam admittatur, sed ad monasterium redire cogatur, & tanquam Apostata puniatur: interim verò nullo suæ Religionis privilegio iuuetur. *Concil. Tr. Sess. 25. c. 19.* Superest modò, ut singulorum Votorum obligationes, quantum instituti nostri ratio exigit, declaremus.

§ V.

De Paupertate Religiosa.

QVOD Votum Paupertatis religiosæ attingit, multiplicem obligationem habet.

Primo enim nullius rei dominium obtinere potest Professus, sed rebus omnibus dependenter à voluntate Superioris natus debet. *c. Cum ad monasterium de statu Monach. ubi Innoc. 3. Abbati & Conventui Sublacensi scribens. Prohibemus, ait, distinctè in virtute obedientiæ, sub obtestatione divini iudicii, ne quis Monachorum proprium aliquo modo possideat: sed si quis aliquid habeat proprii, totum in conventui resignet. V. § prac. m. 6. Perez.*

in Reg. S. Bened. c. 33.

Secundò, nihil dare, donare aut alienare potest absque consensu Superioris: & quicquid secus egerit, irritum est. Pari modo, si procurator vel Curator constitutus sit, nihil arbitrato suo disponere ei licet. *c. Non dicatis 12. q. 1.*

Tertiò ex iis, quæ cum facultate ad usum suum habet, non potest quicquam mutuum vel commodatum dare. In rebus parvis tamen, & crebro occurrentibus censetur esse facultas tacita, & generalis saltem ad breve tempus. *Az. 1. l. 12 c. 12. q. 4.*

Quartiò ab extraneis & domesticis absque consensu Superioris rem nullam accipere potest, uti nec retinere. Si quid alicui, ait *Innoc. l. cit.* fuerit specialiter destinatum, non præsumat illud accipere sed Abbati, vel Priori, vel Cellario detur.

Quintiò. Si quid ex domo esculenti, poculenti aut cuiuscunque alterius rei usurpari, invito Superiore, furtum committit pro rei mensura parvum, aut magnum. *Az. l. cit. q. 5.*

Sextiò, Non debet celare, vel abscondere quicquam, ne à Superiore deprehendatur. Illud enim comuniter existimatur signum proprietatis esse. *c. Super quodam. C. c. Cùm ad monasterium de statu Monach. ubi DD. notant proprium dici, quicquid cellas Prælati, vel contra ipsius voluntatem tenes. Verum hic notat Rodericus tom. 3. q. 19. art. 10. duobus modis à Religioso occultari re sine facultate acceptam. 1. ne illa spoliatur. 2. Ne à Superiore deprehensus reprehendatur, cui tamè relinquere paratus est, si auferre velit. Priori modo peccare mortaliter, posteriore non item. Adde quoque à gravi peccato excusari, si res exigua sit. Quæ verò talis censeri debeat,*

non est facile determinare. Illa cenferi potest, quæ non adæquat aurei valorem. Notat præterea *Rodericus* si Superior rogatus concedere nolit, res ad usum vitæ necessarias, puta cibum, vestem, medicinam, & similia, absque peccato sumi, & retineri posse, quia sic negando Superior non agit, ut fidelem dispensatorem decet, adeoque suo seipsum iure spoliatur, ne ipsi obediatur. *Cardinalis Lugo de inst. Disp. 3. Sect. 8. nu. 156.* prædictam abfconsionem duobus aliis modis excusat. *Primò* si per accidens occultetur Prælato, quia intendendo solum alios celare. Vnde consequitur, ut etiam Superiorem lateat. *Secundò*, si res à Superiore mediato accepta sit, & occultes, ne inventa offendat Superiorem immediatum, qui fortè urgebat, ut data facultas revocetur.

Septimò, ea quæ cum facultate habet, non licet expendere in res vanas, & superfluas, neque ad id licentiam dare Superioribus licet. Nam benefactores non alio, quàm necessitatis intuitu bona sua donarunt, & Canones obstant. *Clem. in agro. de statu Mon. Barb. de potest. episc. P. 3. allegat. 103.* Iam de vestibus nigrorum monachorum *Clemens V.* præcipit, ne in qualitate panni regularis excedatur modestia, nec quæratur, quod pretiosius, & subtilius, sed quod utilius potest reperiri. *Item.* Nullus Zonam, cultellum, calcaria cum ornatu deferre, aut cum sella clavorum ornatu decorata superfluo equitare præsumat. *Ita Clem.* Notat præterea *Cardinalis Lugo de inst. D. 3. Sect. 7. n. 131.* Religiosam habentem superflua cum consensu Superioris, peccare nihilominus contra Votum paupertatis, non quidè propter defectum licentiæ, sed quia Votum il-

lud non solum est de non utendo absque licentia, sed etiam de conservando statu Paupertatis, & non faciendis sumptibus, qui pauperibus non conveniunt.

Octavò illam diligentiam in rebus conservandis adhibere debet, quam *Vsuarius*, qui precariò utitur re aliqua. Hinc si per negligentiam vel latam culpam ipsius aliquid pereat, vel deterius fiat, contra iustitiam, & Votum peccabit. Si res concessa sit in commodum proprium, etiam ex culpa levi videtur teneri, sicut de commodato passim dicitur *iuxta l. in rebus. V. Hoc itaque ff. Commodati, & c. Vn. de Commodato, ubi Greg. IX.* Cum gratia sui tantum quis commodatum accepit, de levissima etiam culpa tenetur.

Nonò. Cavendum est religioso, ne superflua habeat, saltem in notabili quantitate, quæ religiosam modestiam excedat. In *Clementina* superius citata omnis ornatus, & cultus exquisitus in vestibus, cibo, potu, lecto, & equitatione interdicitur. Non erit tamen proprietarius, qui talia arbitrio Superiori relinquere paratus est.

Decimò. Hæc quamvis ita se habeant, non tamen facile damnandi sunt Religiosi, apud quos contrarium apparet, 1. quia in nonnullis Ordinibus, & monasteriis consuetudo obtinuit, & facultas generalis circa ea, quæ necessaria videntur. 2. quia *in rebus.* & interpretativa licentia locum habet, maximè quando Superior absens est, vel aliæ circumstantiæ dicantur hic, & nunc non opus esse ad Superiorem recursu. *Crediderim*, ait *Lesius cap. 41. Dub. 9. n. 79.* non esse peccatum mortale, quando sciret, vel bona fide putaret inferior, eum erga se esse Superioris animum, ut liben-

ut libenter esset concessurus, si sciret, ipsi tali re indigere, vel tale quid desiderare. Tunc enim censetur habere ex Superioris voluntate saltem virtuali, quæ in affectu illo later. De quo *V. Card. Lugo de Inst. Disp. 3. Sect. 3. Sect. 7. ubi n. 128.* monet, rem acceptam ex præsumptâ Superioris voluntate Prælati postea manifestandam esse, quia licentia non tantum requiritur ad accipiendum, sed etiam ad retinendum. Idem dicendum est de re data alteri vel donata, quia eius dominium non transfertur in accipientem, quamdiu non constat de Prælati consensu. *Rodrig. loc. cit.*

Vndecimò bona professi, de quibus ante professionem non disposita, iure communi ad monasterium transeunt, modo successionis, & dominii capax sit. Ita decernitur *Novella 5. quæ est de Monachis c. 5. Auth. si qua mulier. de sacros. eccles. & c. 9. si qua mulier. 19. Q. 3. c. 7. Quia ingrediētib. 19. q. 3.* Causæ plures sunt. 1. ut qui se Deo consecrat, bona etiam externa addat. 2. ne videatur ingratus Ordini, à quo susceptus est, & tota vita nutriendus. 3. Cum pauperibus erogare debeat, optime facit, præferendo eos, cum quibus vivere elegit. 4. denique ut eatenus Deo seruientium numerus augeatur. *Tanner. 22. D. 6. p. 3. nu. 190. Dixi Modo successionis capax sit, cuiusmodi ferè omnia, exceptis Dominibus, & Collegiis Societ. Iesu, Minorum de Observantia, & Capuccinorum.* In his igitur si ante professionem nulla bonorum distributio facta fuerit, ad hæredes ab intestato devolvuntur, non secus, ac si morte naturali defunctus esset. Si autem testamento disposuit in hæredes non necessarios, puta fratres, aut cognatos, Mo-

nasterium illis fruatur usque ad mortem naturalem professi: si autem instituti hæredes ante testatorem moriantur, bona omnia monasterio accedunt, nisi alia mens testatoris fuerit. Denique si absque dispositione, aut testamento professionem edidit, post professionem distribuere liberis suis bona poterit, non quòd adhuc illorum dominus sit, sed quia administrationem illi iura permittunt. *Auth. si qua mulier C. de sacrosan. eccl.* Quid si non habeat liberos aut nepotes, sed patrem matrem aviã vel avium? Iure communi illis legitima debetur, nisi aliud consuetudo loci suad. at Nec obstat, quòd Monasterium loco hæredis sit. Hoc enim in effectibus iure expressis tantum obtinet. *V. Suar. 111. de relig. l. 8. c. 16. num. 2. Tanner. l. cit. num. 194. Jacob. de Graff l. 3. par. 2. c. 27. n. 18.*

Duodecimò. Religiosus professus quicquid acquirit sive per hæreditatem, sive per industriam, sive per elemosynam Monasterio vel Ordini acquirit *c. 16. Abbates 18. q. 2.* Nec mireris, quod dixi per hæreditatem. Nam ut *c. Non liceat 19. Q. 3.* colligitur, quamvis ipse per professionem inhabilis ad dominium fiat, in hæreditatem nihilominus succedit dominio rerum in Monasterium translato: nec possunt parentes illum legitima sua privare *l. De nobis §. hoc etiam. De Epis & cler.*

Excipe Religiosos qui beneficia possident, ut si Abbates Priores, Parochi, vel Episcopi sint. Hi enim cum extra monasterium aut Ordinem suum beneficium aliquod obtinent, non monasterio vel Ordini, sed beneficio vel ecclesiæ acquirunt *c. Statutum 18. Q. 1. ubi dicitur*

Cc

verbis

verbis dicitur Monachus postquā episcopus ordinatur, ad altare, ad quod sanctificatur & titulatur, secundū sacros canones, quod acquirere poterit, restituat. Ex quibus verbis colligūt passim Interpretes. Regulare episcopū posse recipere & retinere, quod ei legato, donatione, aliove modo datū sit, recipere, in quā, & retinere, quasi regularis nō esset, receptū verò sibi acquirere nō posse, aut in dominū suū trāsferre, sed in dominū ecclesiæ, cui episcopus præfectus est. *S. Th. 22. q. 188. a. 8. Soto l. 10. de iust. Q. ult. Dub. 7. Nav. Com. 2. de Reg. Az. 1. l. 12. c. 9. & seq. Suar. IV. de Relig. l. 3. c. 16. Less. c. 41. D. 8. Laym. l. 5. tr. 5. c. 7. Barb. in Prætermisissis in c. Statutū 18. Q. 1. Silv. V. Relig. Q. 7. Rodrig. To. 2. Q. 48. To. 3. Q. 29. Sanchez. l. 7. Mor. c. 19. Valent. 10. 3. D. 10. Q. 4. Caramuel in Reg. S. Bened. n. 8. 5. & seqq. Tuschus V. Monachus. Valencia To. 3. D. 10. Q. 4. Pun. 3. Anton. Perez in Reg. S. Bened. c. 33. n. 55. ubi Monachū in fūla episcopali donatū vsu fructuario luppate facit.*

§. VI.

Satisfit Dubiis.

DVB. 1. Quidnam dicatur Proprium apud Regulares?

R. Illo nomine cōprehendi *Primo* dominū & proprietatē rei. *Deinde* usum fructū, usū simplicē, possessionē, & administrationē, quatenus hæc nō facti, sed iuris sunt, seu quatenus significant ius aliquod ab alterius voluntate separatū, & independens. Porro *Dominū* est ius liberē, & perfectē statuendi de re corporali, nisi lege prohibearis. *Vsu fructus* est ius, quo quis potest fructus rei impēdere arbitrato suo, puta, vèdere, donare, locare. *Vsus simplex*, quo in propriū commodū licet uti fructibus rei salva substantia. *Possessio* est ius in-

sistendi rei corporali, à qua possidēda nō prohibemur. Administratio dicitur ius, quo quis potest apud iudices agere, & cōvenire alium de re aliqua, & de ea statuere extra iudicium, ita ut sit libera, & legitima potestas agēdi, Horū aliquid quicunq; religiosus sibi vendicat independentē à voluntate Superioris, vocatur *propriarius* cōmunionē fratrū, & sepulturā privandus. *Silv. Religio vi. n. 7. Perez in Reg. S. Bened. c. 33. n. 17. Az. 1. l. 12. c. 12. Lud. ponte 3. Tr. 6. c. 6. Trubem. 1. de prop. Monach. c. 4. Sanchez. l. 7. c. 18. n. 25. Dub. 2. An Superior religiosus sibi subiectis facultatem dare possit ad res superfluas, & profanas?*

R. nō posse, quia non est dominus, sed administrator, cuius officiū requirit prudentiā & fidelitatē cū respectu ad observantiā regulæ. Nec de hoc ulla dubitandi ratio est. *c. Fraternal. De donat.* Illud autem controvertitur, An eiusmodi licētia si detur, valida sit? ita ut si Religiosus pecunia sibi cōcessa utatur ad cōparandas res suo statui inconvenientes, contractus initi valent, & qui acceperint ab illo pretiū, restituere teneantur? Nō sēper invalidos esse tales cōtractus, asserit *Card. Lugo de iust. D. 3. sect. 7. n. 137* & sensū hunc esse Communē Doctorū. Quis enim audeat dicere, si religiosus emat protiosas, imagines, vel suppellectilem religiosæ modestiæ minū congruā, emptiōne & venditiōne invalidā esse, & venditorē ad restituendū preciū teneri? Non repugnat enim cū contractu valido misceri malitiā aliquā, non paupertati, sed temperantiæ contrariā, ut si emat Religiosus pecunia sibi concessa cibū aut vinū valetudini noxiū, peccabit utiq; cōtra temperantiā, non autē contra Votum paupertatis, quia pecuniā cum licentiā habet.

ber. Si tamen contractus fieret cū notabili damno Monasterii in quem præsumitur Prælatū minimè cōsensurū, irritari posset, & repeti pretiū. Addit *Lugo*, si Superior licentiā det in genere ad quemlibet usū, nō excludi ab ea generalitate usū turpē, & illicitū, quemadmodum in simili, cui datur facultas in quadragesima comedēdi lacti cinia, nō censetur excludi illa, quæ furto sublata sunt. Hæc enim si comederit Religiosus, licet à peccato iniustitiæ immunis non sit, non peccat tamen contra legem Ecclesiæ. Ita ille.

DVB. 3. An Superior de facto excludere censeatur usus illicitos, quando dat licentiā generalē expendendi pecuniam ad quoslibet usus?

R. affirm. ex communi Doctorum opinione. Non enim potest absque peccato licentiā dare pro illicitis: ac proinde præsumitur nolle. Deinde nemo solet nec potest talem licentiā petere. Ponamus autē fieri, inquit, & in turpes usus pecuniā expendi, an qui acceperunt, ad restitutionē obligati sunt? Communiter affirmat DD. At *Cardin. Lugo l. cit. n. 142*. Sustinet probabiliter, non teneri ad restitutionem, quando Superior plenā & liberā facultatē dedit expendendi pecuniā pro libito, quia in aliis materiis licentiā generaliter concessa nō censetur limitari ad solos usus licitos, sed aufert malitiā & impedimentum, ne peccetur contra Votū paupertatis, quamvis cōtra aliā virtutē delinquas, puta temperantiā, vel iustitiā. Addit pro pravi, sæpè exculari posse ab onere restituendi etiā in contraria sentētia: quamvis enim ab initio donatio in valida fuisset, nunc tamen, idē qui dedit, mutato animo aliunde habens licentiā, ad usus licitos, potest illud donare fæminæ (Scorto) quia pauper est, aut ob aliā causā honestā, pro qui sufficientē habet facultatē. *Sanch. l. 5. Mor. c. 19. n. 18. & seq. V. Suar. 3. de relig. l. 8. c. 15. n. 11. Rebell. Pa. 2. l. 12. p. 4. Sect. 2. Rodrig. Tom. 3. Q. 29. n. 21.*

DVB. 4. An Superior possit dare subditis pecuniam ad ludendum?

R. posse ad ludum honestum, nisi obstat Regula, vel consuetudo Ordinis in modica quantitate. Nam religiosus, qui in studiis alicur, ex

communi opinione inhonestum recreationem de 100. florenis exponere potest spatio unius anni quatuor, aut quinque florenos. Cur non etiam in ludum honestum? cū hic spes sit augendi peculium, quod in aliis recreationibus non contingit. Quod si absque licentiā lusit, vel ultra quotam præscriptam lucratus fuerit, existimant aliqui lucrum illud à Religioso restituendum esse, eò quod tantundem si perdidisset, aduersa pars restituere debeat. Verum *Lugo*, & alii negant, eò, quod in utilitatem Monasterii permittatur lucrum ex negotiatione etiam prohibita, cur non similiter in ludo? *Sanch. l. 5. Mor. c. 19. n. 76. & seq. Barb. de potest. Episc. Par. 3. Allegat. 103. p. 480. Rodrig. To. 2. Q. 35. Sayrus l. 11. c. 12.*

Dub. 5. An quicquid pretio æstimabile est, & vendi potest, Voto paupertatis prohibeatur Religiosis. R. Illa tantum prohiberi quæ corporalia sunt, & diuitem facere possunt, quo in numero non censentur Spiritualia, cuiusmodi est scientia. Nam pretio vendi potest lectio, doctrina, comædia, Musica, quæ si gratis offerantur alicui religioso, & nihil obstat, admittere potest absque licentiā Superioris; quemadmodum obsequia quoque, qualia à benevolis præstari solent. *Lugo de Iust. D. 3. sect. 8. n. 147. Aason. Perez in Reg. S. Bened. c. 33. n. 80.*

DVB. 6. An contra Votum paupertatis peccet, qui absque licentiā imaginem alicui sæculari pingit, vel Codicem describit pretio æstimabilem? Rat. aliqui peccare, quia talis picturæ dominium Monisterio accedit, à quo tolli sine licentiā non debet. At *Card. Lugo* distinguit, non peccare videlicet, si ex primaria intentione fiat ad petitionem alicuius sæcularis: secus autem, si cum intentione dandi picturam tali personæ. Sicut enim religioso licet obsequium admittere ab homine sæculari oblatum, ita præstare eidem. Sic enim ipsi Religioso nihil acquiritur, sed dominium trāsit in hominem sæcularem. Hinc sequitur, qui literas dat, vel accipit sine facultate, licet in Regulam peccat, contra Paupertatem tamen nihil agit, nisi auro pictæ literæ essent, vel aliam ob causam pretiosæ. *Sanch. l. 7. Mor. c. 19. n. 47. Card. Lugo l. cit. Caramuel in Reg. S. Bened. n. 870.*

DVB. 7. Petrus Religiosus à cognato suo petit, ut certā pecuniā deponat apud

Caium, dominio illius sibi retento: à quo postea cum licentia Superioris sui Petrus accipiat, estne hoc contra Votum paupertatis?

Respondent aliqui, non esse, etiam quando cognatus deponeret eo animo, ut dominium illius Petrus habeat. Nam in tali casu nihil iuris aut dominij à Religioso acquiritur. Modus tamen cupiditatem inordinatam, & versutiam sapit: ac proinde vix excusari potest ab omni culpa, præfertim si Regula præcipiat, ne quis apud se, vel alium pecuniam habeat. Vnde Sanchez l. 7. c. 19. n. 49. benè monet, aduersari saltem perfectioni religiosæ paupertatis. Addere poterat, & aliarum virtutum. Bonav. in expos. Reg. Min. c. 4. Diana Par. 1. Tr. 6. Resol. 43.

DVB. 8. An Religiosus peccet contra Paupertatem, qui cum pecuniam haberet ex licentia Superioris, eo tamen inscio libros emit, eosq; inter reliquos palàm exponit. Negate Azor in 1. l. 12. c. 12. scribit. Card. Lugo, ideoq; reprehendit, sed male. Azor enim non loquitur de Religioso, qui sine facultate pecuniam accipit, & libros emit. Deinde cum distinctione respondet. Si religiosus absque facultate expressa, vel tacita utatur libris à se emptis peccare: non verò si utatur illis cū aliqua facultate. Extra dubium igitur est, si & pecuniam absque licentia acquirat, & libros, contra paupertatem agere: si verò ex consuetudine Ordinis, & modo agendi iudicare potest, Prælatus non esse iocitū, nisi fortè quoad modum, à peccato excusari poterit. Sanchez l. 7. c. 19. n. 56. Caramuel in Reg. S. Bened. n. 886.

DVB. 9. Quid dicendum de illo, qui ex communi bibliotheca libros sine faculta-

te accipit, eosque palàm expositos seruat?

Azor l. 12. c. 12. à peccato contra Paupertatem excusat, si tacitus saltem Prælati consensus sit. Card. Lugo distinguit inter libros valdè necessarios aliis, & non valdè necessarios. Illos si usurper aliquis sibi sine licentia, vix excusari posse à gravi peccato contra Paupertatem: idque magis, si ex cubiculo alterius clam accipiat: fore item contra iustitiam aliquando, maxime si Manuscripta alicui surripiat, & transcribat. Verùm hinc attendenda est consuetudo Ordinis, vel monasterii: an soleant permitti ad tempus libri, an secus. Considerandum præterea damnum, quod alii patiuntur carendo libris ablatis. Deniq; perturbatio & offensa, quæ inde nasci potest. His consideratis patebit, non tam contra iustitiam, quàm charitatem peccari. Illud extra controversiam esse debet, contra paupertatem agere, qui libris abutuntur, maculant, lacerant, vel perire sinunt. Vfus enim rerum omnium apud religiosos debet esse moderatus. Quod de libris, etiam aliis utensilibus intelligi debet. Nam si religiosus aliunde non prohibitus ex communi loco auferat in usus suos instrumentum aliquod, puta, cultrum, Securitum, aut simile quid, relaturus brevi, non censetur contra paupertatem agere, quia nemo Superior exigere prudenter potest, ut in eiusmodi quotidianis casibus ad se recurratur. Sed peccato nō vacat, talia instrumenta occulere, vel diutius retinere cum aliorum offensa, & Monasterii damno. Suar. 3. de Rel. l. 8. c. 15. Alph. Rodrig. de Exerc. perf. rel. Pa. 3. tr. 3. c. 10. Less. c. 41. D. 9. n. 78.

DVB. 10. An qui habet licentiam generalem dandi & accipiendi, virtute illius licentiæ possit aliquid emere, quandoquidem

quidem in rigore emptio non est donatio, vel acceptio.

Resp. Lugo disp. 3. S. ff. 8. n. 159. probabile esse, quod possit. Nam cui aliquid facere absolute permittitur, illi conceditur à fortiori, ut possit illud cum limitatione, vel conditione facere, nisi peculiaris ratio obstat. Vendere autem nihil aliud videtur esse, quam dare rem non simpliciter, sed sub conditione pretii reddendi. Deinde verbum dandi non debet ita strictè accipi, ut tantum significet dare gratis, cum ex se indifferens sit ad dationem non gratuitam. Sic enim admittuntur contractus aliqui onerosi, in quibus *Do*, ut des, verbum dandi non potest significare dationem merè gratuitam. Est tamen illud notatu dignum, hoc non habere locum in omni materiâ & venditione. Nam & negotiatio religiosis prohibetur, & in quibusdam specialis turpitudinis apparet; ut si velles imagines, medalia, cruces, & similia, pro quibus donandis concessa facultas est, pretio dividere. Curandum quoque, ut intentio pura sit. *Filliuc. Tract. 34. c. 3.*

DUB. II. Titius habet generalem facultatem dandi omnibus ejusdem Monasterii fratribus, nunquid ab illo accipere possunt non petita licentiâ accipiendi?

Resp. Sanchez l. 7. c. 19. n. 73. non posse, sed requiri licentiâ accipiendi, quia facultas dandi in uno non aufert impedimentum accipiendi in alio, nisi ex conjecturis probabiliter contrarium colligatur. Alii absolute, & generaliter putant sufficere, ita ut si unus habeat licentiâ dandi, omnes alii habeant licentiâ accipiendi: & si quis habeat licentiâ accipiendi, alius habeat licentiâ dandi.

Verum hæc laxitas merito displicet Cardinali Lugo propter non leves difficultates, additque duo sibi certa videri. *Primum est*, in rigore juris duas facultates requiri unam in accipiente, alteram in dante, & quidem separabiles. *Alterum*, posse superiorem ita concedere facultatem dandi, ut reliqui omnes simul habeant potestatem accipiendi. Dubium verò esse, an de facto censeatur Superior ita concedere facultatem dandi: rogatum à se R. P. N. Mutium Generalem respondisse, videri sibi de facto eam esse Superiorum mentem, ut datâ subito licentiâ dandi, vel accipiendi possint alii ab eo accipere, vel dare: dummodò nihil in fraudem fiat, sed bona fide procedatur. Sic in praxi v. g. Sartor habet generalem facultatem dandi vestes pro hyeme, Sutor crepidas, & nec eorum aliquis, qui indiget, licentiâ petere solet. In ecclesiasticis tamen & poculentis locum non habet. Nam licet dispensator generalem facultatem dandi habeat, nemini tamen ab eo petere, vel accipere licet, nisi petita prius, & obtenta venia. Fieri tamen etiam oppositum potest, si expedire Superiori videatur. Sed ad indulgendum difficiles reddit quorundam levitas, qui modò excedunt. *Licentiâ enim omnes deteriores simus.*

DUB. II. Quomodo contra paupertatem sint eleemosynæ à Religiosis expensæ? Certa sunt ista. 1. Prælatus tenetur eleemosynam dare de superfluis Monasterii imò etiam de non superfluis cum debita moderatione. 2. Idem possunt, & debent Procuratores manendo intra limites potestatis suæ. 3. Religiosi privati ad idem tenentur, cum proximus in extrema necessitate est, vel in gravi, & nota

datum ad superiorem accessus. 4. Qui extra Monasterium studiorum causâ vivunt, possunt moderatas eleemosynas facere; quin etiam donare subinde aliquid maximè, si ex assignatâ sibi quotâ comparserit edendo, & bibendo minus solito. De mensurâ, & quantitate neque Prælatis neque subditis certi aliquid præscribi potest. Tobiz senioris præceptum valeat. Quo modo potueris, esto misericors, si multum tibi fuerit, multum tribue, si exiguum tibi fuerit, etiam exiguum libenter impertiri stude. *Azor. II. l. 12. c. 10. Silv. V. Eleemosyna n. 7. Armilla eod. num. 5. Sanch. l. 7. Mor. c. 19. n. 91. Alv. Pelag. l. 2. art. 46. Bannez. in 22. q. 32. art. 8. Roder. II. quest. 58. art. 2.*

DUB. 13. An munerum largitio Regularibus prohibita sit?

Resp. Prohibitam esse omnibus absolute, non professis modò, sed Novitiis quoque, excepto Ordine equitum Hierosolymitanorum, quia ex speciali dispositione illis non convenit talis restrictio. *Clem. VIII. Const. 28 Religiosa Congreg. Cherubinus in Bullario to 3. pag. 40. At novissimè Urbanus VIII. in suâ Const. nuper. die. 6. oct. Anno 1649. declarat Clem. VIII. Constitutionem, ut donare possint. Regulares utriusque sexus, causâ gratitudinis, conciliationis benevolentiz erga Ordinem vel Conventum: aliisque causis ex naturâ suâ actum virtutis, & meriti continentibus, modestè tamen & discretè & cum licentiâ Superiorum localium, vel etiam majoris partis de Capitulo aut Conventu. Diana par. 1. tract. 6. v. Collect. Decision. Apost. Barbosa n. 520. pag. 369. Roder. II. q. 48. art. 3. Filiiuc. tr. 34. c. 3. Less. c. 18. n. 83. Nigrorum in Reg. 9. Comm. Nemo rem ullam.*

DUB. 14. Quid dicendum de furtis Regularium circa bona Ordinis Monasterii, aut Conventus facta?

Resp. Hæc quinque probabiliter dici possunt, ex communiore DD. sensu.

I. Regulares in materia hac rerum ablatarum neque ut servi, neque ut filii per omnia habendi sunt. Non ut servi, quia Ordinis membra sunt, & jus habent utendi bonis Monasterii juxta consuetudinem, & regulam. Non omninò ut filii, quia neque hæredes esse possunt, neque ullius domini spem habere. Præterea si quid ex bonis paternis furetur filius, damni illati tantum ratio habetur: in religiosis insuper ad disciplinæ religiosæ violationem & satisfactionem attenditur. *Diana par. 1. tract. 6. resol. 36.*

II. Quæ in extraneis & sæcularibus quantitas ad peccatum mortale sufficit, multorum judicio censetur etiam in Religioso sufficere, aliqui tamen majorem requirunt. Tum quia Religiosus quasi filiusfam. est, tum quia damnum illarum facilius compensare potest industria sua, tum deniq; quia Prælatus sæpè non tam circa substantiam rei, quàm modum invitus est. *Diana l. cit. l. de fma. Cened. Suarez III. de relig. l. 8. c. 11. n. 41.*

III. Et si quoad culpam difficile est determinare quantitatem, Rodericus tamen *to. IV. c. 118. n. 27.* tunc esse peccatum mortale contra Votum paupertatis definit, quando res ablata æquivaleret duobus aureis: quam sententiam alii plures amplectuntur. In Societate nostra, quod superat unius aurei valorem, ad peccatum furti, & contra Votum Paupertatis sufficere non dubitatur, cum etiam minor sufficere possit, habita ratione damni. *P.*

Suarez

Suarez. Tom. III. de relig. l. 8. c. 6. n. 8. Less. c. 12. dub. 6. Azor. III. l. 5. c. 13. Reginald. l. 23. q. 4. n. 18. Caramuel. in Reg. S. Bened. disp. 63.

IV. In esculentis & poculentis sicut magna varietas est, ita varie judicandum attenda locorum inopia, vel abundantia. Si rarum, & pretiosum est, ut ea, quæ faccaro condiuntur, facilius in gravem culpam lapsus erit: in iis verò, quæ ad usum quotidianum ordinantur, non faciliè damnandus, qui panem, cerevisiam, & similia absument. Similiter, si ab extranea capiatur, quod uno actu absumi potest, non continuo crimen reputabitur, quia Superioribus non tam res ipsa, quam modus, & inordinata cupiditas displicet, & bilem movet. *Layman l. 4. tract. 5. c. 7. num. 4.*

V. Qui per intervalla repetitis vicibus modicum accipit, ex pecunia v. g. unum assem vicies, aut tricies, tandem completa summa notabili peccaturum mortaliter existimat. *Sanch. l. 7. Moral. c. 21. n. 2. 3. eo modo, quo quilibet secularis, si modica furta iteratò committat. At Card. Lugo D. 3. sect. 8. n. 181. rarò contingere censet, quod in Religioso, qui non ex industria capit modicum quid animo perveniendi ad aliquid magnù, perveniatur per multa modica ad peccatum grave contra Votù Paupertatis: quod à posteriori constat ex sensu Prælatorum, qui nunquam graviter offenduntur, & puniunt, ut proprietarios, qui modicis contra Paupertatem peccant. At, inquis, parva ista coalescunt in unum, ita ut tandem fiat massa, quæ videatur ad grave & mortale peccatum sufficere. Negat Lugo in unum coalescere, quia damnus modicus est, nec ul-
lus religiosus intendit graviter lædere*

communitatem, maximè, si modica furta confiteatur, cum proposito in futurum abstinendi. *Ferdinandez. exam. par. 1. c. 6. §. 2. num. 12.*

Dub. 15. An religiosus possit esse testamenti executor, fidejussor, aut tutor?

Resp. Non posse: si tamen ejusmodi curam susceperit, rata erant acta ipsius. Non posse absque licentia Prælati suscipere manifestum est, quia non habet *velle & nolle c. si relig. de elect. in 6 & c. 2. de testam. eod.* Rata nihilominus erunt acta ipsius, quia Jura non irritant, sed agnoscunt, & acceptant. *S. Tho. opusc. 19. c. 15. Cajet. in 2. 2. q. 187. art. 2. Valeur. Tom. III. D. 10. q. 5. pun. 1. Rosell. V. Religio 1. n. 7. Sanch. l. 6. Moral. c. 11. num. 2.*

Dub. 16. An si professus aliquis in Episcopum eligatur, maneat Voto Paupertatis obstrictus?

Resp. *Diana in parte 3. tr. 2. resol. 50. & par. 5. tr. 2. resol. 64. & seqq.* Religiosus factus Episcopus vel Cardinalis eximitur à paupertatis Voto, fitq; verus dominus reddituum Ecclesiasticorum, & de illis potest testari: imò renunciationem legitimæ suæ factam ante professionem servata Conc. Tr. forma potest revocare. Eximitur item ab aliis votis, quæ præter tria substantiosa emittuntur in quibusdam ordinibus. Vnde *Minimi* à voto vitæ quæ dragesimales absolvuntur. Neque tenentur ad observantiam regularem, nisi ex quadam honestate. Neque si omittat habitum suæ Religionis, incurrit excommunicationem ita ferè *Diana secutus Vasques. 1. 2. q. 96. art. 4. & quinque alios D. D. Sanch. etiam l. 6. c. 6. n. 7.* multis eam opinionem placuisse testatur. Quibus favet *c. statut. 18. q. 1. ubi dicitur, Monachù, cum eligi-*

eligitur in Episcopum à jugo regularis observantiæ absolvi. *Et Gloss. ibid.* non manere filium ordinis agnoscit. Accedit *Ratio.* quia Episcopus effectus ab ordine suo extrahitur, ac separatur, neque tenetur obedire Prælato amplius: neque ab illo dependet in acquisitione, & tractatione bonorum temporalium. Imò nomen quoque amittit, ut jam non dicatur ex. g. Monachus S. Benedicti, S. Dominici, S. Francisci & simil. *V. Fernandez exa pag. 68. Layman. l. 4. tract. 5. c. 7. n. 17.* Nihilominus multo plures secuti *S. Thom. 2. 2. a. q. 185. art. 8.* Regularem Episcopum docent minimè absolvi à votis substantialibus, & professione sua, iisque observantiis, quæ non impediunt munus Episcopale, neque dedecent illum statum. Et hoc communi sententia receptum esse *Azor. l. 4. c. 7. q. 4. pronunciat, & Suarez IV. l. 3. c. 15. & seqq.* accuratè explicat, ut meritò valdè probabis & in praxi tutior videri debeat. Certè passim hoc tempore assumpti ad supremas Dignitates Cardinalium & Episcoporum Ordinis sui habitum non deponunt, hoc ipso contentantes, se Ordini suo adhuc unitos, & aliquo modo subditos esse: pro quibus facit *c. Clerici 15. de vi. & hon. Clericor.* ubi dicitur, Pontifices in publico, & in Ecclesia super indumentis lineis omnes utantur, nisi Monachi fuerint, quos oportet ferre habitum Monachalem *Anton. 3. par. tit. 16. c. 4. Aug. Silv. & alii Summ. Molina l. 2. de primog. c. 10. n. 28. Sanchez l. 6. c. 6. Bannez in 22. q. 32. art. 6. Barb. in c. cum olim 14. de privil. n. 10. & c. statutum 17. q. 1. & de potest. Episcop. l. 1. tit. 1. c. 4. Less. c. 40. dub. 19. n. 193. Lugo l. 5. Respons. Moral. dub. 12. Grass. l. 3. c. 20. n. 24.*

DUB. 17. An & quomodo peccet Religiosus dicendo aliquid suum esse v. g. Hic liber meus est, hæc est mea vestis?

Resp. Fieri posse, ut peccet ita loquendo, dubium nō est, sed peccati conditio, & mensura ex intentione loquentis pendet. Nam si sensus sit. Hæc mea vestis est, quoad dominium, vel venialiter peccat mendacio officioso, vel etiam gravius, si intendat illius vestis dominium sibi usurpare. Si autem sensus sit, quem vulgò omnes supponunt. Hæc res mea est, quoad usum, nihil omninò peccat, sed potius actum virtutis exercet, confitendo, se pauperem esse, qui nullius rei dominium habeat, sed usum tantum. Atque in hunc modum explicandum est illud *S. Aug. in c. 2. Regule.* Non dicatis aliquid proprium, sed sint vobis omnia communia. *Navar. Comm. 2. de Regular. n. 1. Coriolanus in Reg. S. Aug. Turrecrem. Umbertus, Trullus & alii in cand. Reg.*

DUB. 18. Penes quem sit dominium bonorum, quæ FF. Minores S. Francisci possident?

Resp. Hoc tempore esse penes Sedem Apostolicam, quemadmodum constituit, & declaravit Martinus V. & Paulus III. quod etiam in Capitulo generali Fratrum Minorum decretum est. Dixi hoc tempore, quia olim penes donantem credebatur dominium remanere. *De quo V. Rodericum II. q. 125. art. 6. & Tom. III. q. 29. art. 5. Cordubam in Reg. S. Franc. Bonau. ibid. Sotum, Ledesma, Solonium, Sanchez l. 7. Moral. c. 18. n. 20 & seqq. Soto l. 4. de iust. q.*

1. Rebell. par. 1. l. 1. q. 7. Sect. 4.

Barb. in c. Exiit. de verb.

sing in 6.

§. VII.

De Castitate.

I. Qui in Religione per Sedem Apostolicam approbata legitime professus est, à Matrimonio abstinere debet. Quod si contraxerit Matrimonium, quamvis re ipsa nullum pœnam excommunicationis incurrit juxta Decretum Conc. Turon. sub Pelagio I. ubi dicitur. Si uxorem duxerit, excommunicetur, & uxore malè sociatâ etiam Judicis auxilio separetur, & infelix Monachus conjunctione sœdatus ab Ecclesiâ separetur, donec revertatur ad septa monasterii, & indictam ab Abbate, quamdiu præceptum fuerit, agat pœnitentiam. Quod aliqui interpretantur de eo, qui publicè contraxit. Talis enim suspectus de hæresi est, quia re ipsa, & factò ostendit, se de Votis, & Religione malè sentire: quemadmodum Lutheri ævo factum novimus. *Simancas* verò cum nonnullis sublata distinctione æquè suspectum facit eum, qui occultè matrimonium iniit, imò magis videtur delinquere, cum lucem fugiat. Magis injusti sunt, ait *Aristoteles*, qui magis occultè operantur; cujus rei multa exempla reperiuntur. Talibus lucifugis Inquisitores jejunia, & orationes injungere solent, cum inclusione perpetuâ in Monasterium aliquod argumento eorum, quæ ex Conciliis & Canonibus DD. colligunt. Idem faciendum Diaconis & Subdiaconis, qui ausi fuerint uxorem ducere; *Simancas* tradit. *Bell. l. 1. de Cler. c. 19. V. Roder. To. III. q. 1. art. 1. Suar. III. de relig. l. 2. c. 10.*

II. De tempore dubium est, quo Ec-

clesia declararit Religiosorum matrimonia nulla esse. Ac mihi quidem *Innoc. I. cum Romanâ Synodo circa Ann. Christi 1135.* Primò id constituisse videtur. Antea enim tametsi non liceret contrahere Matrimonium, si tamen factum esset, contractus non censebatur omninò irritus, ut nunc in illis, qui post Votum Castitatis simplex contrahunt. Tempore post *Bonifacius VIII. c. Vn. de Vo. in 6. de Ravit.* Votum illud solenne tantum dici debere, quod solennizatum fuerit per suspensionem sacri Ordinis, aut professionem in Ordine per Sedem Apostolicam approbato. *Idem Greg. XII. dicit in Const. Ascend. Dom. Less. c. 40. dub. 19. Az. 1. l. 12. c. 6.*

III. Voto simplici Castitatis, quod Societatis Jesu religiosi post biennium probationis edunt, non minùs irritatur Matrimonium, quam per solenne professionis in aliis Ordinibus: & sic voventes omninò inhabiles redduntur ad illud quamdiu durat Votum, & non relaxatur. Ita definivit *Greg. XII. in Const. Ascendente Domino.* & subsecuti Pontifices confirmarunt. Neque obstat, quòd ejusmodi voventes non priventur dominio bonorù temporalium. Non enim propterea sæculares manent, ut aliqui temere dixerunt; nec repugnat habere dominium bonorù temporalium (impeditum & sine libertate utendi) & non posse matrimonium inire. Hæc enim & similia ex dispositione juris humani pendent. Cæterum hic duo observanda sunt. Unum est, *Greg. XII.* Decretum irritantis Matrimonium supradictum, comprehendere illos quoque, qui tempore præcesserunt illud, sedque votis obstrinxerunt absq; conditione illa, quod inhabiles ad

Dd

matri-

matrimonium fieret, quia non inhabilitantur personæ Societatis Jesu futuræ tantum, sed etiam existētes. Alterum est. Matrimonium ratum non consummatum ab aliquo, qui in Societatem recipitur, non extingui per votum Castitatis, quod finita probatione faceret. Nam *Greg. XIII.* bulla de hoc nihil definit, aut declaravit. Quemadmodum igitur ante illam votum Castitatis non habuit vim dirimendi matrimonium, ita tunc quoque non habet. *Sua. IV. l. 4. c. 2. & 3. Rod. 10. l. 1. q. 1. art. 4. Sanch. l. 5. Mor. c. 1. n. 29 cum al. à se ci.*

IV. Non repugnat Ordinem aut Statum Religionis esse, cum Voto Paupertatis, Obedientiæ, & Castitatis conjugalis tantum, quemadmodum de facto esse dicitur Ordo militum S. Jacobi Calatravæ, & Alcantaræ in Hispania, quos nihilominus verè religiosos esse, præter *Navarre* & alios accuratè demonstrat *Franc. Suar. IV. l. 1. De variet. relig. c. 14.* Constat primò ex Bulla Alexandri III. In Ecclesiasticis gradibus. Deinde aliis apud *Didacum Mottam l. 1. & 2. de milit. S. Jacobi* Denique *Ratione.* Talis Ordo est verus status perfectionis. Ergò verus status Religionis, Consequentia manifesta est. Antecedens ex Summorum Pontificum Bullis, & ex ipso sine desumitur. Finis autem prædictorum Ordinum est charitas, in qua vera perfectio consistit, ad eamque ordinatur illorum Paupertas, Obedientiæ, & castitas conjugalis. Matrimonium enim per se non opponitur Charitati, & perfectio-
 n. *AZ. l. 1. c. 14. Ioan. Busæ de statu Matr. p. 1. & seq. Lud. de ponte To. 11. tr. 5. c. 2. At, inq. vis, Votum de meliore bono faciendū est. Melius autem non nubere, quàm nubere. Sec. illud 1. Cor. 7. v. 39. Qui non jun-*

git (virginem suam) melius facit. Resp. Militibus S. Jacobi, & similibus melius est nubere, quàm non nubere, propter innumeras occasiones, & pericula incontinentiæ, quæ illis, qui Martem sequuntur, non uno in loco, sed multis, & variis commorantur, subeunda. Nihilominus fatendum est, ejusmodi Milites, licet statum Religiosum habeant, ipso usu vitam agere religiosam imperfectè, & quasi secundum quid: ut non sine causa aliqui eos in numerum Religiosorum admittere nolint, inter quos *Dominicus Soto l. 7. de iust. c. 5. Sarmiento. Covar. & alii,* quibus ex recentioribus accedit *Azor. l. 1. l. 13. c. 3. Arragonus, Molina, Sa. V. Religio n. 41. in o Theologi omnes si Roderico credimus, qui to. 1. q. 1. art. 6.* contendit, prædictos milites non esse absolutè religiosos appellandos, sed cum addito militares, & ordinem illorum non simpliciter Religionem, sed *Militarem* inscribendum, in quem sensum nos quoque superius locuti sumus § 1. n. vi. Et quasi compendio *Em. Sa. V. Religio. n. 41.* Religiones ducentium uxores non sunt simpliciter Religiones, nec ordo, qui dicitur tertius S. Francisci.

V. Votum Castitatis solenne (& in Societate Jesu simplex) non tantum obligat ad abstinendum à matrimonio, & illius usu, sed etiam ab omni actu interno & externo, qui repugnat Castitati, cujusmodi sunt cogitationes obscenæ, delictatio morosa, immunditia, tactus impudici oscula, omnes denique actus libidinosi, quorum aliqui pro materiæ qualitate peccata mortalia, alii venialia sunt. In quo illud observandum, in plerisque Ordinibus censerì casum reservatum, quando opere externo completus est actus

actus Venerens, seu, ut loquuntur, lapsus carnis voluntarius V. *Suar. IV. de Relig. l. 2. c. 18. Sanch. l. 5. c. 6. n. 9. Vmbertum in Reg. S. Aug. Lud. de ponte de perf. Christ. Tract. 2. Caramuel. in Reg. S. Bened. n. 980.*

VI. Religiosus qui contra Votum Castitatis peccavit, si Sacerdos, Diaconus, aut Subdiaconus sit, in confessione satisfacit dicendo, se voto solenni Castitatis teneri, vel religiosum professum esse: quia licet duplici voto Castitatis obligetur, non tamen contra duplicem Virtutem castitati oppositam peccat. Specificari enim peccata non ex materiali, sed formali diversitate objectorum, seu honestatis oppositæ passim Theologi docent cum S. *Thom. 12. q. 72. art. 1.* Imò aliqui putant non addendum Tò solenne eo quod Votum simplex Castitatis, & solenne non distinguantur specie. Contrarium verò probabilius est. *Medina ad q. 72. S. Tho. Valentia. Tom. 11. D. 6. q. 2. par. 1. Azor. 1. l. 4. c. 2. & l. 12. c. 12. q. 9. Lessius c. 40. D. 5. n. 40. Bonacina To. 11. p. 117. Sanch. l. 7. de Matr. D. 27. n. 14. & in Decal. l. 5. c. 6. n. 3. & 14. Filluc. tract. 21. c. 6. n. 236. Caramuel in Reg. S. Bened. n. 999.* Alia huc pertinentia ad sextum Decalogi præceptum pertinent & Theologo Morali explicanda relinquuntur.

§. VIII.

De obedientia Religiosâ.

I. Obedientia, seu observantia Regularis est triplex. Prima essentialis, seu substantialis absolutè, quia est de intrinseca ratione cujuscunq̃ue Ordinis religiosi, cujuscunq̃ue est observatio trium

votorum essentialium. *Secunda* essentialis respectivè, quia obligat ad peccatum propter speciales alicujus Religionis Constitutiones. Sic apud Fratres Minores de observantia sunt 25. præcepta ad peccatum mortale obligantia, & in Societate Jesu præter Vota solennia, & communia, sunt specialia quædam à Professis quatuor Votorum nuncupanda, quorum propterea transgressio gravis censetur, ut si quis ambiret dignitatem aliquam, vel in eam consentiret. *Tertia* nullo modo essentialis est, nec culpam inducit, qualia sunt, quæ ad victum, vestitum, & communem vitæ rationem pertinent. V. *Vmbertum in 29. Reg. S. Aug. Redriq. Tom. 111. q. 19. art. 1. Suarez. IV. de Relig. c. 14. Sanch. l. 6. Mor. c. 1. Less. c. 46. D. 4. Lud. de pon. par. 3. tract. 6. c. xi.*

II. Religiosus sub peccato tenetur obedire superiori suo, ita, ut ex contemptu nihil agat contra regulam; aut mandatum illius. Hoc enim ante omnia significant illa verba, *Voveo obedientiam.* Nec apud DD. & rerum spiritualium Magistris dubium est, quin mortale peccatum committi possit per contemptum mandati Superioris. Censetur autem ex contemptu violare mandatum, qui non ex negligentia, aut cupiditate omittit, sed quia non vult regulæ, & superiori subiectus esse: vel cum eo sine negligit, ut ostendat, se mandatum, & regulam nihili facere. Materix parvitas tamen, ut in aliis quoque à mortali culpa excusare potest *Extra. de mai. & obed. Trithem. in c. 5. Reg. S. Bened. Item in c. 7. Gradu 3. Silv. V. obedientiâ. Mosc. l. 1. par. 4. c. 3. Sanchez. l. 6. Mor. c. 1. n. 7. & c. 4. n. 8. & 16. Suar. IV. de Rel. l. 2. c. 8. n. 25.*

Dd 2

III. Cum

III. Cū Superior aliquid mandat sub virtute, vel in virtute Obedientiæ, censetur gravem obligationem imponere, ita ut sub peccato mortali obedire subditus teneatur: Alias probabile est, non velle obligare, nisi quantum regula obligat, hoc est, vel sub veniali tantum, vel sub pœna, & correctione regulari: quem in modum ipsæ Regula obligare censetur. *Antonin. 2. Par. tit. 4. c. 2. Sanch. l. 6. Mor. c. 4. nu. 43. Azor. l. 5. c. 6. Q. 5. Sayrus. l. 3. c. 7. nu. 24.* No. hic quoque materiæ levitas culpam minuit, ut bene explicat. *Caramuel in Reg. Bern. n. 94.*

IV. Non tenetur obedire Religiosus, cū Superior mandat aliquid contra, supra, vel infra Regulam. *Licet de Regularibus.* Superior enim custos Regulæ est, & executor, ac proinde intra limites illius se continere debet. Hinc *S. Bern. l. 1. de prac. & dispens.* Prælati iussio, vel prohibitio non prætereat terminos professionis: nec ultra extendi potest, nec contrahi citra. Supra Regulam censetur esse, ubi in Ordine non est recepta consuetudo, ieiunare duplici quadragesimâ: ire ad infideles cum manifesto periculo vitæ, servire ægris in hospitali, & similia. Item acceptare episcopatum, suscipere curam medendi, advocandi, &c. Contra regulam, præcipere Carthusiano esum catinuum. Infra regulam, habere curam pecotum, frequentare convivia, choreas agitare. Non est inconveniens tamen asperum aliquid, puta, flagellationem aut ieiunium in pœnam delicti imponere. *Innoc. in c. Veniens de iureiur. Silv. Religio nu. 6. Tolet. l. 8. c. 16. Laym. in defens. iusta c. 3. p. 83.* Quid autem, si præcipiat indifferens aliquid? *Miranda Q. 26. art. 9.* putat non obligari subditum.

Limita, nisi appareat, eo fiti imperari, ut subditi obedientia, & humilitas probeatur. *Trithem. in Reg. S. Bened. c. 7. Gradu 3. Sanch. l. 6. Mor. c. 2. nu. 13. & seq. Caramuel in Theol. Regulari Disp. 22. & in Comm. n. 690. & seqq. Tuschus Concl. 326.*

V. Quando dubitatur de potestate præcipientis, vel an sit legitimus Superior, ad obediendum illi nemo tenetur. Melior est enim conditio possidentis puta libertatem suam. Pari modo nemo tenetur lege, de qua an vera lex sit, iuste dubitatur. Idem dicendum, si de re præcepta dubitetur an licita sit, quia exponitur dubitans periculo peccandi. Hinc *Adrianus quodl. 2. art. 2.* Nullus dubitans de actu, an sit mortalis vel non, licite obedit, ipso sic dubitante. Tenetur autem subditus conniti ut dubium abiciat. Quod ipsum adhuc limitant DD. nisi obediendo aliquod grave incommodum in persona, honore vel rebus subdita aut alteri cuiusdam timeatur: non obediendo autem nihil incommodi sequatur. *Summ. in V. Dubium. Roder. III. Q. 19. a. 5. & seq. Reginald. l. 13. n. 100. Fill. Tr. 21. n. 153. Sanch. l. 6. Mor. c. 30. n. 2. & sequ. Bonac. Tom. II. p. 364. Em. Sa. V. Dubium. Card. Lugo. l. 3. Consil. D. 19. Armilla. V. Obedientia. n. 4. Bardus Discept. 6. c. 2. §. 8.*

VI. Non posse Superiorem præcipere actus merè internos, puta Orationis mentalis, Spei, Charitatis, & similes multi DD. putant: id tamen non omnino certum esse. *Layman probat l. 4. Tr. 5. c. 9.* Nam 1. ad talem Obedientiam cū sit opus Deo gratum, Religiosus voto se obstringere potest. 2. probabile est, in quibusdam Ordinibus, ubi accuratior disciplina est, cum tali intentione Votum Obedientiæ nuncupari.

cupati 3. Superiores irritare possunt Vo-
ta de actibus merè internis. Vnde colligi-
tur, eos habere potestatem gubernativam
in Actus merè internos. Denique non ra-
rò iniunguntur Orationes ad intentionem
Superioris, quæ intentio merè interna
est. Idem Suarez. 3. de Rel. l. 10. c. 9. addens
non expedire, docet, ut sub obligatione
peccatiles actus imperentur. Nam ne-
que de observatione, & transgressione il-
lorum Superior cognoscere potest: neque
ad studium perfectionis in quo versantur
religiosi, multum proderit.

VII. Quando regula sub peccato obli-
gat, transgressio illius est contra Votum
obedientiae, & sacrilega, ut colligitur ex
Clem. Ex vi de verb. sign. §. Declaramus.
Ratio. quia Voventes obedientiam
obligant se ad observationem
Regulae secundum intentionem Aucto-
ris, quæ, ut suppono, fuit ad mortale pec-
catum obligare. Quod si actus præceptus
etiam lege divina, vel ecclesiastica impe-
retur, duplicis peccati reus fit transgres-
sor, contra Obedientiam videlicet, & cõ-
tra virtutem, cuius intuitu opus iniungi-
tur. In dubio tamen præsumi potest, Re-
gulam non præcipere sub mortali pecca-
to, sed commonetacere de eo, quod fa-
ciendum est. S. Thom. 22. Q. 88. ar. 5 ad 3.
Lect. l. 2. c. 46. D. 6. Sanchez l. 4. Mor. c. 11. To-
let. l. 8. c. 16.

VIII. Cùm Regula secundum inten-
tionem Auctoris non obligat ad pecca-
tum, nemo peccat contra Virtutem obe-
dientiae, eam non observando: quia Voti
huius materia non est quælibet, sed sub
gravi obligatione præcepta. Nihilominus
reatum pœnæ inducit, quam si iniungat
Superior cum intentione obligationis sub

peccato, omittens haud dubiè peccat: A-
liàs minime. Sanchez l. 6. Mor. c. 2. n. 13 Con-
fessor. Huius generis Regulae Societatis
nostræ sunt, de quibus S. Ignatius par. 4.
Const. c. 5. ait, non posse obligationem ad
peccatum mortale aut Veniale inducere,
nisi Superior in nomine D. N. Iesu Chri-
sti, vel in Virtute obedientiae iuberet. Ni-
hilominus propter illarum transgressio-
nem pœnam esse subeundam monet par.
3. c. 1. ci. fin. Suar. IV. l. 1. c. 2. Idem videtur
usitatum in Ordine S. Dominici. Idem de
Regula S. Benedicti, S. Augustini, & Ter-
tiorum S. Francisci in communitate v-
ventium Caramuel affirmat in Comm. in
Reg. S. Benedicti. Hinc verò dubium enas-
citur, An nullum omninò peccatum sit,
aliquam ex prædictis regulis transgredi?
Respondet Paulus Layman l. 4. Tr. 5. c. 9.
n. 8 cum S. Thoma, Valentia, Vasquez &
Sanchez. l. c. 1. Si quis bona fide id faciat.
V. g. loquatur cum socio suo, ut illum cõ-
foletur, non peccare, paratum tamen esse
debere ad subeundam pœnam. Quod fan-
tè mirum. Quomodo enim talis regula,
de non loquendo scilicet, obligabit me
ad omittendum actum Charitatis, quem
hic & nunc necessariò exercendum esse
iudico? Dixerim igitur, in tali casu regu-
lam silentii non obligare, nec ab eo vio-
lari, qui mœstum consolatur. Nunquam
enim eiusmodi regulae obligant, quando
cum alia maioris pretii lege concurrunt.
Nulli charitas, charitati omnia cedunt. Il-
lud verum est, quod citatus Auctor mo-
net peccare minimum venialiter, qui ani-
mi torpore, aut negligentia regulam vio-
lant: item qui propter inordinatum affe-
ctum delinquant. Ratio enim non per-
mittit absque ratione, & iusta causa age-

re, vel omittere aliquid eorum, quæ uniuscuiusque professioni, ac Statui propria sunt. Fieri etiam potest, ut mortaliter peccet, qui liberè & inordinariè iam quasi consuetudine firmata regulæ præcepta transgreditur, quia vehementer turbat disciplinam religiosam, & exponit se periculo totius Vocationis amittendæ. *Valent. to. 3. D. 10 p. 4. Pun. 5. Suar. 3. de Relig. l. 10. c. 7. Lud. ponte de perf. To. 3. Tr. 6. c. 8. Silv. V. Religio §. 1. n. 8.*

IX. Licet aliquis vovisset omnia, & singula, quæ in Regula continentur, servare, non peccabit graviter in singulis à se neglectis, & prætermisissis. In Regula enim continentur magna, & parva, magis & minus necessaria, vel utilia. Illorum ergò, quæ minima in se sunt, & ut minima à plerisque æstimantur, non potest esse lethali transgressio, quamvis Voto vel iuramento promissa sit: siquidem in nullius hominis arbitrio est vel per legem communem multis impositam, vel privatam sibi soli indictam in re non magna magnam obligationem ponere. Tantummodò ea, inquit *Caramuel n. 96.* sub gravi obligatione custodire teneor, quæ in doctorum opinione iudicantur magna; qualia sunt ieiunium, & officium divinum: ad ea autè, quæ sunt materia parva, teneor quidem ratione voti, sed tantùm sub veniali: quia quando voveo aliqua parva, non teneor sub culpa gravi adimplere votum. Hæc doctrina expresse est *Soti de iust. l. 7. q. 2. art. 1. Aragon 22 q. 88. Ioann. de la cruz in Dir. Par. 1. pro. 2. Ar. 2. Dub. 4. Villalobos in sum. To. 2. tr. ct. 34. Diff. 3 n. 3. Sanch. in sum. l. 4. c. 12. n. 16. Tanner. 22. D. 5. D. 3. Ita Caramuel Comm. in Reg. S. Bened. nn. 96. Graff l. 3. c. 25.*

X. Si quæras, Unde cognoscatur, hanc vel illam Regulam graviter, & sub mortali peccato obligare, id non minimi laboris & iudicii forebor esse. Attendendū igitur ad hæc tria. 1. an sit materia Voti alic. substantialis. 2. An sit valde necessaria. 3. An illis verbis concepta, & proposita, quæ in legibus, & præceptis gravem obligationem significant, quemadmodum latius explicat. *Suar. IV. de Rel. lib. 1. c. 3.* Verùm hic meminerit Religiosus, Obedientiam, quæ non nisi necessitati deservit valde imperfectam esse, quemadmodum, *S. Bern. in l. de Dispens. & præcepto c. 9.* dicit, causâ additâ. Nam, inquit, perfecta obedientia legem nescit, terminis non arctatur, neque contenta angustiis professionis largiori voluntate fertur in altitudinem charitatis, & ad omne, quod iniungitur, spontanea, vigore liberalis alacrisq; animi modum non considerans, in infinitam libertatem extèditur. Ita *S. Bern.* Talis obedientiæ 7. gradus numerantur, seu proprietates. *Prima* est obedire promptè & libenter. *Secunda* obedire simpliciter, submittendo iudicium proprium Superiori. *Tertia* obedire Hilariter. *Quarta* obedire humiliter. *Quinta* obedire viriliter, & constanter. *Sexta*, obedire in differenter. *Septima* obedire perseveranter. Hæc omnia exemplo Abrahæ copiosius exponit *Corn à lapido in c. 12. Gen. quem lege.*

§. IX.

Satisfit Dubiis.

DVB. I. An Præpositus Generalis cum Capitulo, seu Congregatione legem aliquam, vel Constitutionem ferre queat, quæ sub prima Ordinis Regula nec explicite,

ante, nec implicite continetur?

Affirmat *Glossa in c. Periculoso. de sta. Regul. in 6. & in Reg. Quod omnes. de Reg. in 6. Innoc. c. super eo ibid. Abb. nu. 6. de regular. & plures alii, quorum fundamentum videtur esse, quod Religiosus proprium velle non habet, postquam obedientiae voto se in Praelati manus tradidit. Contrarium docent, tum antiqui, tum recentes DD, magno numero, & auctoritate.*

Ratio. Religiosus non ita tradidit voluntatem suam in manus Praelati, ut quidlibet ipsi iniungere queat. Fieri tamen potest, ut omnes simul congregati unanimi consensu statuant aliquid ultra, vel supra primam Regulam, in quo eventu haud dubie nova obligatio nascitur, sed non imposita nisi volentibus, & consentientibus. Illi autem, qui post eiusmodi novum Statutum Ordinem assumunt, si Regula antiqua illis tantum proponatur, ad eam solam obligati erunt, quia illam solam profitentur. *Silv. Armilla Vasq. 12 Tom. 11. D. 154. Salas Q. 95. D. 8. S. 1. 2. Suar. 14. de Relig. l. 2. c. 8. Laym. l. 4. Tract. 5. c. 9. Sanch. l. 9. Mor. c. 2. n. 18.*

DVB. 2. An qui professus est eo tempore, quo regularum observatio longa defuetudine iacebat, eandem iuxta primam institutionem servandam cogi possit? *Abbas c. super eo de Regular. eumque secutus Silv. V. Religio 3. Q. 12. respondet, si non habuit animum obligandi se, nisi ad Regulam prout nunc servatur, quoad Deum, siue in conscientia obligandum non esse ad primam Regulam. Potest enim cogitare, & praesumere rationabiliter laxationem illam ex certis causis promanasse. Unde non prius obligatur ad reformationem,*

quam ea legitime facta sit. *Laym. l. cit. nu. 12. Verum occurrit, quod etiam Raymundus movet, quemlibet Ordinis alumnus obligare se ad id, non quod actu fieri certum, sed quod secundum institutionem fieri debet, maxime si sciat, quanam observanda sint. Dicendum nihilominus, si non expressit in professione sua aliud, quam se amplecti eum modum vivendi, quem invenit in suo ingressu, cogi ulterius non posse. In dubio tamen contra illum iudicabitur praesertim in foro externo.*

At, inquis, quid si necessaria iudicetur reformatio, tum propter periculum ruinae totalis, tum propter scandala, quae vitae, morumque dissolutio purit?

R. In cuiusmodi casu superioris institueret reformationem tenentur, & ea inferiores seu subditò acceptare. Hoc enim universalem omnes implicite profitentur, aut certe profiteri debent, quod vivere velint secundum consilia evangelica servando Paupertatem, Castitatem & Obedientiam, quae tanquam media necessaria sunt, ad perfectionem consequendam. *Az. 1. l. 13. c. 11. Q. 19. Sanch. l. cit. c. 2. Layman. nu. 13. Moscon l. 1. Par. 4. c. 3.*

DVB. 3. Quando Religiosus mortaliter peccet contra Obedientiam?

R. in 4. casibus. 1. cum facit contra id, quod Superior praecipit conformiter Regulae, quam vovit, & ad unum ex tribus Votis pertinet, vel non parum ad salutem, ac vitam aeternam confert. Tunc enim materia gravis esse censetur. 2. cum non facit, quod Praelatus mandat in virtute Sanctae Obedientiae, aut verbis aequivalentibus, aut sub poena, quae non nisi peccato mortali debetur. 3. Cum peccat ex contemptu (tam in levibus, quam in gravi-
vibus)

vibus: quia scilicet non vult subesse, vel ut ostendat se ad obediendum non teneri. Hæc enim iniuria gravis esse censetur, illata Superiori, & Ordini. Denique cum nullam omnino habet intentionem tendendi ad perfectionem. In hoc enim elucet quædam quasi Apostasia à Statu Religionis, cuius intrinsecus finis esse debet non quidem actu perfectum esse, sed ad id conari per observantiam regularem. *S. Tho. 22. Q. 156. ar. 2. & 9. Navar. c. 23. n. 35. Roderic. III. q. 19. Reginald l. 18. c. 27. n. 391. Umberto in Reg. S. Bened. c. 29. Alv. Pelag. l. 2. de plan. Eccl. artic. 70. Caram. in Reg. S. Ben. n. 701. & seq.*

DVB. 4. An, & quomodo peccet Rel. professus nõ gestãdo habitũ Ordinis sui?

R. in c. *Vt periculosa. Ne clerici vel Monachi in 6 Bonifacius VIII.* ita loquitur. *Vt periculosa religiosis evagandi materia subtrahatur, districtius inhibemus, ne de cætero aliquis quæcunq; religionẽ tacitẽ, vel expressẽ professus, in scholis vel alibi temere habitũ religionis suæ dimittat. Et post pauca.* Si quis autẽ horum temerarius violator extiterit excommunicationis incurrat sententiã ipso facto. Ex quibus verbis colliguntur 1. dimittentes habitũ religionis suæ peccare mortaliter, aliàs non inciderent in excommunicationem latæ sententiæ. 2. non peccare mortaliter, nec incurtere excommunicationẽ, si exuãt quidẽ habitum, sed *Non temerẽ*, id est, ex iusta aliqua, & rationabili causa ut ex g. melius currat, laboret, vel dormiat. 3. nec sufficere ad pecc. & excom. contrahendam, si occultẽ dimittat habitum, non vagetur, aut prodeat in conspectum hominum absque habitu, quod indicat scopus prohibitionis, & verba illa, *ut evagandi mate-*

ria subtrahatur. 4. peccare tamen, qui sic occultat habitũ, ut à videntibus nõ possit discerni, an Religiosus an secularis sit. 5. an excommunicationẽ incurrat, qui exstirpi causa, puta, prædationis, aut fornicationis causa habitum dimittit ad breve tempus, iterumq; resumat, dubitari potest? *Affirmant Paludanus, & Antonius.* Quid enim magis temerarium est, quàm peccandi causa deponere habitum, cuius gestatio retrahit à libertate peccandi? Negant nihilominus *Silv. & Navar. quibus assent. Az. 1. l. 12. c. 17. p. 9.* quia tales non dimittunt eo animo habitum, ut vagentur: quasi verò literam magis, quàm sensum legis attendere oporteat. Qui occultant habitum, ne agnoscantur, esse irregulares, excommunicantur ut supra diximus, multò magis, qui abiiciunt, ut expediti sint ad malè operandum *V. Barb. in c. cit. Sanch. l. 6. Mor. c. 8. Roderic. Tom. 2. p. 77. ar. 6.*

No. quamvis non peccant contra hanc Decretalẽ, qui nõ temere exuunt habitũ, contra alia tamen præcepta peccaturos, si ex levitate, aut causa nõ multum necessaria exuant: maxime si scandalũ accedat.

DVB. 5. Quot malitiæ sint in actu inobedientiæ hominis religiosi?

Omninò plures esse videntur. Nam 1. peccat contra obedientiam. 2. contra fidem datam Prælato, & Religioni. 3. violat iustitiam, lædendo per traditionem sui ius acquisitum Ordini. 4. contra illam Virtutem peccat, ad quam actus præceptus pertinet. V. g. temperantiam, si ieiuniam non servet. E contra unum & simplex peccatum esse docet *Sotus l. 7. de iust. c. 2. art. 3.* quia licet Prælatus obsequium constituerit in genere obedientiæ, non tamen nisi per Votum. Non enim obedi-

tiam

riam Prælato voves, sed Deo, quod eris Prælato obediens.

R. Religiosus violando præceptum Obedientiæ communiter peccat cõtra duas Virtutes, Religionem scilicet, propter Votum, & iustitiam propter traditionem, quæ se Superiori & Ordini obstrinxit. *Suar. 111. de Relig. l. 10. c. 6.* Est igitur in tali peccato malitia sacrilegij, quod omnes fatentur, quia contra Votum agitur. Est simul contra iustitiam, quia inter Prælatum, & Religiosum necessariò intervenit Contractus quidam utrimque obligans, Religiosum quidem ut Ordini serviat, Prælatum verò, ut tanquam membrum Congregationis suæ habeat, præstando illi necessaria secundum Ordinis sui legem, & consuetudinem. Unde liquet, reitiam quoque malitiam accedere posse. Vt si Superior tanquam Legislator actum præceptum constituat in materia Virtutis, ad quã per se pertinet, v.g. iniungendo ieiunium Feria 6. ut temperantiam exerceas. In hoc eventu qui inobediens est, contra temperantiam peccat: quod non fiet tamen, si secundum communem modum imperandi tale ieiunium indicatur. *Vasq. Disp. 98. c. 3. Anton. Perez. in Reg. S. Ben. c. 5. n. 22.*

DVB. 6. An religiosi per obedientiæ votum Summo Pontifici obligati sint?

R. Cum summus Pontifex omnium Ordinum supremus Prælatus sit, omnes religiosos, quemadmodum immediatè subiecti sunt Prælato suo, mediatè verò Ordinis totius Generali, ita subiectos esse summo Pontifici, qui quemlibet illorũ transferre potest, & vel dignitate aliqua exornare, vel præficere alicui loco, conventui, vel etiam Ordini. Hoc enim bona Ecclesiæ gubernatio, & animarũ salus requirit.

Unde multos ex diversis Ordinibus videmus assumptos vel episcopatibus præesse, vel in aliis officiis ecclesiæ deservire. Quamobrem *Rodericus. l. 1. Q. 17. ar. 7.* de fide esse pronunciat, quod summus Pontifex in Ecclesia sit supremus Prælatus, cui iure divino cuncti obedere teneantur. Infert deinde, quod potestas Prælatis data non sit independens, sed coartata, & restringi à summo Pontifice posse. Idem *Roder. 3. Q. 21. ar. 8.* docet, Religiosos à summo Pontifice cogi posse, ut ad infideles se conferant, evangelium annuncient, eosque etiã episcopatu suscepto gubernent. Idem *To. 14. tit. 2. c. 14.* probat in omnes omnino, & maximè ecclesiasticos Papam habere summam potestatem. *Mosconius verò l. 1. Par. 1. c. 1.* contrarium docens hæreticos esse pronunciat. *V. Bellar. l. 1. de Pontif. c. 12. & l. 2. c. 15. Laym. l. 1. Tr. 4. c. 6. §. 1. & in Defend. infra c. 2. p. 50.*

DVB. 7. An Religiosi episcopis subiecti sint?

R. *Silv. Q. 10.* cum distinctione, in iis quæ ordinis propria sunt, Prælato subesse: in aliis verò quæ disciplinam ecclesiasticam concernunt, magis Episcopo obediendum esse. In eundem sensum loquitur. *Rod. To. 11. Q. 64. Suar. 3. l. 16. c. 11. n. 4. infra §. 12. n. 4.*

D. 8. An Votum Obedientiæ admittat dispensationem. ita, ut maneat quis Religiosus, sed absque Voto obedientiæ, quo alicui Prælato sublit?

R. *neg. c. Cum ad monast. de Statu Mon. & comm. sen. DD.* quia Votum illud de essentia status religiosi est. Quo sensu etiam *S. Tho. 2. 2. q. 86. art. 8.* Papam negat dispensare posse cum aliquo Religioso, ut nulli Prælato teneatur obedire. His tamen non

E c

obstar-

obstantibus fieri potest, ut partialiter, seu secundum quid cum Religioso dispensetur, ut V. g. nõ teneatur obedire in iis, quæ ad studia pertinent, vel curam pauperum, & similia. *V. Suar. III. de Relig. l. 10. c. ult. Roder. To. 1. Q. 24. ar. 1. Barb. in c. Cum ad monast. de statu Mon. cum al. quos citat.*

§. X.

De transitu ex uno Ordine in alium.

I. **C**uilibet Religioso licet ad Ordinem astrictiorem, transire, quamvis non obtenta à Prælatis suis licentia, modo eam petiverit. *c. Licet de Regular. est. que communis DD. sententia, sed citatum caput exigit, ut zelo sanctioris vitæ fiat. Unde hic dubitatur de pluribus. 1. De Canonicis Regularibus. 2. De Conversis, & Oblatis. 3. De Monialibus. De Canonicis dubium oritur ex c. Mandamus 2. & c. 1. Nullus 19. q. 3. Mandamus, aut Vrbanus II. Papa, ne quis Canonicus regulariter professus, monachus efficiatur. Concilium Eduense sub Greg. VII. Nullus Abbas, vel Monachus canonicos regulares à proposito professionis Canonice revocare, & ad monasticum habitum transibendo, suscipere audeat. Verùm hisce lucem adfert c. Statuimus. Vbi Urbanus II. Abbati S. Ruffini scribit, Statuimus ne professionis Canonice quisquam alicuius levitatis instinctu, vel districtioris religionis obtentu ex eodem claustro audeat sine patris & totius Congregationis permissione recedere. In vetusto Codice legitur *Sine patris totius Congregat. Quod autem dicitur, non licere sine permissione recedere, intelligendum est iux-**

ta declarationem capitis. Licet de Regularib. Ut nimirum licentia petatur, quam si neget Prælatus, quod non debet, satisfacisse censetur obligationi, & conscientie suæ transurus. Suar. IV. de Rel. 3 c. 8. Conversos, & oblatos ad strictiorem Ordinem migrare posse, quamvis neget Angelica, Taberna, & alii quidam, ex paritate rationis liquet. Nec obitate debet, quod fervorum instar se Ordini manciparunt, quia etiam profesti tradunt se, non tamen insolubiliter, sed secundum mentem, & intellectum Iuris Canonici. c. Non est de Regularib. Roderic. III. Q. 21. artic. 2. Suar. Tom. IV. de Relig. 13 c. 10. num. 1.

De Monialibus affirmant, qui post Concilium Triid. scripserunt, multi apud *Barbosam in Comm. ad c. Licet*, qui simul notat, quamvis eiusmodi transitus in casibus à Iure permissis fieri possit auctoritate Episcopi, & superioris, Sacram Congregationem tamen velle, à se ut licentia petatur. Ex quo colligitur, non licere, aut concedi nisi quatuor adiectis conditionibus. *Prima est*, ut antequam exeat, aliud Monasterium sit paratum, in quo benevolè recipiatur. *Secunda*, ut dotem consuetam perfoluat. *Tertia*, ut Spes illi auferatur redeundi ad prius Monasteriũ. *Quarta*, ut translatio fiat comitantibus matronis consanguineis recta via absque diverticulo, ac nullibi pernoctetur, nisi causa hospitii, idque apud honestas personas.

Verùm quid de Prælatis, adeoque ipsis Generalibus dicendum. Non aliud, quam æquè illis, atque aliis licere transitũ ad Ordinem strictiorem, modo licentiam petant. Exempti à Pontifice petent, quocumque ibunt; negante manebunt; alii à suis

fuīs Superioribus petere debent. At, in-
quis, privilegium concessum est quibusdā
Ordinibus, ne liceat ad alium Ordinem
transire. Prohibetur nimirum transitus,
qui temere, & cum notabili iactura Or-
dinis fieret. Si tamen in aliquo privilegio
addatur, non posse quemquam transire
non obtenta licentia Prælati, ea omninò
impetranda erit: nec facile negant Præ-
lati, ne summi Pontificis indignationem
incurrant. Et falsum est Glossæ Glossæ,
in foro exteriori tantum excusari à pec-
cato, qui ad alium Ordinem abeunt. *Roder. 3. Q. 52. art. 18.*

II. Causæ mutandi Ordinem variæ esse
possunt, ut 1. Valetudo, aut debilitas. 2.
Naturæ aversio, & horror. 3. odium, vel
invidia cohabitantium. 4. Neccsitas pa-
rentum, cui subveniendum. 5. si quis ma-
lè, & indignè tractetur, quod à morosis
quibusdam Superioribus fieri notat, & vi-
tuperat *Rodericus Tomo 3. p. 52. artic. 2.*
Denique si infamatus sit, ideoque in per-
petuo mœore victurus videatur. Potissi-
ma omnium vitæ sanctioris desiderium.
*Azor. 1. l. 12. c. 14. Q. 8. Suar. 4. de Rel. l. 3.
c. 9 & 11. Roder. l. cit. art. 3. 8. 9. Less. c. 41.
D. 13. num. 102. Dsana Par. 3. tr. 2. Re-
sol. 43.*

III. Cùm plures sint, à quo Superiore
petenda sit licentia transeundi ad strio-
rem Ordinem, non satis liquet. Ac Primò
quidem, nisi aliud in Ordine statutum sit,
de Monachis loquendo putem, licentiam
dare posse etiam Guardianos, Custodes,
& his Provinciales, Provincialibus verò
ipsum Generalem *Barb. in c. Licet de Re-
gular. Suar. lib. cit. c. 10. num. 29. Silo. V.
Religio. §. 4. num. 2.*

In Societate nostra cautum est, ne quis

ad alium Ordinem præterquam Carthu-
sianorum, nisi de expressa licentia Præ-
positi Generalis, vel summi Pontificis
transeat: Aliter facientes excommunican-
tur. Item si quis obtenta licentia vel ad sæ-
culum redeat, vel laxiorem Ordinem in-
gressus fuerit, tanquam Apostata puniri
potest. *Compend. Prævil. Soc. Iesu. V. Apo-
stata. n. 9 & 10.*

Secundò cùm transitus petitur ab Ordine
æquali ad alium æqualem cum legiti-
ma causa, licentiam non tantum mediati,
sed etiã immediati, ut Guardiani, & Prio-
res aliique Prælati Conventuales de con-
silio & consensu sui Conventus, præstare
possunt. Si verò absque legitima causa pe-
tatur, à summo Pontifice impetranda ve-
nia erit. *Abb. in c. Non est dubium n. 6.*

Tertiò Idem dicendum, si ad laxiorem
Ordinem absque legitima causa transeun-
dum sit, ut post alios *Sanchez docet l. 6. c.
7. nu. 1.* Neque enim in conscientia tutus
esse potest Religiosus, qui absque ulla cau-
sa Ordinem, & professionem suam mutare
cogitat. Quã ob causam nec summus Pon-
tifex eiusmodi licentiam facile dabit.

Quartò Cùm legitima causa subest, e-
tiam Prælati Papa inferior licentiam da-
re potest transeundi ad Ordinem laxio-
rem, licet facilis ad summum Pontificem
aditus foret. *Bald. Conf. 131. lib. 1. Tuschus
V. Translatio Conclus. 365.* Quod autem
dicitur in *Extravag. Viam Ambitiosa
& Concilium Tridentinum Sess. 25.
cap. 19.* ut nemo Regularis cuiuscunque
facultatis vigore transferatur ad Ordinem
laxiorem, intelligitur, id non fa-
ciendum absque rationabili causa, eius-
que discussione, ut olim fiebat. Hinc
Congregatio Cardinal. addit, non per-
mitte-

mittendum esse transitum, nisi cognita causa, & vitæ, ac morum ratione perspecta, idque ex approbatione Capituli. *V. Azor. To. 1. l. 12. c. 14. Q. 8. Diana Par. 3. Tr. 2. Resol. 42.*

IV. In prædicto transitu non attenditur, utra Religio perfectior, sed utra secūdum communem æstimationem arctior, aut rigidior sit. Patet ex verbis *cap. Licet. Vi vitam duceret arctiorem.* Idem *ex c. 1. 20. Q. 4. colligitur, ubi Concil. Triburien. se Virgines sacræ (de viris idem intellige) si pro lucro animæ suæ propter districtiorem vitam ad aliud monasterium pergere disposuerint, ibidemque manere, synodus concedit.* Equidem communi iudicio Carthusianorum Religio strictissima censetur propter solitudinem, silentium, & prolixam psalmodiam: nihilominus Minimi superant, quoad abstinentiam, quia nec ova nec lactinia admittunt. Atque ita Minimorum Ordinem superare Carthusianos quoad rigorem multis probat *Riccus. l. 8. c. 7.* Ac proinde licitum esse Carthusianis, & quibuscunque aliis transire ad Minimos, ut habetur in literis *Iulii II. & Leonis X. Roder. 111. Q. 52. art. 18. & 19.* ubi à Carthusianis ad Prædicatores transitum permitti ex Navarro tradit.

V. Iure speciali prohibetur transitus Ordinum Mendicantium ad Ordines monachorum non Mendicantium, sine expressa licentia Papæ, Carthusia excepta. *Extrav. Ambitiosa quæ est Martini V.* Additur pœna excommunicationis latæ sententiæ Pontifici reservatæ, quam incurrunnt tam recipientes, quàm recepti. Imò dispensare non posse Ordinum Mendicantium Prælatos, docet *Rodericus Q.*

52. nu. 15. Voluit enim summus Pontifex conservationem Ordinum Mendicantium stabilire, ut patet ex tenore *Extrav. citata.* Nec ullo modo permittitur transitus ad Clericatum, ut ex eadem *Extrav. & quadam Clement.* quæ est *prima de Regularibus,* constat. Verùm intelligenda sunt hæc omnia non de Novitiis Ordinum, sed solis Professis, excepta Societate Iesu ubi in eiusmodi pati passu incedunt, qui absoluta probatione Vota simplicia emiserunt.

DIXI *Carthusia excepta:* quam si perat quisquam zelo arctioris vitæ, Superiores non modò possunt, sed etiam debent sub peccato mortali licentiam dare. Si absque causa negent, vel tergiversentur, illis omisis licet propositum suum exequi. Quia in re tamen utrimque cum moderatione agendum est, ut latius explicat *Barbosa in c. Ne religiosi & Lessius c. 41. D. 13.* qui simul monet observandum, Si aliquis Mendicantium transeat ad Carthusianos, vel alium Ordinem Mendicantium, etiam cum summi Pontificis licentiâ, inhabilem fieri ad omnes Dignitates, & beneficia intra vel extra Ordinem obtinenda: item ad curam animarum, & ad omnia officia etiam nomine Vicario: catere item loco, voce activa, & passiva in Capitulo, ut patet ex *Clem. prima.* Denique generatim omnes Religiosos translatos ad alium Ordinem etiã arctiorem esse incapaces beneficiorum sæcularium, quamvis curata sint, debereque perpetuò manere in claustro sub obedientia Prælati. Ita *Conc. Trid. statuit Sess. 14. c. 11.* Vbi tamen Congregatio declarat, omnes cuiuscunque religionis translatos legitime ad Carthusianos, posse a-
pud

ad illos Priores in Claustro, & extra illud procuratores fieri: Item à Prælati licentiam dari posse translato standi ad modicum tempus extra Claustrum causa prædicationis, vel audiendi confessiones Quæ in re ut faciem, & benignum se præbeat superior, injuncti muneris obligatio suadet, quæ non est austeritatis, sed charitatis. *V. Anton. Perez. in Reg. S. Bened. c. 64.*

VI. Translatus ad alium Ordinem in eo debet præmissio probationis tempore de novo professionem edere. *Barb. in c. Licet. & Conc. Tr. Sess. 25. c. 16.* Cum enim Ordinis novi, bonis ac privilegiis frui velit, ea præstare debet, quæ eum possunt capacem reddere Idem dicendum de illo, qui translatus est, ut Prælati fiat. Unde sequitur, ut simili modo locum postremum in Choro, & Capitulo occupet, ne aliis Prælati in superbiam, & laqueum diaboli incidat.

VII. Bona temporalia primo Monasterio manebunt, ne quidem usufructu excepto: quæ verò in posterum lucrabitur, posteriori cedent *Navar. in c. non dicitur. 12. q. 2. & alii. ab Azorio, & Barb. citati. quin etiam Navar. cenlet, Religiosum ita translatum ne quidem deferre secum posse, quæ vel perdonationem vel propriam industriam acquisivit: quia licet ejusmodi transitus à Jure permittitur, sine damno Ordinis, & Monasterii fieri debet. Quod manu scripta attinet melius cum Valero sentit Diana conferre secum posse, ut libros quoque à se compositos, quia sunt proprii ingenii, & laboris fructus: nisi particulari aliquo statuto prohibeatur. *Tuschus V. Monachus Concl. 322.**

VIII. Qui vel non recipitur in alio Or-

dine, vel ante professionem dimittitur, redire & recipi debet à priori Ordine, quia non est dimissus simpliciter, sed sub conditione, ut alium Ordinem ingrediat: Non rediens pro Apostata habendus est. *Silv. V. Religio IV. q. 5. Miranda tō. 1. q. 31. art. 18. Sanchez. l. 6. c. 7. n. 30.*

§ XI.

De ejectis & fugitivis.

I. **M**Os olim fuit, improbos & incorrigibiles Monachos ejiciendi ex Monasterio, ut tali ignominia, & consociatis illi ærumnis emendati ad bonam mentem cum filio prodigo redirent. Hunc morem antiqui Canones non damnant, ut videre est in *c. ult. de Regular. & c. Cùm ad Monasterium. de statu Monach. Hieron. rela. in c. Resecanda. 24. p. 3. Resecandæ, inquit, sunt putridæ carnes, & scabiosa ovis à caulis repellenda. V. Caram. in Reg. S. Bened. disp. 136. n. 1758. At Congregatio Conc. Trid. Sess. 5. c. 14. Declar. n. 3. aliter statuit, prohibens, ne in posterum regularium quisquam ejiciatur à Monasterio, etiam si sit incorrigibilis: sed peccantes à Superioribus ignominia carceris castigentur, & acrius etiam, si opus fuerit, pro modo delictorum puniantur. Paulo aliter Congregatio Regularium An. 1624. ejici posse, qui verè incorrigibiles sunt, servatis conditionibus illis, quas in Bullario Urbani VIII. reperies. Hæc ubique si observarentur minor esset vagabundorum fratrum numerus, cessarentque innumera quæstiones, quæ propter id genus ejectos, & fugitivos Monachos moveri solent. *Perez. in Reg. S. Bened.**

8 *Bened. c. 28. n. 12. S. Bonav. in Reg. S. Franc. c. 14. Vmbert. in Reg. S. Aug. c. 99. Turrecr. in Reg. S. Bened. tract. 88. summ. Aug. Silv. Tabion. Armilla.*

II. Causæ ejiciendi tres sunt *Prima*, nolle corrigi, quam solam in Jure exprimi putat *Lestius c. 41. D. 14. Secunda*, crimen, cui in Ordine talis poena decernitur, velex quo timetur infamia. *Tertia* obtinuisse aliquod impedimentum Ordini essenziale, vel aliàs grave. Monet *Barb. in c. ad monasterium* ultra incorrigibilitatem requiri, ut defectus non solum innotescat fratribus, sed etiam sæcularibus. Hisce causis cessantibus, si Ordo professum aliquem ejecerit, contra justitiam peccat, teneturque quamprimùm revocare, nisi aliud particularia statuta velint. Nam ut supra diximus, contractus inter Prælatum, & subditum id exigit, ut quemadmodum sponte sua deserere Monasterium non potest professus, ita nec invitatus ab eo separari. Nondum professi, sed votis simplicibus tantùm ligati, ut in Societate nostra, dimitti possunt nullo crimine patrato, sed quia minus aliquando utiles, & commodi futuri existimantur. Nec injuriæ periculum est, quia cum tali conditione ad vota simplicia admittuntur. *V. Azor. l. 1. c. 26. q. 3.*

III. Religiosus justa de causa ejectus non liberatur ab observatione Regularum Ordinis sui, & votorum essentialium. Ita communiter DD. aliàs non modicum lucrum ex improbitate sua acquireret in ruinam animæ suæ. De Paupertate potissima difficultas est, cum à suis desertus comparare sibi necessaria debeat. Communior opinio est, non acquirere ullius rei dominium, sed usum

tantùm. Aliqui tamen cum Molina plenioram quandam licentiam tribuunt, etiam in usus illicitos validè expendendi, ita ut accipiens retinere possit, idque usu receptum esse etiam *Lestius, Sanchez* fatetur. Cui ergò, *inquis*, dominium acquiritur? Aliqui cum Layman acquiri Ecclesiæ Diocesanæ putant, si inibi beneficium habeat, vel Romanæ, si beneficio caret. Cùm enim à Monasterio ejectus sit, nihil cum illo amplius commune habet. Alii è contra Monasterio acquiri volunt, eò quòd æquum non sit, illud privari jure suo, quod ante ejectionem habebat. Nec Monasterio, nec ulli alteri acquiri dominium tradit *Barbof. allegans motum proprium Gregor. XIII.* Officii nostri, quo statuitur, bona omnia per ejectos undecunque acquisita pertinere ad Cameram Apostolicam, si moriantur extra Monasterium. *Dixi*, Non liberari ab observatione Regularum, & votorum essentialium: quod intelligendum de iis, quæ non repugnant statui, in quo nunc vivit. Neque enim eadem jejunia, eisdem dies festos, & similia observare potest. Quod habitum atinet, si illo privati ejecti sunt, deferre non tenentur. Reliquorum obligatio non tam extincta, quàm suspensa censetur. Idem de obedientia dicendum, quamvis aliqui cum Soto omninò liberos pronunciant. *Navarrus* dicit incidere in manus Episcoporum, quibus obedire debeant. *V. Dominic. Soto l. 7. de iust. quest. 1. art. 1. Roderic. Tomo 1. quest. 30. art. 20. Caramuel. in Reg. S. Bened. num. 1759.*

IV. Qui ejectus est in conscientia tenetur emendare se, & conniti, ut in Ordinem suum restitatur. Nam ut diximus

mus num præced. obligatus manet ad Regulam & observationem Votorum essentialium. Media igitur adhibere debet, quibus iuuetur, quod nullibi melius, quam in Monasterio suo obtinebit. Contrarium nihilominus Navarro placuit, & aliis quibusdam, qui existimant tuta conscientia in sæculo manere posse, nec ullum confessarium in foro interno, nec Episcopum in externo ad reditum cogere posse, eò quòd iustæ sententiæ de sua ejectione conformare se possit: quæ ratio aliquid concluderet, si sententia, ut à superioribus fertur, non includeret tacitam conditionem, ut ejectus agnoscat culpam suam, & de emendatione ac reditu laboret. *Sanchez l. 6. Mor. c. 9. Laym. l. 4. tract. 5. c. 13.*

V. Dubitant aliqui, an si emendatus videatur, qui ejectus erat, Monasterium, vel Ordo revocare illum, aut saltem recipere ultro redeuntem debeat? Pro affirmativa parte aliqui allegant *c. de Regular.* ubi Prælati iubentur fugitivos, & ejectos requirere, ac recipere: si autem reverti noluerint, excommunicare. Verùm Navarrus intelligi vult de ejectis injustè, vel inordinatè, vel saltem non per sententiam definitivam. Alii Decretam illam non usum antiquatum dicunt. Nam de fugitivis, & ejectis restituendis hodie nulla cura est. Pro resolutione dicendum est. 1. Eum, qui per iustam sententiam perpetuo quasi exilio damnatus est, non tenetur Ordo repetere, aut recipere: nec ipse ad redeundum obligatur. Talis enim pœna, & condemnatio non excedit gravitatem delicti, cuius causa præscriptus est. 2. Si non est simpliciter, & absque spe redeundi di-

missus, repeti & restitui potest, si nullum inde scandalum, & damnum metuatur. De fugitivis & apostatis idem affirmat. *Roder. l. 9. art. 5. citat q. c. à nobis de Apost.* in quo tamen nihil aliud statuitur, quam Apostatas nolentes habitum recipere, carceris inclusione compelli posse. At, *inquir,* posito ejectum ab Ordine repeti, teneturne obedire? Non videtur, si absolutè proscriptus est. Atque ita sentit *Navarr. Az. r. & alii plures. Barb.* verò *m. c. licet,* probabilius iudicat, quomodocunque ejecti sint, teneri, atque ad id cogi posse: quandoquidem aliud nihil per ejusmodi revocationem quæri præsumitur, quam ut in tranquillo salutis portu collocetur.

VI. Si nulla spes redeundi sit, potest ejectus in sæculo commorari, & habitum Clericali uti. Ita *Federicum* consulere *Rodericus* asserit *q. 30. art. 21.* & merito. Nam ex dictis constat, non teneri ad habitum, quo semel privatus est: multò minùs alium Ordinem ingredi, quia nullum hujus obligationis fundamentum apparet. Adde, quòd ejusmodi ejecti infames sint, & quodammodo sæculares reputantur. Unde sequitur, eos sibi, quoad possunt, de genere & modo vivendi providere posse. *Navarr. Comm. 2. de Regul. n. 36. Azor. l. 1. c. 16. q. 6. Perez. in Reg. S. Benedicti c. 29.*

VII. Qui ejectus est cum onere alium Ordinem assumendi, si accepter, ingredi tenetur, vel impetrare regressum. Addit *Layman. l. 4. tract. 5. c. 13. n. 9.* cogi etiam posse ejectos, ut emendati ad monasteria sua redeant, vel ad alium Ordinem transeant. Quamvis enim absolutè loquendo, nemo cogi possit ad profitèdum in aliquo

aliquo Ordine, potest tamen sub conditione, si ad Ordinem semel professum reverti nolit. Etenim tales plerumque non sine magno salutis suæ periculo, & scandalo sæcularium foris agunt, in iis præsertim locis, ubi mixti Catholicis hæretici reperiuntur, ut merito abstrahi, & ad priorem statum compelli debeant.

VIII. Quod Moniales attinet, quamvis incorrigibilis aliqua foret, non esse ejiciendam è Monasterio vel Ordine, sed vel in Monasterio, ubi deliquit, puniendam, vel ad aliud Monasterium transferendam. Probat *Barb. in c. ne religiosi. de Regul. & Constit. Urbani IV. quam etiam Rodericus allegat q. 49. art. 7.* quæ Constitutio quoad hoc, neque per *Constit. Pii V. Con. Trid.* licet strictiora sint, videtur revocata *judicio Roderici loc. cit. & Lud. Miranda de Monial. q. 3. art. 2.* eamque sententiam Rota quoque secuta est in una *Ulixbonensi. Monasterii 19. Novemb. Anno 1625.* quemadmodum allegat *Tambur. de jure Abb. Tomo I. disp. 15. q. 12. Sanch. rament. l. 6. Moral. c. 9. n. 6.* contrarium firmare nititur, motus inde potissimum, quod omnes rationes pro ejectione Monachorum afferri solitæ eandem vim in monialibus habeant, & Moniales non strictius, quam Monachi Religionis votis obligentur, nec præceptum clauræ illas liget, nisi quamdiu in Monasteriis detinentur; sicut nec dilatio habitus quoscunque Religiosos, nisi eo tempore. Nec quisquam Doctorum reperitur, qui fateatur licitam esse Religiosi incorrigibilis ejectionem, & discrimen in hoc constituat. Ita ferè citatus *Sanchez*, addens prudenter, in praxi consultum non esse, ut Monialem, quæ incorrigibilis ap-

paret, ex Monasterio dimittat, seu proferibat Prælatus absque consensu Papæ, aut Legati illius, tum quia res ab Ecclesiæ moribus aliena est, adeoque scandalum facile pareret: tum quia ansam libertatis inde sumerent, quæ Religiosæ disciplinæ odio reditum in Ægyptum appeteret, seque incorrigibilium numero ascribi paterentur. In Monasterio igitur, ubi deliquerunt, coarctandæ sunt; vel certè in aliud, si emendationis aliqua spes est, transferendæ. Quod ultimum in Monachis quoque faciendum suadet *Caramuel in Reg. S. Bened. n. 1760.* velletque in concedendis dimissioris faciles & benigne esse Superiores.

§. XII.

De Apostatis.

I. **O**Mnis Apostata fugitivus est, sed non omnis fugitivus Apostata. Fieri enim potest, ut fugiat animo redeundi. Apostata igitur ille dicitur, qui sponte sua Ordinem & Monasterium deserit, animo valedicendi professioni, & instituto: quod aliquando contingit retento habitu, interdum, & crebrius dimisso, nunquam resumendo. *Bern. Diaz c. 112. Armilla. V. Apostasia. num. 6. Roderic. quest. 30 art. 1.* Sic describit Apostatam. *Est religiosus expressè, vel tacitè professus, qui deserit religionem, quam professus est, sine transitu ad aliam, cum animo non revertendi ad suam.* Addit art. 2. eos, qui habitum occultè gestant, quod denuò à *Concil. Trident. prohibitum est sess. 25 cap. 19.* Secundum decisionem Rotæ esse quidem excommunicatos, non ta-

men Apostatas, nisi improprie loquaris. *Angel. Sylv. Tabien. Rosella. Zerola. Sa. V. Religio ei. fin.*

II. Apostata, qui habitum dimittit, excommunicatus est: imò qui temere dimittit habitum, alio quam apostatandi animo. c. ut periculosa. ne Clerici, vel Monachi in 6. Non esse excommunicatos, qui licet Ordinem deferant, habitum tamen retinent, *Lesius cap. 41. D. 15. & Graff. l. 3. c. 26. num. 10. cum pluribus aliis. censet, quia in cit. c. ut periculosa non excommunicantur, nisi qui temere habitum dimittunt, nihilominus excommunicari posse, & carcere puniri. Azor. è contra l. 12. c. 16. quest. 6 probabilius iudicat ipso facto excommunicationem incurrere, quamvis habitus non dimittatur, argumento sumpto ex verbis citati capituli ut periculosa religiosi evagandi occasio subtrahatur. Idem quest. 8. notat, non excommunicari, qui ex rationabili causa habitum exuunt, puta lavandi, aut ludendi causa: neque si ad breve tempus furandi, aut fornicandi causa docet Navar. c. 27. num. 131. Silv. V. Excomm. IX. Casu 24. Diana par. 3. tract. 2. resol. 115. V. Azor. Tom. I. l. 12. cap. 17. quest. 9. Tuschus Concl. 424.*

III. In cap. à nobis de Apost. præcipitur, ut in carcerem detrudantur Apostatae, si minis & blanditiis induci non possint, ut habitum resumant, ibique pure affligantur, ita ut solummodo illis vita relinquatur, donec resipiscant. Si quis in apostasia Ordinem aliquem sacrum susceperit (quo nomine non continentur minores) quamvis Abbati suo reconciliatus fuerit, prohibetur exercere illum c. Consultationi de Apost. Consultationi

tuz ait *Honorius Papa*, respondemus quod Monachus aliquem sacrum Ordinem in apostasia suscipiens, quantumlibet suo fuerit reconciliatus Abbati, & receperit poenitentiam, absque dispensatione Romani Pontificis ministrare non poterit in ordine sic suscepto. Nam quia in excommunicatione ordinem suscepit, irregularis factus est. *Henr. in Summâ l. 13. c. 39. Suarez Tom. IV. Disp. 10. Sect. 1. num. 5* Ab hoc ergò vinculo quamdiu liberatus non est, in suscepto ordine ministrare non debet. *Graff. loc. cit. n. 19.*

IV. Bona per Apostatam acquisita justè, & non obnoxia restitutioni ad Monasterium è quo discessit, pertinent, eaque secum deferre tenetur, quando redit. Neque enim per inobedientiam ipsius, & fugam Monasterium amisit jus per ipsius professionem acquisitum. Idem dicendum de bonis, quæ illicitè comparavit, v. g. per negotiationem Religiosis prohibitam. Quo in genere *Navar. refert in India* quendam ad viginti millia ducatorum esse lucratum. Nec obstat *Pii IV. Constitutio*, quæ jubet ad Camera Apostolicam deferri bona à Clericis tam Regularibus, quam secularibus per illicitam negotiationem, vel aliàs contra sacros Canones acquisita, quia ut fusè declarat *Suarus IV. de Relig. l. 3. c. 3.* cum lex illa pœnalis sit, Clericorum nomine Monachos non comprehendit. Adde, quamvis comprehenderet Monachos, ante sententiam latam Camera Apostolicæ non sunt inferenda. Poterit igitur Monasterio tradere, à quo post mortem Apostatae si Camera Apostolica exigat, Prælati, quod justum fuerit, de ejusmodi bonis, faciat.

Ff

Panorm.

Panorm. in c. ult. de Regul. Item c. Abb. 18. q. 2. Az. l. l. 2. c. 16. q. 8. Laym. l. 5. tr. 5. c. 13.

V. Dubium est, de cooperantibus ad fugam, & Apostasiam religiosi, quomodo peccent, & obnoxii fiant restitutioni? Constat peccare omnes, qui consulunt, impellunt, juvant, aut celant fugientem: eos item, qui recipiunt, aut fovent, vel alio modo cooperantur, nisi fortè amicitia causâ protegant illum. De restitutione potissima Difficultas est.

R. Igitur 1. qui Religiosum aliquè quocunq; modo inducit, aut facit apostatâ, non tenetur illius loco ordinem ingredi, aut ejus loco alium quærere, qui substituat. *Ratio.* quia professio Religiosa, nulli invito imponi potest aut debet, cùm sit opus arduum & extraordinariû, maximè si pro delicto suo aliter satisfacere queat. *Soto l. 4. de iust. c. 6. 2.* Pro solâ carentiâ Religiosi ab ordine abstracti nulla debetur restitutio, quando ipsa persona restitui nequit: quia damnum hoc in illis bonis est, quæ in eodem genere restitui non possunt: nec obligatio est compensandi bonis ad inferiorem ordinem spectantibus. *Suar. IV. de Relig. l. 3. c. 3. n. 7. 3.* Qui per vim, aut fraudem monasterio eripuit professum aliquem, tenetur in primis ipsum, si potest, restituere: deinde compensare omnia damna ipsi Religioso illata. Denique restituere Ordini vel monasterio, quicquid occasione illius injuriæ patitur. Ratio manifesta est, quia horum omnium efficax causa fuit, vi & fraude protrahendo ex Monasterio, cujus erat professus. *Cajet. in Sum. c. 7. v. resti. Nav. c. 14. n. 45. Sily. Soto. & alii.*

VI. Qui nullâ vi, aut fraude persuadet alicui fugam, & apostasiam, neque ipsi,

neque ordini quicquam restituere tenetur. *Ratio est,* quia talis persuasio non impugnat justitiam, sed charitatem, cujus violatio non obligat ad restitutionem, quemadmodum obligare injustitiam docet *S. Thom. 22 q. 62. art. 1.* Non fieri autem injuriam apostatæ, patet ex illo vulgari, *Volenti non fit injuria Dynus in Reg. 27. scienti de Relig. l. in 6. Decius in Reg. nemo fraudare 187.* Ordini quoque & monasterio non fieri injuriam probatur, quia consulens fugam alicui aut persuadens non immutat voluntatem ipsius, quâ erga ordinem benè affectus est, multò minùs tollit libertatem, ac proinde non est causa efficax defectionis, & damnorum, quæ inde promanant. Ad restitutionem igitur obligari non potest. At, minimùm, *inquis,* tenetur revocare consilium suum, ut qui defecit, de reditu cogitare incipiat. Resp. procul dubio securius est, ita facere, & maximè consentaneum charitati. Verùm, si de rigore justitiæ loquamur, non apparet, unde talis obligatio oriatur, cùm supponamus, non esse peccatû contra justitiam, nec respectu Apostatæ, qui deseruit ordinem, nec respectu ordinis, qui ab apostata desertus est. *Az. 10. III. l. 5. c. 2. §. Totâ igitur Suar. l. cit. n. 14.*

VII. Si vis inferatur Religioni tantùm, & non Religioso, non est obligatio restituendi damna inde in Religionem derivata. *Ex gr.* Petrus volens Ordinem & monasterium deserere, detinetur ab illo. Ego eripio illum, & viam ad fugiendum aperio. Illi à me injuria non fit, quia volentem eripio; Monasterio injurius sum privando aliquâ sui parte, à me tamen repeterè damna non potest, quia Apostata non fuit in Monasterio, ut ei pro-

desset

desset per acquisitionem, aut lucrum temporale: hujus igitur intuitu quasi per me impediri, vel extincti non teneor ad ullam restitutionem. Valdè conveniens tamen est, ejusmodi cooperatorem, ad aliquam satisfactionem astringere arbitrio boni viri, quemadmodum *Soro dicit loc. cit. V. Suarez. IV. de Relig. l. 3. c. 3. num. 18. Roderic. III. q. 14. art. 4. Silv. V. Restitutio III. num. 2.*

§. XIII.

*De bonis temporalibus Religiosorum,
& iure Successionis.*

I. PAupertatis professionem non obstare dominio, & proprietati bonorum temporalium, quoad Communitatem, Ordinem, Religionem, Monasteria, Collegia, & Domos notius est, quàm ut probatione egeat. *Iess. c. 4. dub. 5. Tann. III. D. 4. q. 1. n. 39.* Quin etiam cum expertes illius essent Mendicantium Ordines, indeque penuriã magnisq; incommodis premerentur à *Conc. Tr. Sess. 25. c. 3.* indulguntur omnibus est (exceptis Capuccinis, & qui de observantiã nominantur) ut immobilia bona in communi possidere queant. Adde, quod auctoritate Summi Pontificis fieri potest, ut privatæ personæ nuncupatis Votis Paupertatis, Castitatis, & Obedientiæ, per quæ verè Religiosi efficiantur, bonorum suorum dominium, absque usu tamen, & administratione saltem ad tempus retineant, ut cum *Suario IV. de Relig. l. 4. c. 4. demonstrat Roder. To. 1. q. 1. art. 4. Valent. Tom. III. D. 10. pun. 3. q. 4.* Quod si lubet prima Ecclesiæ tempora inspicere, inveniemus primos

illos & celeberrimos Anachoretas, Paulum, Antonium, Hilarionem, Maccharios, & similes ita religiosam vitam egisse, ut non abdicarent dominium, & proprietatem earum rerum, quibus utebantur quotidie, quamvis parvæ, & paucae essent. Unde colligimus gradus, scilicet in paupertate secundum magis, & minus, ut hodieq; in tanta Religionum varietate cernimus.

Roder. III. q. 29. art. 3. & 4. Valent. Tom. III. Disp. 5. q. 10. p. 1. Suar. III. de Rel. c. 7. asser. 1.

II. Equè certum est, omnes Professos omni dominio, ac proprietate per Votum Paupertatis privati, ut supra §. 5. explicavimus. Restat modò videndum, ad quos earum rerum, quas ipsi relinquunt, dominium perveniat. Jure gentium tam sacro, quàm profano constitutum, ipsoq; usu comprobatum est, ejus, qui professionem facit, bona omnia, de quibus ante non disposuit, ad Monasterium, cui incorporatur, modò domini capax sit, transire. *c. quia ingredientibus 7. 19. q. 3. c. non dicatis. 12. q. 1. Monach. de statu Monach. Con. Tr. Sess. 25. c. 2. Nov. 5. quæ est de Monachis. c. 5. Auth. ingressi C. de Sacrosan. Eccl. & Novell. 123. c. 38.* Estque hoc valdè consentaneum rationi, 1. quia consilium Christi est, dare Pauperibus inter quos meritò præferuntur Religiosi. 2. ut augeatur substantia Monasterii, in quo victurus est recens professus: æquum præterea, ut conferat quasi stipem. Denique qui seipsum tradit, cur non etiam bona sua, quæ si cognatis relinqueret, forsitan non benè impenderent.

DIXI omnia bona. Cum enim triplex peculium sit 1. Earum rerum, quarum domini sumus. 2. Earum, in quibus usumfructum habemus, vel admi-

Ff 2 nistræ

nistracionem. 3. earum, quæ continentur mobilibus, & immobilibus, nihil horum excipitur, quin Monasterio accrescat. Nec feuda excipienda sunt, nec iura, actiones, & similia, quæ bonorum nuncupatione comprehenduntur. Feuda intellige franca, & libera ab obsequio, quod commodè à Religiosis ipsis, vel per extraneum præstari queat. Idem dicendum de bonis gravatis, cuiusmodi est Fideicommissum tibi relictum cum onere, ut si absque liberis decedas, fratri, vel alicui alteri tradas. c. 8. in *presentia de probationib. Novella 123 c. 37. Roderic. Par. 2. pag. 216. Tuschus. V. Monasterium Conclus. 344. Less. l. 2. c. 4. Dub. 5. Barb. inc. in presentia de prob.*

III. Ex hoc successionis iure, quod à morte morali illius, qui profitetur, Monasterium adipiscitur, omnium futurorum sequela manet, ita ut quicquid Monacho, vel Religioso quacunq; via, ac modo si ve per industriam, si ve hæreditatem acquiritur, id totum Monasterio accrescat, ut supra diximus, & pluribus explicat *Narrus in Comm. 2. de Regular. nu. 31.* addens præterea servo æquiparari, ita ut omnia iura de servis loquentia, quoad acquisitionem, & amissionem rei pecuniariæ locum habeant in Regularibus secundum *Innoc. inc. Cum olim. de privi.* Denique, iura disponentia de filiis familias etiam in Monachis locum habere, ac proinde acquirere monasterio, quam vis de mandato alterius stipuletur. *V. Azor. l. 1. l. 12. c. 10. Sanch. l. 7. Mor. c. 12 n. 53. Roderic. Tom. 11. Q. 126. art. 1. & sequentib. Less. c. 41. D. 11.*

IV. Si quis ad professionem faciendam ab Abbate per fraudem inductus est, ut

illius ad se bona trahat; non accrescent Monasterio, sed ad hæredes ab incestato pervenient. *c. Constituit 20. Q. 3.* ubi dicitur, Qui illecti comam deposuerunt, in eo, quod cæperunt, perseverare cogantur: res verò eorum hæredibus reddantur. Circa quem textum *Barb.* notat tria requiri, ut locum habeat. *Primum est*, ut dolus causam ingressui dederit, ita ut eo sublato ingressus non sequeretur. *Secundò* ut decipiens intuitu bonorum acquirendorum egerit, non verò familiaritatis causa, aut aliarum dotium, quas notarat in ingressu. *Tertiò* ut ab ipso Abbate deceptus fuerit. Notat insuper & *Barb. & Navar.* professionem errore, aut dolo factam non esse irritam, modò talis fraus sit, quæ non tollat omnem consensum illius, qui decipitur, *Az. l. cir.*

V. Si liberi super sint, & ante professionem pater non fecit dispositionem, licet illi post professionem bona sua liberis distribuere, idque indulto Iuris, vi cuius quasi administrator agit. Eidem tamen testari prohibitum est, eò quod testamenti confectio magis apertam dominii speciem habeat, ut *Nav. loquitur Com. 2. de Regular. n. 45. Less. c. 41. D. 8. Suarez 111 de Relig. l. 8. c. 16.* Neque obstat, quòd Iuris Civilis ea Constitutio sit, quia illam, & alias multas Ius Canonicum ratas habet. Insuper Decreto inserta est *c. Si qua mulier 19. Q. 3.* Idem dicendum, si nepotes, aut pronepotes habeat, siquidem hi quoque filiorum nomine veniunt. Imò de illegitimis quoque, ubi à successione non excluduntur. *Az. l. cir. c. 6.* Addit *Barb.* ex paritate rationis extendi etiam ad ascendentes, illisque deberi legitimam suam, teste *Molina, & aliis multis.* Vnde infert,

si Mo-

machus ex Patris, aut alterius iure sanguinis sibi obueniente bona acquirat monasterio, & moriatur, in vivis relicta avia, huic legitimam deberi: monasterium vero tantum in tertia parte succedere. Longè alia ratio bonorum est, quæ Religiosus post professionem suam industriâ, & ingenio proprio comparavit. De his enim nihil ad extraneos pertinet, sed ad Monasterium iuxta doctrinam sup. n. 2. traditam.

VI. Si Professus testamentum fecit ante Ordinis ingressum, nullâ Monasterij habita ratione cui tamen se suaque omnia ingrediens explicite dedicavit, per professionem secutam rumpitur, quia, ut suppono, capax est successione quasi agnatione posthumi, quod non fiet tamen, si vel unus denarius in testamento relinquatur monasterio, quemadmodum *Abb. Cynus, Odofr. & alii observant. Excipe, Nisi* quo tempore testamentum fecit, nihil dum de ingressu Ordinis cogitabat. *Covarr. in c. 2. de testam. Roderic. To. III. p. 16. arr. 2. l. l. Clarus eod. tit. Q. 28. Barb. in c. si qua mulier. 19. Q. 3.*

VII. De usufructu quæstio est, quem pater monasterium ingressus habuit in adventitiis filiorum bonis. Aliqui extinguunt per professionem, & relinquunt filiis putant: alii vero totum Monasterio accrescere, & manere, donec pater obeat. Hanc opinionem *Barbosa* præfert citatis multis DD. quibus etiam subscribit *Lesius c. 47. D. 10. n. 83.* eò quòd omnia bona professi Monasterio accrescant, & de Usufructu in jure non excipiantur. Idem dicendum, si Religiosus ante professionem testamentum fecit, & instituit hæredes non necessarios, sed fratres, & cognatos. Bonis enim

fruetur Monasterium toto tempore, quo vixerit professus, quo mortuo tandem hæredes capient. *Navar. Comm. 11. de Regularibus c. 38. Sanchez l. 7. Mor. c. 13. à num. 47. Roderic. To. III. p. 16. ar. 4. Azor. III. l. 1. c. 27. §. Quid verò.*

VIII. Quando Monasterium non est capax successione, nec aliter dispositum est ante professionem, bona professi ad hæredes necessarios deveniunt, non secus, ac si naturali morte obiisset. Alioquin bona frerent ad espota, vel dominium illorum maneret suspensum, quod tam à legibus, quàm ratione alienum est. *Clem. Exivi. de verb. sign. Less. c. 41. D. 10. c. fin.*

IX. Cuius professus ante ingressum Ordinis civilem obligationem contraxit, estque obnoxius Stichò, qui actionem instituere cogitat, potestne in personam Cuij formam concipere. R. cum distinctione. Si non est satisfaciendum ex bonis, quæ Monasterio accesserunt, contra personam agendum est, quia obligationes civiles, & debita per professionem non extinguuntur. Si autem ex bonis Monasterio illatis satisfieri debet, actio contra Monasterium instituetur, quod ex acceptis præstabit, quæ per Iudicem definita erunt. Idem in delictis fiet, quæ ante susceptionem fraudulentam habitus commissa sunt: ut nimirum de illis apud laicum Iudicem conveniri queant. *Roder. II. Q. 2. arr. 3.*

X. Superest Dubium, An valeat Statutum, ne Religio succedat in bonis suorum professorum? Ex tribus opinionibus à Sanchez explicatis vera haud dubiè est eorum, qui dicunt, eiusmodi Statutum à Magistratu laico formatum irritum, &

inane esse, quia leges, & statuta civilia etiam in favorem ecclesiasticarum personarum facta nullam vim habent, quamdiu ab Ecclesia non approbantur. Neque obstat, quod privilegium succedendi in bona professorum Imperatores concesserint, quasi ab iisdem tolli queat: Nā semel acceptata ab Ecclesia non admittunt retractionem. Adde, quod Univerſus orbis terrarum à quo potestatem suam Imperator accepit, in prædictam immunitatem conſenſit, ut *Bellarmin. notat l. de Cler. c. 28.*

Huc pertinet etiam illa quæſtio. An non per generalem aliquam legem pro omnibus latam à Magistratu civili, etiam Clerici, & Religioſi aliquo ſuo commo-
privari queant? R. poſſe. Exemplum eſto, ſi minuereſur legitima filiorum, ut quæ nūc eſt dimidia pars, deinceps tertia ſit, tã clerici. quam religioſi paterentur damnum aliquod. Similiter ſi lex aliqua ſtatuereſur, in ſucceſſione ſœminis præferendos eſſe mares, eæ, quæ moniales eſſe & ſunt, non minus illâ ligarentur cum aliquo incommodo ſuo, quàm ſæculares. *Menoch. Conſil. 169. Zechus de rep. eccleſ. tit. de Regul c. 3. Sanchez l. 7 c. 12. n. 18. Molina l. 2 de primogen. n. 81. & 82. Roderico. to. 11. p. 77. ar. 3.*

XIII. §.

De Privilegiis Regularium.

Copia, & varietas privilegiorum, quibus Deo ſanctæ perſonæ ornate auctæque ſunt, tot dubiis, & difficultatibus onerata & implicata eſt, ut difficile ſit ordinem, & exitum reperire. Seligemus tamen, quæ magis nota, uſilia, ne-

ceſſaria videntur. Igitur.

1. Repetendum animo eſt quod *Tit. 1. §. 5.* diximus, quæ Clericis in iure, vel Canonico, vel Civili, ſive ad negotia, ſive ad iudicia ſpectent, omnia Regularibus, ac Religioſis competere, nomine Clerici tam latè ſumpto, ait Novitios quoque imò etiam Moniales, comprehendat. Unde conſequitur velut Corollarium. 1. Religioſum quemcunq̄ propter debitum civile, nec capi, nec incarcerari poſſe à Iudice ſæculari: niſi fortè animo defraudandi Creditores Monasterium ingreſſus eſſet. Tunc enim nondum profeſſus coram ſæculari iudice conveniri poſſet. Quod ſi monasterium ſciens, & volens ad profeſſionem receperit, culpâ, & debitum in ſe derivavit. *c. Odoardus de ſolutionib. 2.* Qui exempti ſunt, ne quidem coram episcopo conveniri poſſunt, ſi lus commune ſpectes. Aliàs in *Concil. Trident.* excipiuntur ſex Caſus. *Primus* reperitur in *Seſſ. 6. c. 3. & Seſſ. 25 c. 14.* ubi facultatem dat episcopis puniendi Religioſos extra Monasterium degentes ſi deliquerint, etiam in aliqua domo, ad erectionem monasterii deſtinata, ubi non vivitur conventualiter. *Secundus* in *Seſſ. 25 c. 14.* Si episcopo inſtante Superior religioſum intra præfixum tempus non puniat, de quæ eo episcopum certioreſur faciat. *Tertius*, ſi crimen enorme ſit, & pœna depoſitionis dignum, de quo *Navar. Conſil. 6. de ſo. compet. Zerola Par. 2 V. Regulares. Quartus*, ſi monachus delinquendo violeſur auctoritatem episcopi impediendõ iurisdictionem, aut diſpoſitionem, V. g. ſi maritum uxore invita in Monasterium receptum episcopo inſtante nolit reddere; coercete illum, & compellere pœnis ad obedi-

obedientiam potest. An verò, si exemptus sit, censuris quoque innodare queat. non latius liquet *Sanch. l. 7. de Matr. Disput. 33. nu. 23.* Quintus quando agitur de mercede, & miserabilium personarum adiumentis *Conc. Tr. Sess. 7. c. 18.* Sextus denique Vagabundi & absque literis obedientiæ per civitatem aut diæcesin transeuntes ab episcopo detineri, incarcerationi, & tãquam instituti sui desertores puniri possunt *Co. Tr. S. 25. c. 4. Rodrig. To 1. pag. 163.*

II. Si Religiosus crimen aliquod commiserit extra Monasterium, de quo accusandus sit à laico non subdito Abbati, nec alteri Superiori, dubium est, coram quo iudice conveniri debeat. *Rodericus 11. p. 63. ar. 5.* vitorum doctissimorum sententiam esse dicit coram Iudice ecclesiastico conveniendum esse: qui iidem tamen fateantur, in civilibus causis apud solum Abbatem accusandum esse, nisi fortè studiorum, vel aliorum negotiorum causa extra Monasterium degat. Tunc enim propter cõtracta debita, & similia in foro seculari conveniri posse, si licentia Abbatis non desit, & si contractus aut debitum moderatum sit iuxta æstimationem viri boni, & prudentis. *Idem Roder. Q. 46. ar. 8.* docet ab episcopo capi posse religiosum in gravi delicto deprehensum, ore fagiã, ita ut intra 20. horas reddat Superiori suo, & legitimo Iudici: quod laicis quoque permittitur, ut *in 2. Parte* latius explicabimus. *V. Barb. de potest. episc. Par. 3. al leg. 105. n. 13. & sequ.*

III. Multos huc usque torfit illa quaestio. An privilegia Ordinum religiosorum, quæ Decretis Concilii Trid. adversantur, abrogata sint? Nam affirmativa pars manifestè colligi videtur ex *Bulla Pii IV. In*

*principis Apostolor. Greg. XIII. In tanta negotiorum, & Sixti V. Unde Piasecius in Praxi episc. pag. 206. Licet Greg. XIII. Mendicantium privilegia confirmarit, clausula tamen addita est In quantum Decretis Conc. Trid. non adversantur, quæ clausulam etiam alii Pontifices in suis cõfirmationibus addi voluerunt. Piasecio subscribit Vallensis l. 5. tit. 33. nu. 2. Barb. in Collect. Decis. Apost. pag. 429. nu. 15. Item Collect. Concil. Trid. s. 25. c. 21. privilegia omnia Regularium etiam ea, quæ Mare magnum appellantur, sunt revocata in his, quæ Concilio Trid. adversantur, per Bullam Pii V. sub 13. Cal. Mart. An. 1565. Congregatio Conc. referente Nicol. Garcia de benef. par. 3. c. 2. Idem Zerola, & alii loquuntur. Non desunt tamen qui contrarium asserant cum Suario l. 8. de leg. c. 18. ci. fin. & Roderico Par. 1. q. 8. a. 7. videlicet ea tantum privilegia abrogata esse, quæ adversantur Decretis Conc. Trid. irritantibus privilegia sibi adversa cuiusmodi sunt, quæ habent clausulam Non obstantibus privilegiis in contrarium. Nam si omnia absolute abrogantur per Decreta Concilii, cur in quibusdam expressè additur clausula, Non obstantibus, quæ omninò superflua est, si hoc ipso concidunt privilegia, quia contradicunt. Exemplum habes in *Sess. 23. c. 8.* ubi duo statuantur, Primum est, ut sacri Ordines statutis à jure temporibus, & in cathedrali ecclesia cõferantur. Alterum, ut unusquisque à proprio episcopo ordinetur, & nequaquã permittatur ut ordinetur ab alio, non obstante ullo privilegio. Vides in hoc posteriori clausulam derogatoriam addi, quæ in priori deest. Ac proinde Religiosus hodieque ordinari posse extra consuetã tempora, quemadmodum illis*

illis sua privilegia permittunt: itaque sentite viros in Hispania doctissimos *Rodericus affirmat. V. Barb. de potest. episc. Par. 3. Alleg. 105. n. 44.* ubi plures AA in utramque partem citat.

IV. Quomodo restricta sint à summis Pontificibus Regularium privilegia descriptis illorum bullis fusè demonstrat *Piassecius in Praxi sua Par. 2. c. 3. Prima bulla est Leonis X. Sacro approbante Concilio: in qua episcoporum dignitati & iurisdictioni plurimum consultitur. 2. Gregorii XIII. In tantâ rerum: per quam omnia à Pio V. diversis Decretalibus concessa revocata, & ad terminos Iuris communis, ac Conc. Tridentini reducta sunt. 3. Clementis VIII. suscepti muneris. in qua urgetur executio Decreti in Sess. 25. c. 14. & pœna statuitur Superioribus, qui impediunt punitionem subditorum. 4. Pii V. Exposcit: quæ particulariter ecclesias militum S. Ioannis Ierosolym. in quibus cura animæ exercetur, episcopis subiicit. Ex his colligit *Piassecius 1. Regularibus non licere libros de rebus Fidei seu sacris imprimere, nisi prius examinatos, & approbatos ab episcopis. Conc. Trident. Sess. 4. de ed. libr. Non posse concionari in sua ecclesia, nisi approbati à suis Superioribus fuerint, & præsentati episcopo benedictionem obtinuerint. In aliena verò ecclesia si concionari voluerint, prius ab Ordinario licentiam petendam, & fidem de doctrina sua, moribus, & idoneitate faciendam esse. 3. Interdici posse ab episcopo, si errores prædicent, imò quocunque alio modo, etiam non reddita causa. Neque Pii V. in hoc Bullam quicquam prodesset, quia revocata sit per Greg. XIII. 4. Si Regularis hæreses prædicet, ab episcopo**

puniti posse. Similiter ob quodlibet crimen, quod depositionem meretur. 5. denique compelli ab Episcopo posse ad lectionem S. Scripturæ in monasterio habendam. Sess. 5. c. 1. Ita ferè *Piassecius*, cui *Barb.* consentit non sine auctario. de potest. episcop. Par. 3. Allegat 105.

V. Quando duo Ordines vel monasteria in privilegiis æqualia sunt, ut censentur esse omnium Mendicantium, non valet illud Vulgò iactatum Privilegiatus non utitur privilegio suo contra privilegiatum. Ac proinde si unus Ordo ex. gr. privilegium habet non soluendi decimas, & alius similiter, poterunt nihilominus ab invicem decimas exigere. Nam æqualitas illa privilegiorum valdè per accidens se habet ad usum privilegiorum, ac proinde non impedit usum alterius privilegii. Ita *Panorm. & alii ex l. ult. ff. Ex quibus causis maior.* E contra quando privilegium unius opponitur privilegio alterius respectivè, non potest uti privilegio suo contra pariter privilegiatum. Exemplum esto. Si contra creditorem habeas privilegium, ut ante certum tempus cogi non possis: creditor autem habeat privilegium, quolibet tempore exigendi, nihil efficies opponendo privilegium tuum: quanquam in hoc casu creditoris privilegium non æquale, sed maius & fortius videtur, cum sit in ipso iure naturali repetendi quod sibi debetur, fundatum. Alia exempla privilegiorum, quæ religiosi Ordines habent, videntur etiam æqualia, v. g. concionandi, docendi, & similia. Sed quia Ordo ordinem tempore, & antiquitate antecedit, hoc ipso inæqualia censentur, ita ut tempore posterius, cedere debeat. Fingenda igitur omnimoda æqualitas est, V. g. in

uno agendi, in altero resistendi, neuter quicquam ab invito impetrabit, quia in tali æqualitate non apparet ratio, cur hic aut ille iure suo cedat. *Covar. in Regula Possessor 2. p. §. 2. Suar. l. 8. de leg. c. 23. Dynus in Reg. lu. 28. Bonacina to. 2. pag. 81. Tuschus conclus. 760.*

VI. Privilegium *ad instar* illud dicitur, quod imitatione alterius tanquam *Ideæ*, vel exemplaris conceditur. De quo notatu digna sunt sequentia.

1. Privilegia *ad instar* religiosi non dari per communicationem propriæ, sed per concessionem primariam, & directâ. 2. nō idēd minui, & cessare, quia minuuntur, & cessant privilegia, quorum imitatione data sunt. 3. Quando in privilegio communicato addita est restrictio, diligenter examinandæ sunt causæ, & circumstantiæ, ut sciatur, an cum tali restrictione an sine illa concedantur. *Hinc Rodericus, cum Suario l. 8. de leg. c. 17. docet*, quamvis privilegia Societatis nostræ ita dentur, ut mediante Præposito Generali inferiores participent, ab aliis Ordinibus tamen sine restrictione communicari. At verò, quando additur clausula, ne ab aliis participentur, contra *Rodericum* probat *Suarius* ita valere, ut nullo modo alii Ordines, licet alioqui generalem communicationem habeant, uti illis possint. Nam aliàs frustra omninò adderetur prædicta clausula, & per se notum est in iure, *Generi per speciem derogari*, etiam quando ea præcessit. *Dynus in Reg. lu. 34. V. Suar. l. 8. de legib. c. 16. Tuschus. Concl. 763.* Exemplum privilegii *Ad instar* habes in Bulla Cruciatæ, cuius hodie usus est in regnis Hispaniæ. Conficitur enim imitatione illius Bullæ, & Indulgentiam, quæ

in terram Sanctam proficiscentibus, & cruce signatis primū concessa est ab *Urbano 2. Anno Chr. 1095. V. Baron.*

VII. Privilegia amitti per renunciationem expressam, ulum quoque materialiter, & formaliter contrarium, in confesso est. Quomodo autem amittantur per non usum, seu renunciationem tacitam, explanatione indiget,

1. Igitur per non usum merè negativum tolli non possunt, hoc est, quando occasio exercendi non occurrit. Sic enim in simili omisso merè negativa alicuius actus, quo tempore præceptum non obligat, minimè voluntaria & culpabilis censetur. *c. Tuarum. de Privileg. ubi Barbosa.*

2. Privilegia, quibus alii gravantur, aut premuntur, per non usum privilegiati amitti possunt, quadam quasi præscriptione eorum, quibus molesta erant: Ac proinde certum tempus requiritur, quemadmodum in aliarum rerum usucapione. de quo in *Par. 2. tit. 13. agemus.*

3. Privilegia, quæ meram gratiam, aut favorem continent, per non usum seu tacitam renunciationem amitti possunt, si de ea sufficiens iudicium, seu probatio fiat. Si verò hoc desit, constare non poterit, de voluntate illius, qui privilegio suo non utitur. Exemplum esto in privilegio nundinarum, quod statuto legis per non usum decennii expirat.

4. De tempore requisito ad amissionem privilegiorum multa mox suo disserit *Suarius l. 8. c. 35.* probatque in privilegiis absolutis, quæ præscriptione extinguere non possunt, nullum per se tempus definitum esse: in aliis attendenda sunt iura,

quæ vel generaliter, vel specialiter tempus definiunt. *V. Barb. in c. si de terra. de Privileg.*

5. Perpetua censentur privilegia, quæ per modum Contractus obtenta sunt, quod duobus modis contingit. 1. si concedantur pretio accepto, vel propter merita & beneficia præstita. 2. si extraneo non subdito concedantur, in quo non est locus legi, sed contractui. *V. Anto. Peregrinum l. 1. de iurisb. Fisc. p. 61.*

VIII. Ex dictis duplex error corrigi potest, & debet. *Primus* illorum est, qui nimium tribuunt privilegiis suis, & abutuntur illis. Quo in genere aliqui Religiosi peccant contra Ordinarios locorum urgendo privilegia Ordini concessa. Non est intentio unquam Summi Pontificis, disciplinam ecclesiasticam sua liberalitate imminuere, sed stabilire potius, & augere. Præterea unicuique ius suum cupit integrum permanere, ita ut nemini auferat, quod suum est, cum non dominus bonorum ecclesiasticorum, sed fidelis dispensator constitutus sit. *c. Extuarum de auct. & usu pall. c. super eo. de off. de leg. Alius error* est oppugnantium privilegia ecclesiarum, & Ordinum, ubi contra innocentes aliquando bellum geritur. Metuunt videlicet Ordinarii, ne Religiosi suorum privilegiorum usu, suæ auctoritati & iurisdictioni officiant. Imptobus hic labor est, Zelus non secundum scientiam. Admittant socios laborum, ut fiant participes meritorum. *V. Vindicias privilegiorum Sc. Francisci à fonte.*

Satisfit Dubiis.

DVB. I. Quomodo interpretanda sint Privilegia?

Cum alia sint contra Ius, ut dispensationes in communi lege: alia præter Ius, ut potestas absolvendi: alia meræ gratiæ, non nisi diversis decisionibus satisfieri Dubio potest. Dicendum igitur.

I. Privilegia Iuri communi contraria strictè interpretanda sunt, ne communi bono nimis obliant. Quoad hoc enim censentur odiosa.

Excipe *Primò*, quæ in favorem piæ causæ dantur. Nam ut dicitur *l. sunt persone ff. de relig. & sumpt. fun.* Summa ratio est, quæ pro religione facit.

Excipe *Secundò* si privilegium motu Principis proprio concessum sit.

II. Privilegia præter ius concessa, & meræ gratiæ, à quibus nullum, vel non estimandum aliis præiudicium metuitur, latè interpretanda sunt. *c. Olim de verb. sign. l. 3. ff. de const. Princ.* ubi dicitur, *Beneficium Principis quàm plenissimè interpretari debere. Dixi, à quibus nullum &c.* Nam si inde damnum emergere possit, restringenda erunt. V. g. Eximitur aliquis à iurisdictione Ordinarii, à decimis dandis, & simil. causam sufficientem habet Ordinarius, & decimator ad contradicendum, quia iure suo absque delicto suo privatur. Hinc si privilegium sonet, non esse dandas decimas ex prædiis propriis, non debet extendi ad prædia ab aliis conducta, quia talis extensio nocet decimatori. Neque enim rationabiliter præsumi potest,

potest, Principem velle exercere liberali-
tatem suam ex bonis alienis, & cum dam-
no innocentum. *Tuschus Concl. 729.*

III. In dubio interpretatio facienda est
secundum propriam, & usitatam verbo-
rum acceptionem. Privilegia enim non
plus operantur, quam verba exprimant
*iuxta c. Privilegia Dist. 3. & c. Porro de
Privileg.* Quocirca non oportet extende-
re ad personas, vel actus, qui in præscripta
verborum formâ non continentur. *Ex-
cipe 1.* nisi æquiparatio Iuris talem exten-
sionem postulet. Nam quia Prælati aliqui
episcopalem iurisdictionem habent, quæ
episcopis conceduntur, ipsis quoque tri-
bui credibile est. *Excipe 2.* Nisi extensio
fiat ad ea, quæ secundum consuetum mo-
rem utendi privilegii per se & ordinariè
accessoria sunt. V. g. Qui tempore inter-
dicti potestatem habet legendi Missam,
potest quemlibet non specialiter prohi-
bitum pro ministro adhibere. Hinc dicitur
l. 2 ff de iurisd. omni iud. Cui iurisdic-
tio data est, ea quoque concessa censetur,
sine quibus exerceri iurisdictionis exer-
ceri non potest. Valer quoque illud Ab-
batis in c. Quia nonnulli De cler. non re-
sid. Dispensatio contra Ius extenditur ad
necessariè consecutiva. *Excipe 3* nisi alio-
qui privilegium inutile reddatur, & omni
effectu careat. Nam ut *l. 1. ff ad municipi-
palem* dicitur, sic intelligi, & interpretati
privilegium debet, ut ultra Ius commu-
ne aliquid adferat. Contingit tamen ali-
quando, ut nihil novi tribuat, sed ma-
ioris explicationis, & securitatis causa
expetatur. *Suarez l. 8. De leg. cap. 22.
num. 3.*

IV. Privilegia sic interpretanda sunt, ut
non videantur odiosa, sed gratiam potius

adferant quam auferant, iuxta *Reg Iuris.
61. Quod ob gratiam alicui conceditur, non
est in eius dispendium retorquendum.*
Hinc aliqui volunt exemptionis Privile-
gium Regularibus concessum non obsta-
re, quo minus cum Prælati consensu se e-
piscopis subiicere queant, ut ab illis à cen-
suris, & irregularitatibus absoluantur.
Idem dici posse in casu, quo Prælati ne-
cessaria facultate caret, vel consentum in-
iuste negat. Hanc enim videri Summi
Pontificis mentem, quando contra Ordini-
arios exemptionem indulget. *Bonao. to.
2. p. 81. Catanens in sum. V. Privilegium.
Ostiens. Silv. Azor l. 1. c. 23. Salat de leg.
Disp 17. S. 6. Em Sa. V. Gratia.*

DVB. 2. An privilegia effectum suum
fortiantur, etiam antequam privilegiatis
cognita sunt?

R. 1. Privilegia quæ motu proprio con-
feruntur, effectum suum ordinariè non
fortiuntur, antequam innotescant c. *Si ti-
bi absenti. De præb. in 6.* ubi legimus, si e-
piscopus beneficium absenti conferat, ius
illi in beneficium non acquirit. Favet etiam
usus & consuetudo. Beneficia enim, &
dona non nisi acceptantibus adveniunt.
Quamobrem revocari possunt ante cog-
nitionem, & acceptationem. Contrarium
evenit, quando ex officio Prælati alicui
beneficium confert. *Dixi ordinariè.* quia
nihil verat aliter fieri si Principi placuerit.
Vnde multi dicunt donationem Ecclesiæ
factam ante omnem acceptationem valere,
& ius conferre. Quin etiam fieri potest, ut
reluctanti alicui beneficium aut privile-
gium detur, cum præcepto acceptandi, &
utendi. V. g. exemptionem ab obligatione
ieiunii. *Azor l. 1. c. 3. q. 5. & c. 23. q. 12. cum
aliis à se citatis.*

G g 2

R. 2. Pri-

R. 2. Privilegia in gratiam petentis concessa nulla certificatione, aut nova acceptatione egent. Neque enim si dubitaret, ex peteret. Imò affirmant DD. aliqui validum actum fore, si V. g. Caius missus ad summum Pontificem procuratore probabiliter, & verè præsumat, tali die summum Pontificem annuisse petitioni, & matrimonium cum cognata sua aliàs prohibitum contrahat. De beneficiis ecclesiasticis tamen aliud in iure statutum est. *c. Quia de concess. praben. Bonac. to. 2. p. 77. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. num. 28. Henric. l. 7. c. 20.*

DVB. 3. An reticentia Veri obsit privilegio concedendo?

R. cum distinctione. Quando explicatio causæ iure aut consuetudine requiritur, surreptitia censentur privilegia, si veritas celetur. At in privilegiis, seu rescriptis gratiæ nemini præiudicantibus, si proprio motu frant, nulla veri occultatio obesse potest, quia præsumitur, Principem absolute & simpliciter velle gratificari, nec ignorare quicquam illorū, quæ obesse possunt. Si tamen falsitas exposita, vel occultata Veritas causa principalis, & sine qua nõ concessio fuerit tam Rescripta Motus proprii, quam alia effectu carebunt. *c. Super lit. c. ad aures de Rescript. Azor To 1. l. 5. c. 24. Navar. in c. si quando de Reser. prel. 1.*

DVB. 4. An privilegiis uti liceat etiam extra proprium territorium? Negativam opinionem tuetur Navar. Consil. 6. de privil. & Suarez l. 8. de leg. c. 26. nr. 8. ut à Laymanno allegatur. Affirmativam Azor Tom. 1. l. 5. c. 23. q. 6. Sanchez l. 8. D. 31. Layman pag. 100. & Navarrus quoque in secunda editione. Sed quoniam alia privile-

gia sunt personalia, alia realia.

R. Qui pro se privilegium absolutum habet V. g. legendi libros hæreticos, vescendi carnibus in quadragesima, ubique locorum uti potest, modo scandalum absit: quia eiusmodi privilegia non constringuntur loco, sed absoluta, & personarum propria sunt. Si autem locale privilegium fuerit, locum in loco alieno non habet. Datur, exempli gratia, propter peculiarem carentiam ciborum quadragesimalium in hac diocesi facultas laeticiniis vescendi, ea licentia non licet uti in diocesi, ubi non est ciborum quadragesimalium carentia. Item in hoc regno usus armorum tibi conceditur; in alio prohibetur. *Igitur V. Salas de leg. Q. 94. Disp. 17. Sect. 10. Bonac. Tomo 11. pag. 80.*

*Cum fueris Roma, Romano vivito more
Cum fueris alibi, vivito sicut ibi.*

DVB. 5. Quomodo privilegia semel concessa confirmantur?

R. Generatim loquendo duobus modis. In forma communi, & ex certa scientia, quemadmodum DD. notant in *c. Quia diversitatem. de concess. prab.* Confirmatio ex certa scientia dicitur, quando Princeps privilegium confirmans, significat se plenam ipsius notitiam habuisse. Vnde fit, ut quamvis privilegium aliquando legitime collatum per non usum, vel ab usum, vel revocationem Superioris sublatum fuisset, de novo confirmetur, & innovetur. *Abb. Ioan. Andr. & alii DD. apud Suarez l. 8. de leg. c. 18. n. 3. Laym. l. 1. tr. 4. c. 24. n. 16.*

DVB. 6. An privilegia cum vita illius, qui dedit, expirent?

R. Negativè cum Nau. & aliis communiter.

niter. Ratio quia privilegium est favor, seu gratia Principis, quam cum vitâ ipsius terminari non convenit. *c. si cui nulla. de praben. in 6. & c. super gratia. de officio Iudicis deleg. in 6. Hinc Innoc. in c. Quod translationem. de off. leg. indulgentias à Legato Apostolico concessas manere docet, quamvis ipse officio defungatur. c. 1. & 2. 25. q. 2. c. Decet de Re. in 6. Nec obstat, quod mandatum obitu, mandantis extinguitur. l. Mandatum c. Mandati & c. relatum de off. Iud. deleg. Hoc enim idè fit, quia mandante sublatò executio mandatorum inutilis vel etiam damnosa redditur: quod in privilegiis locum non habet. Deinde meritò præsumitur, quemlibet Principem malle memoriam beneficiorum suorum perennare, quia gratior est, quàm mandatorum, quæ plerumque gravia, & molesta sunt. Archid. & Dec. in c. relatum de off. del. Mol. l. 2. de primog. c. 7. n. 63. Suar. de leg. l. 8. c. 31. Bonacina To 2. p. 87. Rosella. V. Privil. n. 2. Valens l. 5. tr. 33. §. 1. n. 4. Anton. Peregrinus l. 1. de iurib. Fisci pag. 62. & seq.*

Dub. 7. An revocatio privilegiorum, ut vim habeat, indicari legitimè debeat illis, quorum interest?

Resp. Revocatio concessionis simpliciter facta nihil operatur, quamdiu latet eum, cuius interest: aliàs innumerabilia damna, & incommoda sequerentur. Sotus Medina. Azor. alii. Dico simpliciter facta, hoc est, non præfixo tempore à r. que conditionibus à revocante adjectis. Nam si dicitur, non dari nisi pro uno mense, & manifestum est, eo elapso cessare. Non est tamen necessarium, ut singulis personis notificetur, quando commune est pluribus. Id enim vel impossibile inter-

dum, vel certè permolestum. Eo igitur modo revocatio, quo ipsa legum promulgatio fieri debet. Neque sufficit quilibet fortuitò oblata, vel obtrusa noticia, quam peregrè advenientes facere solent, sed ea, quam legitimam vocamus, ut in materiâ de legibus explicatur. V. quæ diximus in Proleg. §. 3. Salas de leg. D. 12. Sect. 2. Sanch. de Matr. l. 3. D. 30. Laym. l. 1. tr. 4. c. 23. n. 28. Bonac. Tom. 11. pag. 92. Follerus in Praxi Cens. p. 485. Sotus l. 1. de iust. q. 1. ar. 4. Medina 12. q. 90. art. 4. Azor. l. 1. §. c. 22. q. 7.

Dub. 8. Quid de privilegiis vivæ vocis oraculo concessis sentiendum?

Resp. Revocata esse ab Urbano VIII. propter abusum fortè, & incertitudinem illorum, aliæque incommoda, quæ exemptiones parere solent. Est autem hic notandum i. revocationem intelligendâ de privilegiis, non aliter, quam vivâ voce concessis. Nam quæ in corpore Juris alic. Ordinis, vel scripto continentur firmæ manent. 2. quod Diana monet Tr. 14. resol. 17. per revocationem prædictam nō tolli privilegia sic concessa ante Greg. XIII. quæ ex certa scientia illa confirmavit.

Dub. 9. De altari privilegiato. Ita vocatur, cui Summi Pontif. auctoritate addita gratia, seu Indulgentia est, vi cuius Sacerdos in eo Missam legēs animam è purgatorio liberare queat. Zypæus l. 5. Respon. de 10. Can. Responso 5. notat sequentia. 1. Si præscribitur Missa legenda de Requiem conditionem omnino implendam esse: quando autem non præscribitur, dici posse de Sancto, vel de tempore. Navar. de pæn. & remiss. Consil. 37. 2. Cùm deputatus est certus Missarum numerus v. g. quindecim quotidie legendarum in Ecclesia, intelligi moraliter, ita ut si fortuitò,

to, vel casualiter interdum non fiat, privilegium irritum sit: alioqui nullibi obtineret, cum Fer. V. & Sabb. hebdomadæ sanctæ plures Missæ non legantur. 3. quia Sacerdotibus Ecclesiæ altaris privilegiati tantum prædicta gratia conceditur, non participare hospites, quamvis ejusdem Ordinis, & pro tempore eidem Superiori subiecti sint. 4. Eiusdem generis & valoris in eadem Ecclesia Indulgentias esse simul non posse, imò dubium est, an nondum elapso septennio, impetrari renovatio possit. 5. quamvis publicare non liceat absque Ordinarii licentia *Conc. Tr. Sess. 21. c. 9.* & sic videri possit computandum septennium à die publicationis, nihilominus id non videri securum. *Ita Zypaus.* Vidi ego in quadam Ecclesia positum altare privilegiatum cum hisce conditionibus.

1. Ut in Ecclesia Altaris privilegiati quotidie 7. Sacerdotes Missam celebrent.

2. Indulgentiam pro liberanda anima obtineri posse in die Comm. fidel. def. & per ipsius Octavam diebus singulis. Deinde Feria 2. qual. per annum.

3. Ut Sacerdotes ejusdem Ecclesiæ tantum ea gratia fruantur.

4. Ut septennio & non amplius duret. Ita concess. Innoc. X Anno 1647.

NOTA. *Barb. in Sum Decis. Apost. n. 478.* Missam in Altari privilegiato, ut effectum suum habeat, nunquam nisi de Requiem dici posse tradit, licet in Indulto non exprimatur, idque decisum esse à *Congreg. Rituum in Pistoriensis quad. 1. lun. 1601.*

DUB. 10. Vtrum magis expediat, augere privilegia, an minuere?

Resp. Cum improborum hominum ubiq; major sit numerus, quam bonorum,

pauci etiam Regularium perfectioni sedulo & impense studeant, minuenda potius, quam augenda privilegia esse quibusdam videtur; idque propter multa incommoda, pericula, & damna, quæ inde promanant. Verè enim *Terentius Comicus in Heaut. Deteriores omnes summus licentiâ.* Nam si oculos intendas, videbis 1. incredibilem quandam animi elationem ex eo natam, quod se liberos esse à communi Subditorum jugo, & subiectione cernunt. Atq; hic morbus nobilium proprius est. 2. Immunitas parit lites, & contentiones, dum hi privilegia sua conservare, vel etiã ampliare, illi verò minuere nituntur, vel omninò tollere. 3. consequitur invidia, juxta illud *Horatii l. 1. ep. 2. Invidus alterius rebus marcescit opimis.* Hinc non raro leditiones oriuntur in populosis urbibus. 4. Nec scandala defunt, & scandalis maledicta consociata. Cives ex g. ad vigiliis coguntur, laboribus & tributis onerantur, Clericis verò propter privilegia parcitur, fremunt indignantur, Magistratum diris devovent, Clerum extinctum vellent, denique vindictam meditantur, & aliquando secessionem. 5. privilegiati parum memores finis, propter quem privilegia conceduntur, qui ferè est honorare virtutem, & promovere, abutuntur illis, & plus æquo libertati indulgent. Exemplum quotidianum in Ecclesiasticis vide. Nonnullis concessum est, ut censeantur in choro præsentis, si veniant ad epistolam sacri, vel in vesperis ad tertium Psalmum: illi dum Missa, aut Vesperæ canuntur, in porticu templi obumbalant simul colloquuntur, jocantur, & nugantur. Tandem sub mediū sacri aut Vesperarum chorum subeunt, non alio gestu, habi-

habituque quam ludiones in tabernam irruere solent. Distributiones nihilominus cum jurgio exigunt, nec quisquam illis utpote potentioribus negare, vel contradicere audet. Inter Regulares familia exempli reperiri probè scio, sed tegere satius est, quam evulgare. Optimè dixit olim mihi notus, & familiaris scriptor P. Adamus Contzen l. 5. c. 7. Censeo eum

qui multa privilegia, immunitatesque concedit, vim & netvos principatus (adde virtutis & pietatis) incidere, seditio- nibus materiam præbere. V. Conc. Trid. Sess. 24. c. 11. Panegyricum Bamberg. cap. 14. Tholos. de Rep. l. 18. c. 2. n. 20. Decius in Reg. 68. In omnibus causis Vallens. l. 5. tit. 33. §. 2. Oldendorp. tract. de iure singulari. §. de pri- vileg.

TITULUS XVI.

De Abbate.

I. **A**bbatis nomen Hebraicum vel Syriacum, generaliter Patrem significat. Marci 14. v. 28. ad Rom. 8. v. 15. ad Gal. 4. v. 6. Nunc per appropriationem solis Monachorum, & Regularium quorundam summis præfectis tribuitur; atque ita iidem sunt Monasteriorum præfides, Antistites, Prælati, Archimandrita, Cœnobiarchæ, Hæteriarchæ, Abbates Vulgò: meminisse nimirum eos convenit, quòd non tam potestate, & vi coactiva, quàm paterno aff. & commisso sibi fratres, ac filios regere debeant. Unde in c. si religiosus 27. de elect. in 6. dicuntur vice Dei super Regularium capita positi. Eisdem licet spontos Ecclesiarum suarum appellare c. Quia propter 42. de elect. in c. si verò relinquens tr. 5. Novella 5. vocantur Reverendissimi. V. Anton. Perez in c. 2. Reg. S. Bened.

11. Duplex Abbatum species est. Alii sæculares, qui Canonorum Regularium Ecclesiis Collegiatis præfunt Az. 11. l. 3. c. 19. Miraus de Collegiis Canonico. c. 122. alii

Regulares, qui præfunt Monachorum conventibus. Horum aliqui sunt insulati: alii pastorale duntaxat pedum gestant. Alii iterum sunt exempti, alii non exempti. Exempti jurisdictionem Episcopi, & cujuscunq; Papa inferioris non agnoscunt, quamvis Episcopalia jura, de quibus 16. q. 1. c. pervenit à loci Episcopo petere teneantur. Non exempti Diocæsano subsunt: quemadmodum alii Clerici. Item alii exempti sunt à jurisdictione Episcopi tantum ratione Monasterii, & personarum illius: alii etiam ratione populi, & territorii. Tholos. l. 15. Synt. c. 31. Laym. l. 5. tract. 9. c. 13.

§. I.

De Electione Abbatis.

I. **I**N Abbate eligendo requiritur 1. ut profectus sit. c. Abbatem in Monasterio. 18. q. 2. c. cum in Magistrum. de elect. c. Nullus Religiosus eo in 6. Requiritur 2. ut sit

sic legitimè natus. *c. Innotuit. de elect.* Requiritur 3. ut sit gnarus disciplinæ monasticæ, & vitæ regularis. *c. Officiu cui. de elect.* Requiritur 4. ut attigerit annum 25. *c. cum in cunctis. §. inferiora. de elect. c. accedens Dist. 50. in majoribus anni 30. exiguntur. Barb. Summa Apost. Decis. n. 15.* Requiritur 5. ut sit Sacerdos. *Gloss. c. tuam. 10. V. non ascendat. c. tuam in Domino. de ata. & qual. ordin.* In casu necessitatis tamen eligi potest in minoribus constitutus, per dispensationem. Eadem necessitas facit, ut irregularis quoque eligi queat. *V. Barb. Isidor. in Reg. Mon. c. 2. Suar. IV. l. 2. c. 3. n. 20.* Deinde eligendus est, qui vitæ meritò, & sapientiæ doctrinâ præpollet, quamvis in Congregatione fratrum ultimus foret. *c. Abbatem 18. q. 2.* Quod scientiam attinet, non requiritur tanta in Abbate, quanta in Episcopo: prudentia enim, & industria gubernandi cum charitate conjuncta sufficere potest. *Innoc. & Decius in c. cum in cunctis de poss. Pralat.* Quòd si nemo talis reperitur, nihil vetat, aliquem alterius Monasterii eligere. *Clem. cum rationi de elect.* Verùm ita electus non potest consentire absque licentia Prælati sui. *c. si religiosus de elect. in 6.* Licentiam verò dare potest Superior immediatus, puta Abbas, Præpositus, aut Prior Conventualis, nisi particularia statuta vetent, ut ferè apud Mendicantes fit. Quòd si monasterium, ex quo transeundum, Episcopo loci subiectum sit, illius quoque licentia postulanda est.

DIXI Superior immediatus, & quod intellige, ut non simul requiratur consensus Capituli, quemadmodum à Bonifacio VIII. declaratum est in *c. si Religiosus §. quia verò. de elect. in 6.* Si ita ele-

ctus, vel postulatus relicto monasterio suo gubernationem in alio auspicetur, jus suffragii, quod habuerat in monasterio relicto statim amittit. *c. ult. de Relig. dom.* Quæ causa est, ut à Prælato suo cogi non possit ad derelinquendum monasterium suum in ordine, qui Generalem non habet. Nam obedientiam vovit in hoc, & pro hoc monasterio: adeoque jure suo per professionem acquisito privati invitus non potest. Quod si valdè urgens causa exigat translationem, Episcopi, aut Summi Pontificis imploranda auctoritas erit. *Barbof in c. quàm sit necessarium 18. quest. 2 Mosconius part. 1. cap. 9. Lessius c. 4. dub. 12 num. 9. Roderic. Tomo I. quest. 15. art. 2.*

II. Electio Abbatis olim Jure Civili penes Episcopum fuit. *Rodrig. 11. q. 64. ar. 1.* hodie verò secundum dispositionem Juris Canonici à Conventu eligi debet. *c. ult. 16. q. 7.* ubi dicitur ex Conc. Tolet. Congregatio debet sibi eligere Abbatem post Abbatis sui mortem, vel eo vivente, si ipse decefferit, vel peccaverit. Episcopus enim non debet Abbatem violenter retinere in loco suo. Item statuitur in *c. Abbatem 3. & 4. Causa 18. q. 2.* nec non 2. libi. Electum legitimè non potest Conventus pro libitu remove, deponere, vel exauctorare, aliumve substituere. *c. nullam. 18. q. 2.* quia nulla auctoritas remanebit Abbati, si Monachorum potestati cæperit subjacere. Notat verò hic *Barbosa (ad c. 3. & seq. Causa 18.)* quamvis de jure communi verum sit, Abbatum tam Generalium, quàm localium electionem spectare ad Religionem, seu Convètum, nihilominus hodie Abbates locales apud Monachorum, & Canonicorum Regularium,

larium, Congregationes ferè omnes non amplius à Religiosis conventibus, sed per suffragia Generalium, vel Provincialium & suorum Definitorum eligi, ut patet ex usu, & specialibus Constitutionibus. Hæc ille de sibi notis regionibus, nos in Germania nostra contrarium fieri scimus. Objici potest, quod dicitur in *c. Hoc tantum* 18 q. 2. Sacerdotes seu Episcopos habere potestatem instituendi Abbates. Verùm illud non probat, electionem convenire Episcopis, sed institutionem, id est, confirmationem tantum; nisi fortè Monachi negligentes fuerint, vel aliquem minus dignum, & idoneum eligere velint, à quo nimirum non metuant disciplinæ exactiorem, sed perniciosam licentiam consequantur. *V. Dalnerum de Abb. c. 3. n. 4. Silv. V. Abbas n. 2. Armilla n. 1. Roder. 11. q. 54. art. 1.*

III. Quamvis ad electionem Prælatorum conversi Laici non admittantur jure communi. *c. ex eo* 32. §. in *Ecclesiis. de elect. in 6.* fieri tamen potest, vel longi temporis præscriptione, vel aliquo particulari statuto, ut vocem activam habeant. Nam Canones, qui resistere videntur commode explicantur de Laicis sæcularibus, & non religiosis. Ita fieri in Ordinibus militariibus, ac hospitalibus, Capuccinorum quoque Conventibus usus, & historiz loquuntur. *Suar. IV. l. 2. c. 4. Laym. l. 4. tr. 2. c. 12. n. 3. Roderic. 11. q. 52. art. 5.* Quin etiam patronus quamvis Laicus virtute privilegii alicujus, vel conventionis electioni interesse poterit. *Dalnerum de Abbat. cap. 3.*

IV. Ut Canonici Regulares in Capitulo vocem habeant, minimum ordine subdiaconatus initiati esse debent. *Clem.*

ut ii. 2. quod tamen non videtur extendendum ad Monachos, tum quia odiosum, tum quia incommodum, quandoquidem in quibusdam Religionibus non nisi post multos annos ad sacros Ordines promoventur. Consulenda igitur uniuscujusque Ordinis statuta, & consuetudines. *Roderic. loc. cit.*

V. Si unus tantum ex Conventu super sit, posse, si velit Abbas esse, eligendi vocem alicui alteri committere, eique postquam ab eo electus est, consentire, censet *Ioannes de Arnono cautela* 35. atque ita observatum esse in Abbate quodam S. Benedicti testatur. Melius fortè consultur tali, ut Monasterii bona tanquam administrator curanda suscipiat, numerum fratrum augeat, donec ad legitimam electionem sufficiat. *Layman l. 4. tr. 2. c. 12. n. 3. Paulus de Leaz. in Clem. 1. de elect. Angel. in l. nulli. Quod cujusque Universitatis.*

VI. *A Conc. Tr. decretum est, Sess. 25. c. 6.* ut Abbates temporales, aliique Officiales, Generales, & Abbatissæ eligantur per Vota secreta, ita ut singulorum eligentium nomina nunquam publicentur. Nec in posterum liceat Provinciales aut Abbates, Priores aut alios quoscunque titulares ad effectum electionis faciendæ constituere, aut voces, & suffragia absentium supplere. *Ita Conc. Trid. quæ intelligenda sunt, quando electio fit per Scrutinium, non autem per compromissum, aut viam Spiritus Sancti.* In his enim suffragia palàm dari possunt. Cæterùm Cardinalium Congregatio duo monet. Primum est, in electione Abbatissarum vota ore tenus accipi posse à Superioribus cum duobus testibus. Alterum, quoad occultationem suffragiorum tam strictè servandum

Hh

vandum

vandum esse secretum, ut si post electionem factam in bullis Confirmationis seu patentibus exprimerentur nomina eligentium, nulla foret electio *Suar. IV. l. 2. c. 5. n. 11. Compend. pruis. Mendic. V. Electio.* Quid si, inquis, unus alteri i. scio aut non consentiente Capitulo suffragium suum ostendat, eritne propterea invalida electio? *R. cum Nau. l. 1. Consil. 9. de elect. in 6. non fore isualidam electionem, nisi talis ostensio & manifestatio sit causa electionis. Tunc enim rescindi debet. Suar. l. cit. n. 12. Simpliciter invalidam fore electionem ex Declaratione Cardinali docet.*

VII. Qui ex aliquo Mendicantium Ordine ad non Mendicantem transijt, vocem activam in electione Prælati non habet *Clem. l. initio. de Regular. & transf. Ut professores, inquit, cujuscvis Paupertatis Ordinis eo libentius, in qua vocati sunt vocatione persistere, transeuntesque ad non Mendicantium ordinem, in eo conversari quietius studeant, statuimus, vocem aut locum in Capitulo non habere, etiamsi hoc sibi ab alijs liberè cõcedatur.* **NOTA** causam, quæ in transitionem multos impellit, mentis instabilitatem, & inquietudinem esse. *V. qua diximus tit. 15. §. 8. n. 5. Dalnerus de Abbate c. 4. n. 4.*

VIII. Si vel indignus scienter electus fuerit, vel non canonicè, facultate eligendi pro ea vice privantur electores nõ ipso jure, sed per sententiam c. quia propter 24. de elect. ubi simul præscribitur tempus intra quod electio facienda sit, nimirum trium mensium. *c. ne pro defectu 41. §. statuimus V. qua diximus tit. 6. §. 2. Rod. 99. Regul. To. 2. g. 52. ar. 10.* Convenit sanè potestatem amittere illum, qui abutendam esse sibi falsò persuadet.

IX. Jus electionis amissum devolvitur vel ad Papam in exemptis, vel in non exemptis ad Episcopum *c. cum singula 32. §. fin. de elect. Excipe. Nisi per electum steterit, quo minus electio intra trium mensium spatium perficiatur. Tunc enim ad denuò eligendum idem jus conceditur c. si electio 26. Similiter illi, ad quem jus eligendi devolutum est, totidem menses concedantur, ut provideat §. statuimus Vallensis l. 1. Paratitl. tit. 6. §. 3.*

X. Quod tempus attinet, etiam noctu fieri electionem posse à *Valuero* annotatum est in *Disp. de Abbate c. 6. ex Bapt. Vilh. & alijs: quamvis id parum conveniens, & decorum videatur, nisi forte imminencia pericula, & insidiæ timeantur. Quo eventu faciendam electionem esse, tribus accensis luminaribus, ut nulla relinquantur fallendi & suspicandi occasio monet. Roderic. Tom. 11. quæst. 52. art. 15. Navar. l. 1. Consil. 8.*

XI. Si contingat electorum suffragia majori ex parte alternativa, aut conditionata esse, irrita electio censetur, & potestas eligendi devolvitur ad eos, qui purè, & absque conditione elegerunt. Omnino enim magna beneficia, & Dignitates, cujuscmodi est Prælatorum, & Abbatum, convenit puris & simplicibus votis conferri, ad tollenda dissidia, aliaque incommoda, quæ ex vacillante electione consequi possunt *Abb. Archid. Gemin. Vivianus. Alagona. Barb. in c. in electionib. 2. de elect. in 6.*

XII. Peractâ electione installatio fit (ita Canonistæ loquimur) per quam electus incipit habere jus in re: sigilla, claves, & reliqui Abbatis characteres mutantur, & innovantur. Hanc initiationem

tionem non ab alio, quàm Conventu, vel cui ipse commiserit, faciendam, apud Ciltertienses saltem, *Caramuel ex privilegio Gregor. IX. docet. Comm. in Regul. S. Benedicti. num. 1508.*

§. II.

De Confirmatione, & benedictione Abbatis.

I. **C**onfirmari, consecrari, seu benedici Abbates à sacris Canonibus statutum est, ad similitudinem & proportionem consecrationis Episcoporum, ut quia his proximi sunt potestate, honorem illorum, & dignitate non quodante, nus participant. Igitur postquam electus est Abbas, intra tres menses, ex quo vacare Monasterium cœpit, petere ab Episcopo confirmationem, & benedictionem debet. *c. 1. de supplen. negl. Pral. c. cum contingat de at. & qual. ord. c. 5. & 6. de elect. in 6. Barbof. summ. Apost. Decif. Coll. 1.* In quibusdam locis, ut *Cardinalis Tuschus* affirmat, non solent benedici Abbates, omnia nihilominus, quæ Ordinis sui sunt, officia exercent, modò Sacerdotio inaugurati sint. Si autem benedictione indigeat Abbas, eamque Episcopus tertio rogatus absque rationabili causâ negat, excusatus est, qui petivit, & fungi officio suo plenè, & absolutè potest. Idem possunt, qui electi sunt per inspirationem seu viam Spiritus Sancti, modò exemptione gaudeant, & multùm distent. *c. nihil est 4. de elect. ubi limitatio addit, ut nihil alienent. Zerola part. 1. V. Abbas Canif. l. 1. tit. 13. Dalnerus de Abb. Piascius in Praxi Episc. part. 1. cap. 2. pag.*

62. Angelica n. 4. & 5. Navarr. c. 27 n. 264. Laym. l. 5. tract. 9. c. 13. Navarr. c. 27. n. 264.

II. Consecratio Episcopi, & Abbatis in tribus differunt. Nam primò Episcopi consecratio est Sacramentum imprimens characterem, benedictio Abbatis verò non est Sacramentum, sed deprecatoria manuum impositio. *c. 1. Dist. 69. c. Manus 1. quest. 1.* Hinc consecratio Abbatis aliquando ab Episcopo assistentibus duobus Abbatibus, aliquando ab Abbate cum duorum aliorum assistentiâ fieri solet. *secundò*, Episcopo ante consecrationem, licet confirmatus sit, nomen Episcopi absolutè non tribuitur: Abbates modò confirmati sint, etiam ante benedictionem suo nomine appellantur. *c. quanto de off. iud. Ord. Tertio*, Episcopi consecratio simpliciter necessaria, & quasi substantialis est, ita ut absque illâ actus proprios exercere nequeat, sive primarii illi sint, ut majores Ordines conferre, sive secundarii, ut vasa sacra benedicere: at benedictio Abbatis quoad exercitium ordinis non ita substantialis est, quin absque eâ committi possint illi actus aliqui Episcopales. V. g. benedicere paramenta, & ornamenta sacra, reconciliare Ecclesias & similia, de quibus *in s. seq. V. qua diximus Tit. VI. §. 1. & 3. Panorm. in c. inter de sent. & re iudic. n. ult. Roderic. Tomo 1. q. 18. art. 2.*

III. Quæ ad Jurisdictionem spectant, Abbas exercere potest, quamprimùm confirmatus est, quemadmodum Episcopi quoque. *c. transmissam. 15. de el.* Quæ verò ad potestatem ordinis pertinent, non nisi perceptâ benedictione licent. *Zerola part. 2. V. Abb. sufficere electionem putat.* Quòd si, ut alicubi usitatum, idem

fit actus confirmationis, & benedictionis, cessat insinuata divisio. Hoc sensu locutus videtur *Innoc. III. inc. 1. de suppl. negl. Pral. ut Baldus notavit. Abbatem sine benedictione non posse administrationem suscipere. Addit Silv. num. 4. si episcopus pro benedictione aliquid accipiat, Simoniam crimine committere: quod hoc tempore levi manu abiguit, alios titulos substituendo, qui licitam munerum acceptionem faciant. Nam neque parva munera, neque Xenia Simoniam continent, ut idem Silve agnoscit. *V. Simonia. n. 6. Barb. sum. Apost. decis. Collect. 1. & in c. Alienationes 12. p. 2.**

IV. Quo die benedicendus sit Abbas, controversatur. Cum enim non proprie consecratur, ut episcopi, videtur quolibet die benedici posse, in quo alias conferri minores ordines possunt. Ostiensis tamen rarius putat, si in Dominica fiat. Et faveat communis piorum sensus, qui eam ceremoniam permagni æstimant. Accedit consuetudo passim recepta præsertim apud Germanos, ubi talium festorum solennitas non sine Hilaritate Symposiaca transigitur, Non erit tamen delictum grave, ut *Layman loquitur in Q. Q. Cant. nu. 2. 4.* si die etiam non festo Abbas benedicatur, cum nihil de eo in iure definitum sit. *V. Silv. Tabienam, Azor. Tom. 1. l. 12. c. 20. p. 3. Dalner. de Abb. c. 9. Roder. II. Q. 54. ar. 7.* beneficia ante electionem possessa, retinere Abbatem. Monet usque dum benedictus sit, & pacificam possessionem habeat.

V. Abbas semel benedictus, si contingat ab alio etiam Monasterio eligi, aut postulari, non indiget alia, vel iterata benedictione. Quamvis enim characterem

non imprimat, placuit tamen negare reiterationem, quia minimè necessaria est. Ob eandem causam benedictio nuptialis non repetitur *c. 1. & 3. de secun. nupt.* Nec pœnitentia solennis reiteratur *c. Quamvis. & c. in capite. D. 30.* Verùm Abbatissæ benedictio reiterari potest, ut ex *Felino tradit Navarrus Consil. 2. de sta. Mon.* Si causam diversitatis interrogas, alia non occurrit, quàm muliebris sexus conditio, quæ quia debiliior, & mollior, iuris subinde favoribus specialiter adiuvatur. In hunc finem Monialibus permittitur, ut in agone constitutæ professionè edant, nondum exacto probationis tempore *V. Tit. 15. §. 3. Barb. l. cit. Collect. 1. Az. l. cit. Q. 4.*

VI. Quamvis benedictio Abbatum non imprimat characterem, aliunde tamen habent, quòd non sint temporales, sed perpetui *c. Nullam. 18. q. 2. & 10. tit. de statu Monach.* Nec nisi ob certas, & graves causas ab episcopo, Pontifice, aut Capitulo generali deponuntur. Concessum illis tamen est, renunciare, quemadmodum de episcopis diximus *Tit. 7. §. 5.* Si propter senium, vel infirmitatem Abbas officio suo commodè fungi non possit, coadiutor illi dandus est. Facta autem renunciatione & admissa manet professus eiusdem monasterii, & primum locum obtinet in choro, & Conventu. Si verò ob culpam deponatur *c. Si quis Abbas 18. Q. 2.* nihil verat, pœnæ loco in ordinem redigere, & vel ultimo loco ponere. Cæterùm Abbates hodie perpetui sunt, maximè apud Germanos nõ positivo aliquo, aut definitivo iure, sed negativo potius, aut præsuppositivo.

Hæc enim antiquorū Regulariū mens,
& in-

& intentio fuisse videtur, ut ad imitationem Ecclesiæ, quæ perpetuos episcopos constituit, Abbates, & Præpositos nulla temporis circumscriptione coarctarent. *Navar. Comm. 3. de Regularib. n. 3.* Quod verò ad alios præfides, & Superiores attiner, magna varietas cernitur, dum alii temporales, alii perpetui, aliqui sexennales, alii triennales sunt. de quo *V. Suario. ro. 4. l. 2. c. 7. Roderic. to. 1. Q. 16. art. 1.* ubi ex Navar. multas rationes congerit, quibus probetur, expedire, ut Prælati Ordinum religiosorum sint perpetui: nec paucas in contrarium, quod magis expediat triennales esse. Mihi illorum sententia veritati propior esse videtur, qui apud Ordines Mendicantium certo annorum spatium gubernandi munus circumscribunt, quia pauciora incommoda erunt: maioribus verò Prælati, qui præter spiritualem curam, bonorum temporalium simul administrationem habent, non esse præficiendum tempus, ne crebra præsidum mutatio monasteriorum bonis & iuribus obsit, cum non admodum multi reperiantur, qui simul temporalia, & spiritualia accurate norint. Quanquam si iis virtutibus instructi essent Superiores, quas Ordinum Statuta exigunt, optandum omnibus foret, præesse diu, & perennate, qui semel electus, vel applicatus est: nunc autem, quia rara in terris avis est Prælati humilis, benignus, & perfectus, subditi indignè habentur, & quemlibet nondum euectum sibi fore mitiorem somniant, & exoptant. Equidem si usum attendas, ea quæ nunc apud Mendicantes diminutio potestatis & revolutio viger, communi quadam subditorum approbatione fovetur, & commendatur: nostraque Societas post

unum sæculum universè tandem suscepit deinceps usurpandam.

§. III.

De potestate Abbatis.

Cum potestas & iurisdictio Abbatis partim sit respectu personarum, partim verò rerum, seu bonorum, incipiendo à personis, sciendum est.

II. Abbas solemnem benedictionem, post absolutas Missæ & Vesperarum preces. dare potest populo in ecclesiis ad ipsum pleno iure pertinentibus: non autem publicè per vias, aut castella. *c. Abbates de privileg. in 6.* nisi speciali indulto sit concessum. Dicuntur autem pleno iure subiectæ ecclesiæ, quæ tam quoad spiritualia, quàm temporalia sunt in cura, & potestate monachorum. *Glo. in V. pleno iure.*

II. Exempti Abbates, qui ius habent deferendi pedum, & mitram, possunt conferre minores Ordines subditis suis, non solum monachis, sed etiam laicis in quos ordinariam ecclesiasticam habent iurisditionem. *c. Quoniam dist. 69. & c. Abbates de privil. in 6.* Sic olim erat, nunc à Conc. Tr. decretum est *Seff. 23. c. 10.* ut in posterum intra fines alicuius diocesis existentibus, licet nullius diocesis, & exempti censeantur, nulli, qui regularis subditus non sit, liceat primam tonsuram, aut minores ordines conferre. An verò sub termino *Regularis subditus.* Novitii contineantur, dubium est. Negat *Barbosa in c. Abbates de privil.* eò quod strictè loquendo non sint religiosi subditi. Idem notat, Abbatem dispensare posse in interstitiis ordinum, neque tunc examinandum esse ab episcopo, non obstante dis-

Hh 3

positione

positione *Contil. Trid. Henriq. l. 16. c. 23. Rodr. 10. 3. p. 23. ar. 2.*

III. Aliis Regularibus, sicut laicis quoque, quamvis episcopo subiectis similiter conferre potest primam tonsuram, & minores ordines, modò literas dimissorias speciales, & cōsensum episcopi attulerint. *Dico Speciales* quia generalis episcoporū consensus non censetur sufficere. *Ita Congregatio Cardinalium.* Pro Sacramento Confirmationis nullam habet ordinariā potestatem, quicquid olim nonnulli dixerint. *Nam Greg. XIII. aliter declaravit. V. Card. Lugo l. 1. Resp. Moral. Sect. 2. Dub. 7.*

IV. Dubium est, an Cistercienses Abbates hodieque potestatem habeant, monachis suis conferendi ordinem Diaconatus, & Subdiaconatus. Accepisse constat privilegium ab *Innoc. VIII. Anno Christi 1489.* eoq; cōstāter usos esse De præsenti tempore laboramus. *Nam Conc. Trid. S. 23. c. 8. & 12. Item Sixtus V. & Pius IV. omninò revocasse videntur, dum volunt omnes, & singulos à solis episcopis ordinari, damnansque privilegia contraria. Dicendum igitur hoc tempore non esse permissum prædictis Abbatibus, ut fratribus suis conferant ordinem Subdiaconatus, & Diaconatus. Si qui tamen adhuc faciunt, vel per ignorantiam, vel per nunquam intercisam consuetudinem, in locis, ubi *Co. Tr. Decreta* non recipiuntur, excusandi erunt. *Navar. Consl. 14. de privileg. Roderic. l. pag. 88. Caramuel tamen in Comm. Reg. S. Bened. n. 1626. asserit, privilegium illud Cisterc. quinque Abbatibus concessum hodieque in praxi esse, ac perennare.**

V. Abbas absolvere potest monachos suos ab omnibus peccatis, & censuris, nisi alteri ipso iure reserventur. *c. Nuper. 29. de*

sent. excom. Glo. in c. si quis monachus D. 90. Similem potestatem alii etiam Superiores, & Prælati, quamvis Abbates non sint, habere videntur. Certè ad plenam gubernationem illis necessaria est. *V. Roder. Par. 1. Q. 20. ubi art. 29. docet monachum si Abbas per censuram aliquam impeditus sit, à reservatis casibus, ab episcopo absolui posse, exceptis casibus, pro quibus speciale exemptionē Abbas habet. Item art. 30. Si iniuste negetur licentia, confitendi alteri peccatum reservatum, posse subditum in casu necessitatis V g. ut communicet, ut evitet scandalum, alteri confiteri non reservata, cum voluntate suo tempore confitendi ea, quæ reservata sunt. Alii verò, quos ibi refutat, cum contritione absque ullâ confessione ad sacram communionem admittunt. V. *Suar. IV. l. 2. c. 15.**

VI. De votis Monachorum sibi subditorum ante ingressum factis dispensare potest: illa verò, quæ post ingressum fiunt, irritare, quia ut *c. Monacho 20. q. 4.* dicitur, non licet cuiquam regulari votum vovere sine consensu Abbatis sui, si autem voverit, tollendum erit. *Tuschus Concl. 16. Angelica nu. 15. Less. c. 40. D. 13.* Quomodo vota omnia per professionem religiosam extinguantur, aut in ipsam professionem commutentur, diximus *Tit. XV. §. 4.* Solut etiam Monachos, & liberat ab irregularitate contracta propter Ordines susceptos in excommunicatione, si intervenit ignorantia, vel oblivio *c. Sicut tuis. de Simo. c. Cum ecclesiar. de off. Ord.* Quod intellige, si ante ingressum, sive post illum irregularitas contracta sit. *Mofcon. pag. 261.*

VII. Permittere potest, ut religiosus sibi sub-

bi subiectus ad aliud monasterium transeat. *c. ult. 20. g. 4.* Item dispensare in Regula, ut in cellula separata habitet. Causa poterit esse vel infirmitas, vel diuturna, & probata inter alios conversatio: senectus denique, cui remissio, & quies debetur. Dispensat etiam, ut duo Monachi possint esse penes se ad utilitatem, & commoditatem suam. In his autem, quia medium attingere difficile, proclive autem ad dextram, vel sinistram exorbitando desistere, *S. Bernardi* attendenda doctrina est. Arbitror, inquit, sanctas observantias Prælatorum prudentiæ, & fidei creditas, non subditas voluntati. Hinc est, quod idem Legislator (*S. Benedictus*) in his, quæ Abbati dispensanda reliquit, cautè nūquam, ut memini, voluntatem, sed aut considerationem, aut dispositionem, aut providentiam, aut certè arbitrium, seu aliquid huiusmodi ponit. Observat *Caramuel* multas virtutes intellectus, & voluntatis à *S. Bern.* enumerari, ut nudam Antistitis voluntatem excludat. Eæ sunt prudentiæ regina virtutum omnium practicarum. Fides, seu conscientia, & opinio prudens, seu probabilis. Dispositio, quæ requirit bonum ordinem rerum agenda- rum. Providentia, quæ media ad finem prædestinat. Denique arbitrium, id est, deliberatum iudicium *V. Caramuel. scholion S. Bern. in Reg. S. Benedicti pag. 73.*

IX. Ex subditis, quem idoneum iudicat, cum episcopi auctoritate, & populi consensu ecclesiæ parochiali præficere potest, ut in *Conc. Ilerdensi c. 3. & Tarracon. c. 11.* statutum est, & Gratianus refert in *c. Cum pro utilitate 16. Q. 1.*

X. Paramenta sacra, vestes sacerdotales, cruces, & similia, in quibus chrisma

non adhibetur, ad ecclesiarum suarum necessitatem, imò aliarum quoque benedicere potest. *Glo. inc. Abbates V. Tonsuram.* Vbi notandus *Dalneri* error, qui *c. 10. nu. 33.* affirmat, Abbates consecrare posse calices & patenas. Nam *Congregatio Cardinalium* in *Sess. 23. c. 10.* manifestè excipit illa, in quibus unctio requiritur, inter quæ calices, & patenas esse nemo ignorat. *Piascius pag. 72.* etiam Corporalia excipit. Unde colligitur peculiare privilegium esse quod Religiosi Mendicantes Corporalia benedicunt, de quo *V. Roderic. 10. 1. Q. 19. ar. 2. Compend. Privil. Soc. Iesu. Layman in Q. Q. Regular. n. 217.* ex diuturna, & non improbata consuetudine fieri putat. De ecclesia polluta an benedici possit ab Abbatibus, & Prælati regularibus, quærit *Rodericus To. 1. Q. 19. a. 6.* & respondet, benedicere illos solenniter posse ecclesiam propriam, cæmeterium, & Oratoria, modò ab episcopo aqua benedicta sit. Illo autem absente per duas diastas seu 14. leuca supplere posse (x indulto *Leonis X.* & aquam ipse benedicere. Altaria & calices communiter non consecrantur, ut diximus, ab Abbatibus, speciali privilegio tamen concessum dicitur ab *Innoc VIII. Generali*, & quatuor præcipuis Abbatibus Ordinis Cisterciensis. *Par. de potest. 1. p. sc. Par. 2. alleg. 27. nu. 36.* Hodie eodem privilegio in locis remotissimis Indiarum utuntur PP. Societatis Iesu, & alii quidam. *V. Rod. 1. pag. 159. Suar. 4. de Relig. pag. 175. Caram. in Com. Reg. S. Bened. n. 1567.* tradit privilegio Cisterciensibus concessio quo Innocentiam, omnes Abbates hodie frui, qui utuntur pontificalibus insignibus. Addit, etiam campanas benedicere posse.

§. IV. De

S. IV.

De Iudicialibus.

I. **P**Ræter internam & spiritualem iurisdictionem, eam quæ fori externi dicitur, seu contentiosam Abbati (aliisque Regularibus Prælati) competere in confesso est, ita ut in medio fratrum suorum de civilibus & criminalibus ordinarius iudex sit. *c. Cum contingat. de fo. comp. Pa. norm. ibi n. 3. concl. 3. Roderic. Tom. 2. Q. 2. art. 8. Spatharius in Methodo. Tr. 1. c. 1. Moscon. p. 363.* Neque Episcopus immiscere se debet, aut potest, nisi in causis delictorum, quæ notoriè cum publico scandalo à Regularibus committuntur, ut *Clem. VIII.* declaravit in *Const. suscepti muneris apud Roder. l. cit. art. 6.* idque tunc solùm, quando Prælati monitus ab episcopo cessat, & reum fratrem aliud, ne puniatur, transmittit. Adde, ne quidem civiliter conveniri posse à Creditoribus coram episcopo Monachum modò sub regulari disciplina sit. *Declar. Conc. Trid. Sess. 25. c. 14.*

II. Arguet igitur delinquentes, sed non in furore suo. Modum Regula, & aurea methodus Octaviani Spatharii docebit. Inedia, flagella, ignominia, carcer adhibenter, proscripio, exilium, trirèmes aut nunquam, aut rarissimè. Iudicii forma accuratè serveretur, Regularium magis quàm sæcularium legibus ordinata. Apices iuris hic *Bonifac. VIII.* damnat. In gravioribus delictis festinata severitas prodest, ne Episcopus manum iniiciat. *Spatharius Tract. 1. c. 4. Ghislerius Perez in Reg. S. Bened. cap. 2. par. 3. n. 48.*

III. In locis, quæ contra episcopum præscriptione obtinuit Prælati, & pleno iure possidet, de causis matrimonialibus, & beneficialibus cognoscere poterit: cum sine his plenum ius, & integra iurisdicatio non consistat. *Barb. in c. Auditis de præscript. Neque huic iuri derogatum esse à Con. Tr. Cardin. Congreg. declaravit. Sess. 24. c. 20. V. Moscon. l. 1. c. 10. p. 264.*

IV. In causa monasterii sui Abbatem fieri testem, nihil verat: cum idem Clerico in causa ecclesiæ suæ tribuatur. Non enim privata causa tunc agitur, sed Universitatis, in qua clericus, & Prælati quilibet continentur, ut membrum. *c. Insuper. de test. & attestat. Vivianus in Ration. l. 2. p. 150. Alagona in Comp. p. 259 Barb. ibid.* Modò Abbas unà cum Conventu constituerit procuratorem, Syndicum, vel actorem, qui ipsius Communitatis nomine causam agat. *c. præsentium eo. in 6.*

V. Quemadmodum Abbas non suo, sed monasterii nomine instituere actionem, & vicissim conveniri potest. *c. Edocti de refer. ita Capitulum, seu Conventus agere, & tractare negotia vel iudicia potest cum Prælati sui consensu.* Nam neque sine membris caput, nec sine capite membra vivunt, aguntque. *c. Novit. de his qui fiunt.* Quamobrè si quid Abbas fecerit, aut pactus fuerit in causa monasterii sui non sine consensu fratrum, & Capituli fecisse præsumitur. *Barb. in cap. Ea noscitur de his, quæ fiunt à Prælati.* Et pro consensu in scientibus taciturnitas habetur. *c. Continebatur eo. Tuschus Concl. 15.*

VI A iuramento calumniæ Abbas non eximitur, sed nisi præiudicare causæ suæ velit, præstare debet, non quidem per se, sed per procuratorem, vel Syndicum. Si

contu

contumaciter tenuat, episcopus idoneum Oeconomum eliger pro monasterio, ne iure suo excidat. *Innoc Bellamera. Barbat. Vivianus l. 2. p. 61. Alagona Comp. f. 221. Barb. in c. Imperatorum de dilationibus de Clericis idem præscribitur c. Cum causam eod.*

VII. A correctione Abbatis non licet appellare monacho, cum fiat pro salute animi ipsius. *c. Licet de off. Ord. c. Ad nostram. c. reprehensibilis. c. Cum speciali. de appell. nisi in corrigendo modus omittatur.* Tunc enim expressa gravaminis causa permittitur appellatio, uti fuga quoque, quando sævit, qui corrigit. Vnde colligitur, potestatem Prælati regularis maiorem esse in monachos, quam sit sæcularis Prælati in clericos, quia his appellatio absolutè permittitur. *Moscon c. 9. cir. finem. Maranta Par. 6 p. 287. Roder. 1. Q. 29. ar. 2.*

VIII. An damnato ad perpetuum carcerem monacho fugere liceat, in *Thesau. Religiosor. querit Barthol Faustus, l. 6. c. 270.* & resoluit non licere, modo iustè damnatus ad carcerem sit, quæ in professione sua videtur iuri suo, & libertati renunciasse *Bann. vero 22. q. 69. ar. 4.* paulò benignior, putat fugere posse, non quidem ad vagandum, aut habitum abijciendum, sed ad illius pœnæ veniam à Superiore Prælato obtinendum, cui opinioni libenter subscribo.

V. Roderic. 2. Q. 23. art. 6.

(*)

§. V.

De Administratione bonorum temporalium.

I. **A** Bbas, & Prælati Regularium quilibet communi lege Ordinū religiosorum omnium vi professionis suæ incapax est omnis proprietatis, nec ullum dominium, ius, aut possessionem habere potest rei pecunia æstimabilis secundum ea, quæ diximus *Tit. 15. §. 5. & Roderic. To. 3. Q. 29. ar. 4.* Sed quia titulus & dignitas Prælatuæ non est pecunia æstimabilis, ut per illius proprietate, & possessione tuenda agere proprio nomine potest, quemadmodum de Clero quilibet, qui beneficium ecclesiasticum obtinet. *c. Dilecta. 22. de resor. c. Nisi. de præb.*

II. Bonorum temporalium monasterii sui non dominus, sed administrator, seu dispensator est, constitutus nimirum à Domino super familiam suam, ut det illi in tempore suo tritici mensuram. *Det, inquam, pauperibus pauper, det in tempore suo, sed non de proprio suo. c. Cui portio. 12. q. 1. 6. Cum ad monaster. de sta. Mon. Clem. 1. de Regular. Con Tr. Sess. 25. c. 2.* sic faciat dispensationem, ut mereatur recompensationem. Modum dispensandi bona communia *Concil. Tr. l. cit præscribit his verbis.* Administratio bonorum monasterii, seu Conventuum, ad solos Officiales eorundem, ad nutum Superioris amovibiles pertineat: mobilium verò usum ita Superiores permittant, ut eorum suppellex statui paupertatis, quam profecti sunt, conveniat, nihilque superflui in ea sit, nihil etiam, quod necessarium, eis de-

li nege-

negetur. Hanc veritatem dicit *Caramuel* in *Reg. S. Bened. Disp. 49. num. 830.* omnes Abbates sciunt, tamen si aliqui dissimulare videantur. *V. Perez. in Reg. S. Ben. c. 34.* Teneri ex culpa etiam levi, cum Ecclesia ipsius negligentia damnum passa est, multis probat *Comitolus l. 1. Q. 83.*

III. Qui scriptores regalia, & castella tenere, agrorum, & camporum dominos esse ecclesiarum, vel Religionum Prælatos dicunt, ut suspecti de assentatione sint, magnos auctores habent. Omnium bonorum Ecclesie Dominum esse Papam, totius orbis, etiam infidelium de iure iurisdictionem habere pronunciat. *Franc. Leo in thesau. eccl. par. 1. c. 4. nu. 58. Par. 2. c. 20. n. 1. citatque c. 2. de præbend. in 6. Glo. fin. in c. Felicis de pœn. eo. Clem. 1. c. 1. ff. Baldum. in l. Rescripta num. 8. Gomes. in Procem. in Reg. Cancell. de aliis Prælati S. Bern. assertio est in Serm. ad Pastores in Synodo.* Duplex est dominium prælatorum. Habent enim claves ecclesie: quibus claudunt, & nemo aperiat, aperiunt, & nemo claudit. Habent & regalia, quia Domini sunt urbium & oppidorum. Nec solum episcopatus habent, sed etiam consulatus. Eod. modo loquuntur, quos magno numero citat *Barb. in c. Licet. de præb. in 6. sed meminisse iuvat, eiusmodi propositionem eatachreli ornata esse, & Domini vocem pro Dispensatore, vel Oeconomo poni, quemadmodum in aliis multis videre est. *Clare. Th. 22. Q. 100. art. 1. ad 7. Quamvis res Ecclesie sint Papæ, ut principalis dispensatoris, non tamen sunt eius, ut domini, & possessoris. Vnde si reciperet pro re Spirituali pecuniam de redditibus ecclesie alicuius, non careret vitio Simonie. Ita**

S. Thom. dicat ergo Prælati Religiosus cum Apostolo *1. Cor. 9. V. 17. Dispensatio mihi credita est.*

IV. Vnde consequitur nullam rem prohibitu alienare posse, quemadmodum nec alii Prælati possunt. Nam bonorum ecclesiasticorum alienatio, naturali, & divino iure prohibetur, addito iuramento, quoad summum Pontificem, & Cardinales respectu bonorum Sedis Apostolicæ: quoad Episcopos verò, & Prælatos respectu bonorum suæ ecclesie. Eadem alienatio utroque iure prohibetur *Cano. & Civili* ut in *Par. 2. huius Summa magis explicabitur. V. Conc. Trid. Sess. 25. c. 11.*

V. Quod munera & donationes attinet, prohibitionem innovavit, & auxit *Clem. VIII. in Const. Religiosa Congregationes Anno 1594 edita*, vi cuius nulli Superiori subdito, Communitati, vel Conventui licet ullam donationem ex bonis monasterii facere, exceptis militarium Ordinum personis, & Eremitis, qui propriè Religiosi non sunt. Quantitas autem ad peccati mortalis culpam in re donata censetur prudentium virorum iudicio valor duorum, aut trium aureorum. Sed quia de hac materia *supra te, 15. §. 5. nonnihil diximus, & in Par. 2. tit. 17. rursus*, agendum erit, desino. Legat interim, cui collibitum est, *Rodericum Tom. 11. Q. 48. ar. 3. & seq. Sorbo in expositione prædi. Clementina in Comp. privilegior. Mendic. pag. 152. Quod verò Caramuel in Reg. S. Bened. num. 829. dicit Clementinam illam in neutro foro obligare, quia Solidam doctrinam non continet, à pluribus reicitur.*

VI, Mul-

VI. Multò minùs in testamento aliquid relinquere Abbas potest, uti nec ullus professus: hoc enim illis tantùm convenit, qui dicere audent, *Meum est*. Nec prodest opponere, Modica donatio Religiosis in vita permittitur, ut passim Theologi & Canonistæ tradunt: ergò etiam in termino vitæ: quia huic dispositioni lus manifestè resistit, ut quæ naturam dominiî sapere videatur. *V. Sanch. l. 7. Moral. c. 8. num. 5. Füllinc. Tract. 34. c. 3. n. 50.*

VII. Modicam donationem facere permittitur etiam cognatis suis, & consanguineis imò maritare puellam ex bonis Monasterii, & nobili vetecundo largam eleemosynam dare. *Feder. de sen. Conf. 282. c. Caterùm. de donation. modò modus servetur. quod quàm sit difficile, amoris impotentia, & quotidianus usus docet in illis ipsis, qui isthæc præscribunt. Suis igitur dabit, donabit, locabit, ut alienis, quemadmodum ab Abbate Latiniacensi factum esse S. Bernardus commendat ep. 230. Si inter Fratres Sermo, & querelæ audiantur, donatæ rei quantitas, loci consuetudo, & circumstantiæ librandæ erunt. Corduba apud Anton. Perez in Reg. S. Bened. c. 33. num. 128. Abbatem dicit ex bonis monasterii usque ad quantitatem decem aureorum donare posse, bona interveniente causa. *V. Glo. in c. Abbatib. 12. q. 2. V. subscriptione Episcopi Dalner. c. 10. num. 29. Barb. in ci. c. de donationibus. Suarez Tomo 1^o. de Relig. l. 2. c. 26 n. 11. & sequ. Roderic. 11. Q. 48. Artic. 3. Graff. Par. 2. c. 23. n. 8. & seq.**

VIII. Eleemosynas Prælati dare pos-

sunt, & debent, primò quidem eas, quæ in Regula, Statutis, aut consuetudine Ordinis constituuntur. Deinde ex illis bonis & fructibus, qui non valdè necessarij sunt ad familiæ sustentationem, ubi meminisse iuvenit illud vetus dictum, *Dare, & dabitur vobis*. Dixi autem *debere*. quod maxime in remuneratorijs locum habet, quæ ob id nunquam censentur prohiberi, quantumlibet prohibitio generalis sit. *Mol. Disp. 226. Fill. l. c. num. 51.* In his autem si modum Prælati exceserit, invalidæ, & restitutioni obnoxie donationes erunt. *Nau. Comm. 2 de Reg. num. 12. Az. 2 l. 12 c. 10. Sanch. l. 7. Mor. c. 19. Vasq. Tr. de eleem. c. 4. num. 1. Suar. de Relig. l. 2. c. 26. Laym. l. 3. tr. 4 c. 12. Barb. de pot. Ep. par. 1. Tit. 2. Glo. 9.*

IX. Huc pertinet, quod doctrina, & usu scientissimus Abbas Trithemius in c. 3. Reg. S. Ben. monet, Abbates & animarum Rectores, quibus credita est dispensatio, & pauperum thesaurus indigentibus subvenire debent, scientes, se Deo de omnibus sibi creditis & pauperum eleemosyna in die iudicii rationem reddituros. Monachus autem qui nihil habet, spiritualement exhibeat eleemosynam, exemplo Petri Apostoli, qui terrenam non habens substantiam petenti pauperi spiritualement impendit misericordiam dicens, *Aurum & argentum non est mihi. &c.* De Monachis autem sine regula sub regula viventibus nescio quid dicam. Si fuerit, cuius animam timor DEI occuparit, eleemosynam facere potest, modò Abbas consenserit. Ita Trithem.

X. Quisquis monasterii, prioratus, aut similium bonorum curam negligit, vel male

malè abutitur, correctionem, regularem, adeoque depositionem meretur. *c. Cum ad monast. de sta. Mon.* Ad quem vero pertineat, Abbates corrigere, vel etiam exauctorare, ex singulorum Ordinum Constitutionibus intelligi potest. Si ius commune quaeritur, *Glo. in c. Si quis Abbas* 18 q. 2. etiam propter modicas causas a dignitate Abbatiali deponi posse asserit per solum episcopum, etiam invito Conventu. *c. Per tuas de Simonia.* Quod de exemptis non intelligo. Horum enim eum episcopis par conditio est, quos solum Papa deponit. *1. Clar. §. fin. Q. 73. nu. 8. Graff l. 3. c. 23. n. 27. Roder. To. 1. Q. 41. art. 3. tradit ex Comp. Ord. Cister. indulto Eugenii IV. soli Capitulo Generali competere generalem reformationem, Abbates, & Abbatissas dicti Ordinis eito modo corrigere, suspendere, deponere, & illorum loco alios deputare. Idem Eugenius decrevit, quod absolutio & depositio ab officio ipsius Generalis Capitulo Generali competat. Quod si monitus renunciare detrectat, elapsis duobus diebus ipso facto iurisdictione, & potestate privatus intelligitur. Quod ipsum Ioan. XXI. Congregationi montis oliveti concessit. Ita Rodericus. Sed singulorum Ordinum leges & consuetudines inspiciendæ sunt. Quod Societatem nostram attinet, Præpositi Generalis ex gravi causa depositio Congregationi generali absolute permittitur Par 9. Const.*

c. 5. n. 4. & seq.

)o(

§. VI.

De his, qua Abbati specialiter prohibita sunt.

L Non licet Abbati recipere, aut creare novum monachum absque consensu Capituli. *Gloss. in c. ul. de Reg. in 6. Nav. Com. 3. n. 5. Tribem. in c. 3. n. 5. Tribem. in c. 3. Reg. S. Bened.* Non decet, ait, Abbatem, qui caput est, omisis membris aliquem recipere ad Congregationem, quia id rationi, & honestati contrarium foret. Nec semel receptum arbitrio suo eijciat. Si incorrigibilis videatur, expulsionem antiqua iura permittunt. *Concil. Trid. Sess. 25. c. 14.* ignominia ceteris, vel etiam graviore poenâ castigari præcipit.

II. In collatione alic. Prioratus novum onus imponere vetat *Clem. Quia Regulares de supplen. neglig. Præl.* Nec prohibere aut impedire potest, ne Monachi confiteantur episcopo, aut Pœnitentiario ipsius, nisi privilegium exceptionis habeat, vel Constitutiones à Sum. Pont. approbatæ permittant. *Abb. in c. Monachi de excomm. Silv. V. Abbas. nu. 6. Zerola par. 1. V. Monachi.*

III. Exemptioni & cœnobii non potest renunciare absque licentia Papæ. *Nā c. Cum tempore. de arb. expresse dicitur.* Cum etli sponte volueris, de iure tamen nequi veris sine licentia Ro. Pontificis renunciare privilegiis, Pontifex nimirum exemptorum diæcesanus est, cuius auctoritas per spontaneam renunciationem læderetur. *c. Auctoritate. inu. Glo. V. Diæcesani. de privil. in 6.*

IV. In

IV. In Ecclesiis, in quibus habet jus patronatus, præsentare Clericos sine consensu Capituli non debet. *c. ea noscitur. de his qua sūt à Præl. Exc. nisi contraria, consuetudo sit. Nec Monachum dare in pignus, vel obsidem pro debitis Monasterii. Barb. in c. Ex rescripto de iurejur. ubi post factum stare promissis, & juramento iuventur. Sanch. l. 6. Mor c. 16. n. 30. nec pro noxa dari posse Monachum contendit.*

V. Dimissorias ulli sæculari vel Regulari sibi non subiecto dare, nuptiis interesse, de sacro fonte levare filios pariter illicita sunt. Si tamen fecerint, verè compadres erunt, & spiritualem cognationem contrahent. *Conc. Trident. Sess. 23. c. 10. Barb. de pot. Ep. par. 2. alleg. 7. Item in c. Placuit 15. quest. 1.*

VI. Dubium est de unione beneficiorum, possitne eam Abbas facere in Ecclesiis sibi pleno jure subiectis. Negant

multi Ap. Sanchez l. 7. c. 29. à quibus ipse meritò dissentit. Abbates enim alique Prælati in suis Dioccesibus omnia ad jurisdictionem Ecclesiasticam spectantia possunt quæ Episcopi: nec beneficiorum unio cognoscere aliquem requirit. *Abb. in c. sicut unire. de exc. Præl. Cardin. Clem. 1. §. ad hac de sta. Mon.*

VII. Duobus Monasteriis simul titulo Abbatis præesse non potest. *c. Ne nimia. de Relig. domib. Ad aliud ergò si eligatur, ex duobus utrum volet, eliget, eodem modo quem Nav. indicat. de præbend. Consil. 15. qui etiam Consilio 60. de Regular. monet. Si quis Prælatus ad aliud Monasterium transferatur, eo ipso illius obsequantias tacitè profiteri. V. Card. Tuschum. V. Abbas & Alvarum Pelau. de planctu Eccles. lib. 2. art. 22.*

TITULUS XVII.

De Monialibus.

Virginum, quæ virorum exemplo Religiosum vitæ institutum complexæ sunt, duo genera reperio. Nam ut Gabr. Pennotus de Canon. Regularibus parte 3. c. 49. pag. 787. benè notavit, quemadmodum in primitiva Ecclesia, & deinceps, Ordo Regularis virorum in duas classes divisus fuit, tum habitu, tum nomine diverso; quarum altera Clericorum, Monachorum altera nuncupata, ita etiam de Ordine Regulari feminarum dicendum est. Etenim fuisse

in Ecclesia olim Virgines sanctimoniales, Canonicas, seu Clericales nomine, & habitu distinctas, Patrum & Conciliorum testimonia certissima confirmant. *Innocent. III. in c. cum dilecta de mai. & obed. Concil. Ticinense, Parisiense, Rhemense, Cabilonense, &c. Superfunt hoc etiam tempore Canonissarum præcipuæ nobilitatis Collegia in Provinciis Germaniæ, Lotharingiæ, & Belgii, ex quarum vivendi modo apparet, eas à veteri rigore ad mitiorem quandam conversationem*

li 3 dem-

demigrasse. Monialium constantior disciplina jam nunc perdurat. De his igitur potissimum agemus. *Isid. de off. Eccl. c. 15. Barb. in Clem. attendentes. De religiof. domibus. Tholosan l. 15. Syn. c. 17. n. 9. Roderic Tom. I. q. 20. 29. Tomo II. quest. 49. Tom. III. quest. 6.*

§. I.

De receptione, & professione
Monialium.

I. **P**lures, quam ex provenibus alio modo queant, non licet recipere: aliter si fiat, receptio nulla est. *Petriculofo. de Sta. Regular. in 6.* Atque hoc non commodum modo, sed etiam appropinquatum necessarium est: siquidem usus ipse docet, ubi rerum necessariorum præstatio deficit, servari disciplinam non posse, apud mulieres præsertim, quibus uti sexus, sic animus mobilior, & debilior est. Numerum verò Episcopus sua discretione definit. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 3. Antonin. part. 3. tit. 16. c. 7. §. 3. Suar. IV. de Relig. l. 1. c. 11.* Recipere corruptas, cum penitus occultum est, nullo jure veratur, eodem *Suario teste, loc. cit. n. 10. & sequ.*

II. Quamvis in receptione habitus accipiant aliquid Moniales, aut paciscantur de alimoniâ in futurum, non contrahunt excommunicationem capitis. *Sanè De Sim. in Extray. eod. Nam. & recepta consuetudo excusat, & Innocentius VIII. declaravit, eas non incurrere labem Simoniz (intellige quoad prohibitionem Ecclesiasticam) in receptione puellarum ad Monasterium, excepto duplici casu, quorum primus est, si pactum ineant, de*

dando, vel solvendo aliquid pro ingressu in Ordinem, alter si recipiant inhabilem propter spem acquirendi, vel lucrandi aliquid. Præterea ad removendos scrupulos *Clem. VII. indulgit Monialibus, ut absque Simonia convenire possint, & pacifice de dote in sustentationem congruam adferenda. Hæc & alia privilegia enumerat Navarr. di. Excomm. n. 20. Capuccinus in Compend. privilegior. Ordinum Mendic. V. Moniales. num. 16. & 31. Miranda in Tract. de Monialib. q. 8. art. 7. Lessius 435. dub. 13. Suar. Tom. III. de Relig. l. 5. c. 9. n. 15. Barb. in c. cita. Sanè, qui etiam n. 5. monet, censuram non incurrere eas, quæ dant, & recipiunt aliquid tempore acceptationis ad habitum, sed quando ad professionem faciendam aliqua admittitur. Tunc enim, & non prius, receptionis effectus compleri existimatur. *V. Roderic. Tomo II. quest. 49.**

III. In admittendis exigitur ætas annorum duodecim completorum: ipsa verò puella ante ingressum, ut ante professionem quoque, ab Episcopo examinanda est, remotis omnibus consanguineis, & propinquis, ut cognoscatur, num verò, & liberè Religionem appetat. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 17.* Hoc modo variis querelis, & quæ ex inconstantia nasci solent, exceptionibus via præcluditur. *V. qua dix. Tit. VII. §. 7.*

IV. Illis, quæ in aliquo Ordine habitum induerunt, ab Ordinario certus dierum numerus, puta 15. aut 20. dierum præfigi debet, intra quem deliberent serio, velint, nec ne professionem edere. Nolentes remitti ad suos liberè possunt, restitutis omnibus, quæ intulerunt. *Ibid.*

V. Ante annum sextum decimum ætatis

uatis perfectè completum nulli professio permittitur. Citiùs facta pro nullâ accipitur. Unde consequitur, si anno ætatis duodecimo ingrediens puella sponsum habet, is expectare quatuor annos debet, donec peracta professio sit. *Declar. Conc. Trid. Sess. 25. c. 17. Sanchez de Matrimon. l. 2. Disp. 24. n. 8. Henric. l. 12. c. 5. n. 8.* Si autem aliqua probationem in fine anni decimi tertii finivit, statutum aliquod particulare obstat, tacitè professæ censebitur usque ad finem anni decimi sexti. *Zerola part. 2. v. Moniales n. 9. Suar. IV. de Relig. l. 1. c. 11. n. 4. & seq. Navar. Conf. 20. de Regular. ubi etiam nonnulla de Velo duplici, professionis, & consecrationis explicat. V. Roder. Tom. 1. q. 65. art. 1. Grass. part. 2. l. 2. c. 15. num. 34.*

VI. Ut illius, quæ factura est professionem, constans & libera voluntas exploretur per Episcopum, Abbatissâ vel Præfecta Monasterii illum uno mense ante diem professionis constitutum certiorum facere debet. Si neglexerit, Decreto Conc. Tridentini, ab officio suspensa manebit, quamdiu Episcopo placuerit. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 17. Tolerus l. 1. c. 49. num. 6.*

VII. Ex indulto Pii V. Moniales Novitiæ, quæ legitimam ætatem habent ad solenniter profitendum, in articulo mortis constitutæ, ad maiorem animi consolationem & quietem, etiam nondum expleto probationis anno professionem edere possunt; quæ professio tamen nulli præjudicet, qui habet jus ab intestato succedendi, ut supra diximus *Tit. 15. §. 3. n. 3. Roder. Tom. 111. q. 15. art. 6.*

VIII. Sumptus faciendi à Monialibus sive in primâ receptione, sive in secunda

professione, ut modus servetur, ab Ordinario determinandi sunt; cujus erit habita ratio temporis, personarum, necessitatis, & honestatis ex bono & æquo arbitrari. *Conc. Trid. Declar. Sess. 25. c. 17. ci. fin. Zerola part. 1. v. Moniales. n. 15.*

§ II.

De obligationibus quibusdam.

I. **M**onialis confiteri quolibet mense semel debet, primo scilicet cujuslibet mensis die & Sacrosanctam Eucharistiam sumere. *Clem. 1. §. Sanè. de statu Mon.* At qua obligatione? Eadem, qua fideles semel quolibet anno *Glossa dicit in v. Mensibus.* Quid si venialibus tantum onerata conscientiam habeat? Non teneri ex *Silv. Navarro, & Grass. censeat Bartholom. à S. Faustino in thesau. Religiosor. l. 6. q. 185.* Nam clementina citata nullatenus communem Canonem utriusque sexus de pœn. & remiss. mutat, sed tempus abbreviat, ut quomodo omnes fideles singulis annis tenentur confiteri, si habeant peccata mortalia, ita Monachi & Moniales teneantur singulis mensibus. De communione in sequ. Q. idem Auctor quærit, an si extra Monasterium commorentur, eam quoque teneantur sumere? & resolvit negativè, eò quòd *in di. Clementinâ* dicatur, *In Monasteriis percipiant.* Verùm probabilius censeo teneri, modò occasio non desit. Neque allegata verba exclusiva sunt, sed id, quod magis usitatum est indicant. *Conc. Trid. Sess. 25. c. 10. Azor. Tom. 1. l. 12. c. 19. q. 17. Zerola v. Moniales.* Episcopus etiam non subjectis sibi Monialem Confessarium extra-

extraordinatum, ex alia Religione vel
sæcularem Sacerdotem dare potest. *Em.
Sa. V. Episcopus nu. 33. Declar. Card. Con.
Tr. l. cit.*

II. Communi mensa, culina, & dor-
mitorio utendum Monialibus est. Prop-
ria receptacula, & privata domicilia non
permittuntur: neq; ut in eodem choro, seu
Odæo cum Canonicis vel Monachis psal-
lant. *c. Perniciosam. 18. p. 2.*

III. Proprium habere nefas. Vbi penu-
ria urget, artificio, & propriis manibus vi-
ctum quætere licet, & vendere labores
manuum suarum, modò cænobii clausu-
ra non violetur. *Conc. Trident. Sess. 25. c. 3.*
Possunt etiam cum licentia Superiorum
habere redditus annuos, & vitalitios, qui-
bus procurent res sibi necessarias ad vi-
ctum, vestitum, libros, supellectilem,
dummodò paratæ sint ad libitum Supe-
rioris dimittere. *Barb. in Collectan. Con-
cil. Trident. pag. 375. Antonin. Par. 3. tit. 16.
c. 1. §. II.*

IV. Res etiam parvi momenti sibi do-
natas, aut aliunde acquisitas, quasi pro-
prias retinere non possunt, sed Superiori
relinquendæ sunt. Hic vicissim, quæcunque
necessaria sunt exhibere debet. *Declar.
Card. Conc. Trid. Sess. 25. c. 2. Hinc pertinent.
qua Fufius diximus Tit. 15. §. 5.*

V. In Sacramento Baptismi & Confir-
mationis commatres esse non possunt. *c.
Pervenit. 12. q. 2. nec tangere Sacra Vasa,
vel incensum deferre. c. Sacratas D. 23.
ubi consuetudo contraria pestis appel-
latur.*

VI. Monialis Sola cum Solo non lo-
quetur, sed comitata duabus, vel tribus so-
roribus. *c. In decima 18. Q. 1. ubi Conci-
lium Hispalense præcipit, ut ex Monachis,*

qui Monialium claustris præsunt, ne qui-
dem cum Abbatissa frequenter loquatur,
& sub testimonio duarum, vel trium so-
rorum, ita ut rara sit accessio, & brevis
omnino locutio. Quam præceptionem
multò saluberrimam etiam qui non ser-
vant, commendant. *Antonin. Par. 3. tit.
16. c. 1. Busæ. de Stat. V. Virginitas n. 5.*

VII. Si quæ contra professionem suam
malè persuasa virum admiserit, corrupta-
que fuerit, in districtius monasterium
transferenda est, ubi orationibus, & ieiu-
niis vacet, itaque pœnitendo proficiat, ut
metuendum cæteris arctioris disciplinæ
præster exemplum. *c. Si qua 28. Q. 1. sus-
pecta de actu & tactu impudico, comper-
taque utrumque sexum habere, quamvis
debilior sit virilis, monasterio eiici debet.
Barb. in Votis decisivis. l. 3. Voto 100. De
pœna corruptoris agens Bern. Diaz in
Pract. Crim. c. 33. si clericus est, deponen-
dum esse tradit, & monasterio includen-
dum per textum in c. Si qua. 27. q. 1. & c. si
quis de Vi. & honest. cleric. Laicus autem
in foro ecclesiastico excommunicatus est:
in sæculari mortis supplicio dignus habe-
tur, privatis Constitutionibus Italiæ, ut
Hippol. refert in l. Vn. num. 4. & seq. de
raptu Virg. Iul. Clarus in Pract. crim. §. for-
nicatio V. Cum Moniali Ign. Lopez in
Pract. Crim. c. 85.*

VIII. Quod obedientiam attinet, ea-
dem cum Fratibus Religiosis sub quorū
Regula vivunt, lege tenentur: Matri seu
Abbatissæ in iis, quæ ipsa ut Magistra, seu
Gubernatrix præcipere potest. Prælati
similiter iuxta uniuscuiusque Ordinis mo-
dum, ac consuetudinem. Huc igitur re-
ferenda, quæ Tit. 17. §. 7. de obedientia Re-
ligiosa diximus.

IX. Quia

IX. Quia privilegium Canonis. Si quis suadente 17 g. 4. ad Sanctimonialia extenditur, ut patet ex Ti. 1. §. 4. si monialis monialem, vel conversam percusserit, excommunicationem latæ sententiæ incurrit: à quâ tamen absolvi potest ab Episcopo, in cujus Diœcesi Monasterium situm est. c. de Monialibus de sent. excomm. Silv. V. absolutio num. 4. Cockier de Jurisf. ordin. part. 2. quest. 45. Lancell. l. 4. Instit. tit. 13. Barb. de potest. Episc. part. 3. Allegat. 105. num. 52. & in c. cit. si quis suadente. Reginald. in Append. libri primi Sect. 2. num. 246. ubi omnibus mulieribus propter Clerici percussorem excommunicatis indultum esse demonstrat, ut adire Sedem Apostolicam pro absolutione non teneantur. c. Mulieres. c. ea nascitur. &c. quamvis de sent. excommunic. Nam sine periculo mulier non facillè itineratur.

§. III.

De Clausurâ Monialium.

I. Clausura est spatium Monasterii janua clausum, intra quod se continere debent, & à quo sine violatione præcepti, vel etiam Voti Moniales egredi non possunt. Termini autem seu limites clausuræ complectuntur omnia Monasterii loca, quæ janua clausa continentur & quo sæculares non admittuntur. Atque hæc clausura per se loquendo perpetua est, nec egredi licet sub poena excommunicationis cuiquam Moniali professæ etiam ad breve tempus nisi impetrata ab Ordinario ob legitimam causam licentia. c. Periculoso de statu Regular. in 6. Conc. Trid. Sess. 25. c. 5. Zerola part. 1. V.

Monialis num. 1. 6. Navar. c. 27. num. 150. Et licentia ut legitima censeatur, tres conditiones exigit 1. aut in eum finem specialiter dirigatur. 2. ut scripto detur. 3. ut causa gravis, & evidens sit.

II. Causæ graves & legitimæ in Motu proprio Pii V. qui incipit Decori, tres numerantur 1. est magnum incendium. 2. Infirmas lepræ 3. Epidimia, id est, morbus contagiosus, qui inficere alios potest. Sunt nihilominus aliæ causæ, propter quas facultas exeundi claustrum Monialibus concedi potest. Nam 1. belli tempore possunt sese in tutum recipere. 2. ad fundandum novum Monasterium, vel reformandum antiquum emitti possunt. 3. Abbatissa vel Priorissa, quæ juramentum fidelitatis præstare tenetur domino feudi, si non liceat per Procuratorem ad præstandum egredi permittitur ea lege, ut cum honesto comitatu vadat, & continuo redeat. Denique sufficit quælibet rationabilis ab Episcopo judicata. Concil. Trid. loc. cit. Navar. Comment. 4. de Regular. num. 48. Bonac. Tom. 1. pag. 598 & seq. Suar. IV. de Relig. l. 1. c. 9. Piafec. part. 2. c. 3. p. 233.

III. Absque causa egredientes, licentiam dantes, vel auxilium præbentes excommunicationem incurunt, Summo Pontifici reservatam. Pius V. Motu proprio contra jus commune apud Silv. Religio VIII. ci. fin. Imò privationem officiorum ac beneficiorum. Excipe necessitatem inevitabilem, cui nulla lex imperat. Monendus autem post factum superior est. Suar. l. cit. c. 8. num. 10. Roderic. Tom. 1. quest. 49. art. 2. Silv. V. Religio §. 6. num. 16. Filliuc. tract. 5. c. 8. n. 194.

IV. Incorrigibilis aliqua ut videatur, eji non potest ex Monasterio, sed vel

Kk

inibi

inibi puniendi, vel ad aliud cœnobium, seu claustrum transferenda est. Ita *Vrbannum VIII. constituisse testatur Barbosa in c. ne religiosi de Regular.* Nihil vetat tamen Moniales in aliud Monasterium, vel etiam Ordinem transferri, qui strictior sit iuxta ea, quæ diximus *Tit. XV. §. 8. de transitu ex unâ Religione in aliam. Const. Pii V. Bonac. Tom. 1. p. 598 Lugo l. 3. Respons. Mor. D. 18. Sanchez l. 6. Moral. c. 7. Barb. in c. Virgines 21. q. 4.*

V. Laicis, Clericis, & Regularibus etiam Prælati jure communi interdicitur ingressus in cœobia Monialium. Transgressores excommunicationis pœnam incurrunt. Neque ad id Episcopus licentiam dare potest, nisi in casibus necessariis, de quibus prolixè *Suar. IV. de Relig. l. c. 10. Manrique par. 2. q. 41.*

VI. Clericum, si monitus ab Episcopo non desinat Monialium claustra frequentare, pœna suspensionis manet, imò excommunicationis, & depositionis, quæ censetur materia gravis, & sufficiens ad noxam lethalem. *Manrique par. 2. q. 12. Toller. l. 1. c. 41. num. 9. Armilla. V. Monasterium num. 2. Sylv. l. cit. n. ult.*

VII. Religiosis Monialium claustra sine licentiâ aduentibus decreta est pœna privationis officiorum, vocis activæ, & passivæ ipso facto contrahenda. *Rodri. Tom. 1. quest. 45. art. 2.* qui tamen literarum missionem ad Moniales putat generaliter non esse vetitam sub pœna excommunicationis. *Q. cita. art. 3. Bonacina Tom. 1. pag. 644.* qui etiam notat Religiosos hoc tempore alloquentes Monialem absque licentiâ etiam in Monasterio Regularibus subjecto puniri posse ab Episcopo ex Constitutione *Greg. XV. in Bulla*

de privileg. exemptorum. Idem *Cardin. Congregatio declaravit, & Vrbannus VIII.* approbavit. *Piascius par. 2. c. 3. Barbos. in Summ. Decis. Apostol. Coll. 513.*

VIII. In cœnobiis Monialium recipi possunt feminae pro obsequio, & famulatu, quando desunt conversæ: nec tantum pro Communitate, sed etiam persona particulari, quæ propter morbum, vel aliam necessitatem indigeret. Ancillæ autem, quæ prohibitu intrent, & exeant, non sunt admittendæ. Vt educationis causa recipiantur puellæ sacra Cardinalium Congregatio permittit cum his conditionibus. 1. ut Monasterium consueverit puellas admittere. 2. ut non excedant numerum præfixum. 3. ut ad sit licentia Superiorum, & Abbatissæ consensus. 4. ut sint decenter indutæ. 5. ut ancillæ secum non habeant. 6. ut septem annos impleverint, sintque minores 25. annis. 7. ut seorsim habitent, & dormiant. 8. ut Monasterio non egrediantur, & semel egressæ nequeant amplius admitti, nisi exierint propter morbum cum licentiâ Superioris. Possunt admitti etiam conjugatæ, quæ ob nimiam viri sævitiam non commodè simul vivunt, donec inter se concilientur. Viduis autem, nisi habitum suscipere velint, aditus præcluditur. *Zerola part. 1. V. Moniales. num. 10 Bonac. Tomo 1. pag. 651. num. 15. & seqq. Anton par. 3. tit. 16. c. 7. §. 2.*

IX. Qui cum licentiâ Monasterium ingressi sunt, laboris alicujus, vel officii causa, eo expedito actum excedere debent: alias graviter peccaturi contra Juris decreta, nisi fortè materiæ exiguitas excuset. Censuram verò non dicimus ex tali mora incurrere. *Id. eo. p. 652.* Adde
r. quam

I. quamvis nec Censuræ ullius, nec peccati periculum foret, à non necessaria mora cuilibet abstinendum, tum ut Virginum sacrarum pudori, tum ut suæ potissimum famæ consulat. Eris innocens tu quidem fortetan.

At nos in vitiam credula turba sumus.

§. IV.

De Abbatissâ.

II. **E**Ligenda in Abbatissam 1. legitimè nata sit. 2. incorrupta nisi Episcopus dispenset. *Zerola part. 2. v. Abbatissa.* 3. non minor annis quadraginta. 4. cuius in cœnobio vitæ probitas octo minimum annorum spatio probata sit. Denique post professionem expressam. *Gloss. in c. Attendentes de statu Monach. c. Iuenculas. 20. quest. 1. Angel. Silv. Tabiena. Armilla. Concil. Trident. sess. 25. c. 7.* Si non reperiatur in eodem Monasterio idonea, ex alio ejusdem Ordinis eligi poterit. Si hoc quoque incommodum videatur ex iis, quæ in eodem Monasterio annum tricesimum exceßerint, & quinque saltem annis post professionem rectè vixerint, Episcopo vel alio Superiore consentiente eligatur. *Concil. Trident. loco cit. Sanchez. l. 5. Moral. cap. 5. Zerola v. part. 1. Abbatissa. Modum electionis descriptus Tit. VI. §. 2.* Illud peculiare est, quod aliquando per Episcopum cum Vicario suo oretenus accipi Suffragia possunt: duæ tertię Suffragiorum requirantur: & si discordes fuerint, ab Episcopo nominari Abbatissa possit. *Piassec. part. 1. c. 3. Barb. in c. Indemnitatibus de elect. in 6.*

II. Electa confirmari debet, & ubi consuetudo obtinuit, etiam benedic intra annum, & si *Glossa* credimus, die etiam profano. Benedicita in Ecclesiis sibi subjectis beneficia conferre potest, & Clericos instituire, quoad titulum, & possessionem. *c. ea noscitur. de his, quæ fiunt à Pralat. c. dilecta de maior. & obed. Barb. ibid cum aliis multu.*

III. Modus gubernandi ab eo qui in cœnobiis virorum servatur, multum distat, utpote domesticus, & politicus magis, quam Spirituualis. Quomobrem instar matris familias, & gubernatricis imperare potest ea, quæ ad ordinem domesticum, & disciplinam, conformiter regulæ præfixæ pertinent. Incapax enim potestatis Spirituualis femina censetur. *c. Nova de pœnit. & remiss. v. Antonin. part. 3. tit. 16. c. 7. §. 2.* Neque permittitur Abbatissæ præcipere in virtute Spiritus Sancti: in virtute Sanctæ obedientiæ & esto id possit sub pœnâ voti obedientiæ sibi præstiti, aut virtute obedientiæ sibi debitæ: quemadmodum Rector sæcularis Universitatis mandare solet sub pœnâ præstiti juramenti. Aliqui tamen jurisdictionem Spiritualem saltem ex commissione tribuunt apud *Barbos. in c. cit. Dilecta. Victoria de potest. Eccles. quest. 2. nu. 4. Ledesma part. 2. quest. 4. Vasqu. 1. 2. Dis. 166. c. 4. Sanchez l. 6. Moral. c. 1. num. 20. & seq. ubi pluribus explicat differentiam inter Abbatem & Abbatissam, eorumque potestatem, & modum præcipiendi.*

IV. Igitur exceptâ Regulari correctione nulla Abbatissæ clavium sacrarum potestas conceditur, multò minùs Ordinis: hortari ad virtutem sorores

Kk 2 licet,

licet, non prædicare non velare Virgines aut benedicere, ut neque aquam. Evangelium non in Missa, sed officio matutino leget. *Anton. loco cit. Avila pars. 1. dub. 6. Concl. 1. Suarez. V. Disp. 2. Sect. 2. num. 5. & Tom. IV. de Relig. l. 2. cap. 9. num. 10. Tuschus. Concl. 28. Barbof. in c. in nova de pœnit.*


NOTA. Abbatissa non sic omnis Jurisdictionis Spiritualis incapax est, quin aliquis clavium usus puta, excommunicandi, illi committi possit, quemadmo-


dum fufius explicatur à Laymanno *lib. tract. 5. part. 1. c. 3. Reginald. l. 9. num. 117. Roder. 11. quest. 43. art. 3. Contrarium, & fortè melius tuetur Coninck Disp. 12. dub. 4. num. 33. Reliqua accuratè præscripta dabit Ordinatio à S. Carolo Borromæo in Conc. I. & IV. Mediolanensi confecta, &c.*

* * *

Omnia ad majorem DEI Gloriam,
Virginis Matris, & Sanctorum
omnium.

PARS







Th
4760